BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
G
57
NAPOLI

XVII
G
57

Digitized by Google

SUMMA
THEOLOGIÆ
SCOTISTICÆ,

IN QUA

EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ
Oraculis, Eccleſiæ Traditionibus, ac Decretis,
SS. PP. ac Theologorum Sententia,
& rectæ rationis ductu,

RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA,
Dogmata, Sacramenta, & Leges breviter, &
ſcholaſticè explicantur, & propugnantur ad
mentem Doctoris Subtilis.

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER,
Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito,
Doctore, ac Provinciæ Seraphici S. Bonaventuræ Exprovinciali conſcripta.

TOMUS VI.

Tract. XI. de ineffabili myſterio Incarnationis.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXX.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Ad usu Adm. Rdi Prij
Angeli a Grumo.
Pertinet ad Contum Sᵉ
Mᵉ Carmeli S. Anthimi

Digitized by Google

INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
HUJUS TOMI SEXTI.
TRACTATUS XI.
De Myſterio Incarnationis.
DISPUTATIO I.

DE *poſſibilitate, & exiſtentia, & neceſſitate myſterii Incarnationis.* 2
QUÆS. I. *De nomine hujus myſterii, & ejus poſſibilitate.* 2
Q. II. *De cognoſcibilitate hujus myſterii.* 9
Q. III. *De convenientia Incarnationis.* 17
Q. IV. *De neceſſitate Incarnationis.* 27
Q. V. *De exiſtentia Incarnationis. An de facto Meſſias venerit.* 35

DISPUTATIO II.

DE *unione hypoſtatica.*
Q. I. *De natura unionis hypoſtaticæ; an ſit quid abſolutum, vel relativum.* ibid.
Q. II. *De termino formali, & immediato hujus unionis.* 56
Q. III. *An hæc unio inducat veram compoſitionem in Chriſto, & an facta ſit in natura, vel in perſona.* 62
Q. IV. *Quanta ſit hæc unio: An omnium maxima inter uniones.* 74
Q. V. *An aliqua gratia præceſſerit hanc unionem in anima.* 81
Q. VI. *De connexione unionis hypoſtaticæ cum beatifica, & cum gratia ſanctificante.* 85

a 2 Q. VII.

Q. VII. *De ſupernaturalitate ſubſtantiali hujus unionis. An, & quomodo dicatur ſupernaturalis in ſubſtantia.* 91
Q. VIII. *De ſubjecto unionis hypoſtaticæ, & ejus unitate. An ſubjectetur in eſſentialibus, vel in toto.* 96
Q. IX. *De unione aliarum partium humanitatis, & maxime de unione ſanguinis; an iſte fuerit immediate unitus Verbo.* 101
Q. X. *Iterum de ſubiecto hujus unionis; an Verbum aſſumpſerit ſolam humanitatem ſine ſubſiſtentia, an vero hominem, ſeu naturam perſonatam.* 112
Q. XI. *Utrum natura creata poſſit uniri hypoſtatice ſuppoſito creato.* 127
Q. XII. *An quævis natura, etiam irrationalis, aut non vivens poſſet uniri Verbo.* 132
Q. XIII. *An unio hypoſtatica ſit formaliter productio humanitatis, & unitio ejuſdem. Et quomodo hæc diſtinguantur inter ſe. Ubi de exiſtentia propria humanitatis.* 141
Q. XIV. *De ordine Incarnationis; an Verbum prius aſſumpſerit partes, quam totam humanitatem, vel e contra.* 148

DISPUTATIO III.

D*E cauſis Incarnationis.* 153
Q. I. *De cauſa finali, ſeu motivo Incarnationis.* ibid.
Q. II. *De cauſa morali, ſeu meritoria Incarnationis. An Chriſtus eam meruerit, aut mereri potuerit.* 165
Q. III. *An, & quid meruerint SS. Patres, & B. Virgo circa Incarnationem.* 174
Q. IV. *De cauſa efficiente Incarnationis.* 179
Q. V. *De cauſa materiali, & formali Incarnationis.* 191

DIS-

ſtraſſe materiam, ſicut aliæ matres; ſed iſtæ miniſtrant materiam ſeminalem; ergo & illa.

Prob.2. quoad 1.p. ex Patribus, nam, inquit Dionyſ. [1] *ignoramus, quomodo ex virgineis ſanguinibus altero jure formatus eſt:* ſcilicet quocumque modo id contigerit, ſemper fuit ex ſanguinibus Mariæ, & quidem virgineis. Idem docent alii Patres, ut Damaſc. [2] Elias Cretenſis, & alii mox citandi.

Confir. ex Script. in qua dicitur *factus ex ſemine David*, non quidem virili, ſed fœmineo, ſc. per B. Virginem, quæ erat de ſemine David. Quia, inquit Auguſt. [3] *Maria erat de ſemine David*. Et Hieron. *Chriſtus ſecundum carnem natus eſt ex ſtirpe David; id eſt de Maria Virgine eſt creatus*. Item dicitur: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*.

Prob.2. p. de ſemine, & confir. 1. ex SS. Patribus, [4] qui docent Chriſti Corpus ex Virgine Matre factum eſſe, ſicut noſtra fiunt; ſed noſtra fiunt ex ſemine; ergo & illud. Prob. maj. nam (inquit S. Ignatius Martyr) [5] *vere natus eſt Deus Verbum ex virgine veſtitus corpore... vere natus eſt ex vulva ... & corpus ſibi fabricavit ex ſanguinibus virgineis .. hoc ſolum excepto, quod nulla viri conſuetudo interceſſit*; ergo in aliis omnibus, maxime ex parte materiæ, Chriſti conceptio fuit ſimilis noſtræ. Idem docet Tertull. [6] *quid novitatis fuerit in Chriſto ex Virgine naſcendi palam eſt, ſcilicet hoc ſolummodo, quod ex Virgine ſecundum rationem, quam edidimus ... & ipſum etiam carnaliter, ut ex virginis carne*. Et Theophyl. Alexand. [7] *Chriſtus nullo, quod noſtræ ſimilitudinis eſt, caruit, niſi ſolo peccato*. Idem docet S. Iſidor. [8] *Chriſtus ſemen Abrahæ apprehendit, & matrem illinc elegit, & in ea, & ex ea carnem elegit, atque homo vere per omnia, excepto peccato*.

Confir. ex Script. in qua Chriſtus prædicitur futurus ex ſemine mulieris, cum dixit Deus ſerpenti: [9] *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ſcilicet fructum, qui eſt Chriſtus*, inquit Gloſſa interlin. *Mulierem, non iſtam Evam, ſed aliam ab ea deſcendentem, ſc. Mariam ... & ſemen il-*

A a 2 ... *lius*

[1] *div. nom. c.* 1. [2] *l.* 3. *c.* 2. *or.* 11. *nat.*
[3] *Rom.* 1. *in gloſ.* [4] *Heb.* 2. [5] *Ep. Trall.*
[6] *l. de Car. ch. c.* 20. [7] *l.* 1. *paſch.* [8] *Ep.* 121. [9] *Gen.* 3.

Digitized by Google

lius, ſcilicet Chriſtum, qui eſt Mariæ naturalis filius, ait Lyran. Item, [1] *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*; quod de Chriſto intelligunt omnes, quia *de ſemine Abrahæ deſcendit*, ait idem Lyran. Item, [2] *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit de ſeminibus, quaſi de multis, ſed quaſi in uno; & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*, inquit Apoſtolus; ſed illud ſemen non deſcendit in Chriſtum, niſi per Mariam; ergo &c.

Confir. 2. ex aliis: nam ſi ex vero lacte matris nutritus eſt; ergo ex vero ſemine formatus eſt Chriſtus, inquit Beda. [3] *Lacte matris nutritus eſt, & ejus ſemine conceptus; ex eodem enim fonte ſecundum Phyſicos utrumque manat.* Et P. Damian. [4] *aſſumitur purum ſemen de virginea puritate*. Et S. Remig. de Haymo. [5] *Corpus Chriſti opere Spiritus S. de ſemine mulieris ſine ſemine virili procreatum eſt*. Et S. Bernard. [6] *Germen Dom. J. C. ſolus de mundiſſimo conceptus ſemine*. Et ſic de aliis.

Prob. 2. ratione jam tacta. Quia Chriſti Corpus, & conceptio ejus debuit in omnibus, & quantum potuit ſine indecentia, vel præjudicio virginitatis aſſimilari noſtræ; ſed noſtra conceptio fit ex ſemine; ergo & conceptio Chriſti.

Confir. Nam ſuppoſito, quod caro Chriſti concepta ſit ex carne, vel ſanguine puro Mariæ, non magis repugnabat eam formari ex ſanguine ſeminali, quam ex alia parte. Imo iſte dicitur purior, & perfectior; & a natura huic operi deſtinatus; ergo ita potuit, & debuit fieri connaturaliter.

Objic. 1. Eva non fuit formata ex ſemine, vel ſanguine, ſed ex coſta Adæ, & hoc illi imputatur ad gloriam; ergo glorioſius eſt Chriſto, ſi dicatur formatus ex aliqua parte corporis Mariæ, quam ex ſanguine, vel ſemine.

Reſp. neg. conſ. 1. quia ſicut Adam non dicitur pater, aut mater Evæ, quæ fuiſſet. 2. quia ſicut Eva formata eſt extra corpus Adæ, ita dicendum eſſet de Chriſto extra uterum Mariæ, quod nemo ſomniavit.

Inſt. Eccleſia dicit Chriſtum accepiſſe carnem de utero

[1] *Gen.* 22. [2] *Gal.* 3. [3] *c.* 11.
[4] *Luc. ſer. de S. viſit.* [5] *Rom.* 8. [6] *ſer.* 2. *pent.*

utero B. Virginis; ergo non formatus eſt de ſanguine, nec de ſemine, ſed de carne.

Reſp. neg. conſ. nec enim ſic loquitur Eccleſia ad propoſitum quæſtionis hujus, ſed pure, ut ſignificet unionem Verbi cum vera carne humana abſolute nihil cogitans de modo.

Objic.2.ex S.Thoma; ſemen fœminæ non eſt aptum generationi; eſt imperfectum in ratione ſeminis, & non potuit perfici ad illud propter imperfectionem ſubjecti; ergo Chriſtus non fuit conceptus ex ſanguine ſeminali; ergo &c.

Reſp.neg.ant. & contrarium conſtat ex Philoſophia de generatione viventium.

Inſt. Non poteſt ſemen reſolvi ſine concupiſcentia; ſed hoc dedecet puritatem, & ſanctitatem hujus conceptionis; ergo &c.

Reſp.diſt. maj. præciſa operatione miraculoſa Spiritus S.con. ſuppoſita illa operatione, neg.maj. & min. nam id factum eſt operante Spiritu ſancto, quo nihil purius, & ſanctius cogitari poteſt.

Inſt. 2. [1] Damaſcenus dicit, quod Corpus Chriſti non conceptum eſt ſeminaliter; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſeminaliter via ordinaria ex conjunctione viri, & fœminæ, & quando reſolvitur naturaliter, con. ex operatione ſupernaturali Spiritus S.neg. ant. nec iſtud negat Damaſc. ſed alium modum, quem etiam & nos pernegamus.

Monuerim autem cum Seraphico Bonavent. non eſſe de hac quæſtione loquendum coram populo; [2] *Tum quia turpitudinem habet annexam, & homo debet habere labia munda in hac materia: Tum quia hæc certitudinem non habent ex ſe, nec verba Sanctorum videntur multum conſonare. Unde ſtultum eſt in talibus velle ſingula curioſe pertractare. Hoc ſufficiat dixiſſe, quod B. Virgo miniſtravit materiam aptam generationi filii Dei ſecundum carnem.*

Nobis ergo ſufficiat, quod ex virginea carne, ſine ullo ejus ſenſu, ſemen a Spiritu S. acceptum, & in ejus matricem delatum eſt, & ex eo Chriſti ſacratiſſimum corpus eodem Deo operante formatum exiſtit.

QUÆ-

[1] l.3.c.1.& 4. [2] 3.d.4.a.2,q.1.n.33.

QUÆSTIO VI.

De morte, reſurrectione, & aſſumptione B. V. Mariæ.

DUbitarunt aliqui, an B. V. Deipara mori debuerit, vel mortua ſit per animæ ſuæ realem a corpore ſeparationem; ratio dubitandi poſſet eſſe, quia *per peccatum mors intravit in mundum*, ut docent Theologi cum Scoto, ut vidimus; nam durante ſtatu innocentiæ, & Adamo non peccante, homines fuiſſent quidem mortales, ſed tamen non erant morituri; ſed poſt aliquod tempus viæ ſuper terram aſſumendi erant, & transferendi ad ſtatum gloriæ. Ideo comminatus erat Deus Adæ, [1] *in quocumque die comederis, morte morieris*, & poſt peccatum ſententiam mortis protulit dicens, *quia audiſti vocem uxoris tuæ, & de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es* &c. atqui B. Virgo nulli unquam peccato actuali, vel originali obnoxia fuit; ergo ſententiæ, ſeu pœnæ mortis non ſubjacebat. Imo Reparatorem omnis peccati peperit.

Ex hoc, inquam, fundamento videbatur eam non debere mori, & quidam putarunt, eam non fuiſſe mortuam morte naturali, & phyſica per animæ realem ſeparationem a corpore. De hoc quaſi dubius hæſit S. Epiphanius dicens: [2] *Quærant veſtigia ſcripturarum, & invenerint utique mortem Mariæ, neque an mortua ſit, aut non mortua, neque an ſepulta ſit, aut non ſepulta. Ego non audeo dicere, ſed ſilentium mihi impono. Nec dico, quod immortalis manſit; ſed neque affirmo, quod mortua ſit*. [3] Timotheus Presbyter Jeroſolymitanus ſcribit, quoſdam putaſſe illam fuiſſe gladio interemptam juxta prophetiam Simeonis, *tuam ipſius animam gladius pertranſibit*; ſed non ita ſe res habet, inquit ille Pater; *enſis enim a fabro excuſus corpus dividit, animam non diſſecat. Unde etiam ſupra omnes inculpata, & omnibus modis* ſan-

[1] *Gen.* 3. [2] *hær.* 78.
[3] *t.* 10. 4. *Bibl. PP.*

DISPUTATIO IV.

DE termino totali incarnationis. 198
Q. I. An, & qualis ſit Chriſtus Dominus; An verus Deus, & verus homo. ibid.
Q. II. An Chriſtus dici poſſit unus, vel duo maſculine, aut neutraliter. 204
Q. III. An in Chriſto ſint duo intellectus, & duæ voluntates. 213
Q. IV. An Chriſtus ſit filius Dei, etiam ut homo, & qualis. 219
Q. V. De ſubjectione, & ſervitute Chriſti: an dici poſſit ſervus Dei, & ſubjectus Deo Patri. 226
Q. VI. An Chriſtus dici poſſit creatura, & quod inceperit eſſe. 233
Q. VII. Ubi examinantur aliæ propoſitiones de Chriſto, ut quod & Deus, & homo ſit viciſſim homo, & Deus &c. 240
Q. VIII. De communicatione idiomatum: Ubi examinantur aliæ propoſitiones licitæ, & varii modi loquendi in hoc myſterio. 252

DISPUTATIO V.

DE anima Chriſti, & ejus perfectionibus. 261
Q. I. An in Chriſto fuerit anima rationalis ſimilis noſtræ, & forma corporis. ibid.
Q. II. An Chriſtus in inſtanti conceptionis habuerit uſum perfectæ rationis. 263
Q. II. An in anima Chriſti fuerint paſſiones ſimiles noſtris. 265
Q. IV. Utrum in anima Chriſti fuerit peccatum originale, vel ignorantia. 276
Q. V. De fomite peccati, an fuerit in Chriſto. 281
Q. VI. De ſanctitate animæ Chriſti, & ejus impeccabilitate. 284

DIS-

DISPUTATIO VI.

DE intellectu, & ſcientia Chriſti. 296
Q. I. *An, & qualis fuerit ſcientia Chriſti.* 297
Q. II. *An Chriſtus viator habuerit ſcientiam beatam.* 301
Q. III. *An Chriſtus præter ſcientiam beatam habuerit ſcientiam infuſam, vel acquiſitam.* 306
Q. IV. *Quænam ſcivit Chriſtus per illas ſcientias: An viderit omnia hic, quæ Verbum videt.* 312
Q. V. *Expediuntur breviter aliquot dubia circa illas ſcientias Chriſti.* 323
Q. VI. *An in Chriſto fuerint alii habitus intellectuales infuſi, vel acquiſiti, maxime habitus fidei, & lumen gloriæ.* 328

DISPUTATIO VII.

DE voluntate Chriſti, & ejus gratiis, & ſanctitate. 331
Q. I. *An voluntas humana Chriſti fuerit libera, & quomodo.* ibid.
Q. II. *An voluntas Chriſti ſubjacuerit præceptis, v.g. præcepto moriendi, & an ad ea fuerit liber; & qua libertate.* 338
Q. III. *An voluntas humana Chriſti fuerit ſemper conformis divinæ.* 342
Q. IV. *An voluntas Chriſti habuerit fruitionem beatam in hac vita.* 346
Q. V. *De ſanctitate formali Chriſti per gratiam habitualem: An, & qualis fuerit.* 349
Q. VI. *Quanta fuerit gratia Chriſti: An infinita, vel ſumma.* 355
Q. VII. *An, & quæ dona Spiritus Sancti habuerit Chriſtus.* 363

Q. VIII.

Q. VIII. *An habuerit gratias gratis datas, & quales.* 368
Q. IX. *An habuerit gratias actuales.* 373
Q. X. *An, & quas virtutes habuerit.* 375

DISPUTATIO VIII.

De dignitatibus, & officiis Chriſti. 381
Q. I. *De gratia, & dignitate capitis, hominum, & Angelorum.* 382
Q. II. *An, & qualis ſacerdos fuerit.* 390
Q. III. *An fuerit verus mediator Dei, & hominum.* 395
Q. IV. *An, & qualis Redemptor.* 399
Q. V. *An, & qualis Rex.* 305
Q. VI. *An legislator, & Judex.* 413
Q. VII. *De aliis titulis, & dignitatibus, & officiis ejus.* 418

DISPUTATIO IX.

De merito, & ſatisfactione Chriſti. 424
Q. I. *An Chriſtus vere, & proprie meruerit.* ibid.
Q. II. *Quando, & quibus actibus meruerit.* 428
Q. III. *An meritum, & ſatisfactio fuerint infinita.* 438
Q. IV. *Quid meruerit vel ſibi, vel nobis.* 445
Q. V. *An meruerit gratiam primis parentibus ante lapſum, & Angelis.* 454
Q. VI. *An meruerit Angelis, & hominibus prædeſtinationem.* 458
Q. VII. *An pro omnibus mortuus, ſeu an omnibus meruerit.* 461
Q. VIII. *Qualis, & quanta fuerit ſatisfactio Chriſti: An fuerit de rigore juſtitiæ.* 468
Q. IX. *An pura creatura potuiſſet ſatisfacere pro redemptione omnium.* 474
Q. X. *De oratione Chriſti.* 479

DIS-

DISPUTATIO X.

DE potentia Chriſti, de cultu, ſeu adoratione ejus, & Sanctorum. 489
Q. I. *An, & qualis ſit potentia Chriſti hominis.* ib.
Q. II. *An, & qualiter ſit adorandus ut homo.* 496
Q. III. *Qualis cultus debeatur imagini, & Cruci Chriſti, ac ſudariis, & aliis ejus reliquiis.* 506
Q. IV. *An, & qualiter B. Virgo, Angeli, & Sancti ſint colendi.* 515
Q. V. *De invocatione, reliquiis, & imaginibus eorumdem.* 521

DISPUTATIO XI.

DE Beatiſſima Virgine Maria. 532
Q. I. *De ſanctitate Mariæ: qualis, & quanta fuerit.* 533
Q. II. *An in B. Virgine fuerit juſtitia originalis, aut fomes peccati.* 544
Q. III. *De virtutibus, & aliis donis B. V.* 548
Q. IV. *De virginitate B. Mariæ: an fuerit perpetua.* 552
Q. V. *De Maternitate ejus, an fuerit vere Mater Dei.* 559
Q. VI. *De morte, reſurrectione, & aſſumptione ejuſdem.*

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS X.

De ineffabili Dominicæ Incarnationis Myſterio.

DIxi *myſterium*, & quidem *a ſæculis abſconditum*, in quo latet ſapientia Dei, quam *nemo principum ſæculi hujus cognovit*: Dixi, *ineffabile*; quia continet Dei *ſupereminentem ſcientiæ claritatem*; ut noverit Religioſus ſtudens huc accedendum oculis, & mente captivandis per fidem, potius quam apertis per lumen rationis; quippe ſuper omnem ſcientiam, & rationem eſt. *Ænigma eſt ſacratiſſimum, quod ſumma potius veneratione ſuſcipiendum, quam humani judicii trutinæ ſubiiciendum*, inquit Cyrillus Alex. Auguſt. autem, & Bernardus illud vocant *mirabilem mixturam*; in ea quippe Deitas, & Humanitas in unitatem Perſonæ conveniunt; & S. Gregorius, *Cardinem, & verticem omnium miraculorum*.

Quæ hucuſque diximus de Deo Uno, & Trino: De operibus ejus, & mundi hujus mirabili opificio: De Angelorum, & hominis creatione, & natura: De Beatitudine, & moribus, reguliſque morum: De peccatis, & gratia; & virtutibus etiam ſupernaturalibus, inutilia ſunt, quantumcumque eximia, & neceſſaria, niſi accedat hujus myſterii fides, & ſcientia. Ideo dicebat Apoſtolus: *Non judicavi meſcire aliquid, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*. Et Chriſtus ipſe docet, non ſufficere ad vitam æternam conſequendam cognitionem Dei Patris, niſi & ipſe cognoſcatur. *Hæc enim eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*

De hoc igitur myſterio ſalutis hic dicturi ſumus, quàm clare, & breviter licebit pro natura, & dignitate materiæ, ipſo ſpiritu docente, qui operatus eſt.

DISPUTATIO PRIMA.

De poſſibilitate, & exiſtentia, & neceſſitate myſterii Incarnationis.

EXiſtentiam, & eſſentiam, & hiſtoriam hujus myſterii compendioſe tradit Apoſtolus, cum vocat illud *magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria*. Hærebimus primo circa ejus poſſibilitatem, & exiſtentiam, & eſſentiam, ſeu quidditatem.

QUÆSTIO PRIMA.

De nominibus hujus myſterii, & poſſibilitate ejuſdem.

CIrca nomen hujus myſterii non immoror: per nomen *Incarnationis* intelligitur unio realis, & hypoſtatica perſonæ Verbi Divini cum humanitate ſingulari in ſua ſpecie, & individualiter completa, ſed non ſubſiſtente propria ſubſiſtentia, ſed per ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem Verbi, ita ut complexum ex illa unione coaleſcens, nempe Chriſtus Dominus, ſit verus Deus, & verus homo ex duabus naturis in unitate reali ſuppoſiti, ſeu perſonæ, in qua duæ illæ naturæ Divina, & humana ſubſiſtunt, & terminantur: nam ut docet Cyrillus, *Tunc Chriſtum intelligimus, cum cogitamus unum in utraque natura; nam hoc utrumque, humanitas ſcilicet, & Divinitas, unus eſt Chriſtus*. Potuiſſet quidem hoc myſterium aliis nominibus appellari, & de facto aliquando appellatur: v.gr. dici poteſt humanatio Verbi: quia hæc unio non fit in ſola carne, ſed in tota, & integra humanitate tàm ſecundum animam, quam ſecundum carnem, & corpus; ſed placuit Spiritui Sancto in Evangelio illud vocare *Incarnationem*, cum dixit, *Verbum caro factum*

ctum eſt. Et, eodem inſpirante,vocabulo eodem utuntur Concilia,& Patres, cæterique Theologi.In Concilio Niceno dicitur, *incarnatus eſt de Spiritu Sancto*, in Symbolo Athanaſii *incarnationis fides præcipitur*, &c. Id nobis ſufficit, ut ſic etiam nos loqui teneamur.

Quoad poſſibilitatem autem videri deberet ſuperflua quæſtio, quandoquidem ſupponitur, & eſt de facto exiſtens; nam *a facto ad poſſe valet conſequentia*; ſed tamen ſeorſim examinatur a Theologis, ut illam exiſtentiam propugnent contra infideles philoſophos, qui eam impugnant quaſi implicantem, & impoſſibilem. Ideo Apoſtolus dicit,hanc ſapientiam *Judæis videri ſcandalum*, *gentibus autem ſtultitiam*.

Diſtinguit Scotus *poſſibile*, aliud *logicum*, quod *eſt modus compoſitionis formatæ ab intellectu*, *cujus termini non includunt contradictionem*, & hoc modo, inquit, *poſſibilis eſt hæc propoſitio*, *Deus poteſt produci*: & hæc, *Deus eſt Deus*. Aliud *phyſicum*, & *reale*, quod *poteſt eſſe terminus alicujus actionis*, *vel potentiæ effectivæ*, *ſic poſſibile eſt alind cœlum*, *alius mundus*, &c.

Rurſus poſſibilitas rei poteſt probari, vel *poſitive* evidenter, cum per rationes poſitivas demonſtratur exiſtentia, vel factibilitas ejus: vel *negative*, ſolvendo evidentes repugnantias, quæ opponuntur. De utroque modo probandi poſſibilitatem incarnationis poteſt eſſe quæſtio; an ſcilicet *poſitive* poſſit demonſtrari, aut ſaltem probabiliter ſuaderi poſſibilitas incarnationis; an *negative*, ſolvendo evidentes repugnantias, quæ opponuntur.

CONCLUSIO I.

P*Oſſibilis eſt incarnatio; poſſibilitas vero iſta non poteſt poſitive demonſtrari, ſicut nec impoſſibilitas.* 1.p. eſt de fide; quoad alias eſt communis.

Prob.1. ex Scoto,[1] qui factam eſſe probat,poſt Auguſtinum, ex Evangelio; & rationes poſſibilitatis examinans, ſic ex propria mente argumentatur; *Si repugnaret perſonæ divinæ ſic aſſumere*, *aut terminare dependentiam naturæ humanæ*, *aut hoc eſſet in quantum eſt perſona*,*aut hæc perſona*,&c. ideſt vel ex parte Verbi aſſumentis, vel ex parte humanitatis aſſumptæ, vel ex

[1] 3.*d*.1.*q*.2.*A*.& *B*.*n*.3. & 4.

parte unionis, ſeu modi, quo aſſumitur; ſed nullum horum dici poteſt; ergo non repugnat, ſed eſt poſſibilis illa Incarnatio, ſive illa aſſumptio. Prob. min. 1. perſonalitas Verbi eſt entitas de ſe independens, ſed *independens in quantum tale poteſt terminare dependentiam alterius ad ipſum*; ergo illa aſſumptio, per quam Verbi perſona terminat dependentiam humanitatis Chriſti ad propriam ſuam perſonalitatē, non repugnat ex parte perſonæ aſſumentis.

Confir. hæc ratio: quia ſi repugnaret ex parte perſonæ divinæ aſſumentis, maxime quia talis unio inferret aliquam imperfectionem in illa, v. gr. compoſitionem, vel mutationem, aut limitationem, aut potentialitatem; ſed nullum horum infert illa unio, ut patebit ſolutione objectionum; ergo non repugnat ex parte aſſumentis.

Prob. 2. illa min. de natura aſſumpta, quia humanitas, & quælibet alia natura creata poteſt eſſe ſine propria ſubſiſtentia; & Deus poteſt impedire, ne fluat ab illa natura, & velle, ut dependeat a ſe, & per ſeipſum ſuppleatur, & terminetur, ut patet ex Metaphyſica: ergo eadem natura poteſt terminari, & ſubſiſtere per alienam, & maxime per divinam.

Confirm. ex dictis ibidem; nam ſubſiſtentia creata conſiſtit in negatione communicabilitatis *ut quo*, & *ut quod* tum actualis, tum aptitudinalis: ſeu Deus poteſt impedire, vel auferre illam incommunicabilitatem humanitatis, uniendo illam ſibi, ſaltem in hoc nulla eſt repugnantia; ergo, &c.

Prob. 3. pars ejuſdem min. nam in tantum illa unio repugnaret in humanitate ad Verbum, in quantum repugnaret illis extremis ſic uniri; ſed non repugnat illis extremis, ut patet; ergo non repugnat ex parte unionis.

Prob. 2. eadem 1. pars concluſionis: nam a facto ad poſſe valet conſequentia; ſed incarnatio de facto exiſtit; ergo poſſibilis eſt: min. patet ex Scriptura pro Chriſtianis, & ex Propheriis, & veteri Teſtamento contra Judæos, & ex aliis motivis credibilitatis contra infideles.

Prob. denique: non implicat incarnatio iſta; ergo poſſibilis eſt. Prob. ant. ſolutione objectionum.

Prob. 2. p. 1. ex dictis in Metaphyſica, ubi probatum eſt,

eſt, diſtinctionem, & ſeparabilitatem ſubſiſtentiæ a natura non poſſe cognoſci naturaliter, nec fuiſſe cognitam, niſi ex fide in myſterio iſto, & ex myſterio Trinitatis.

Confir. Nam incarnatio eſt quid ſupernaturale in ſubſtantia; &, ut dicetur infra, nequidem naturaliter cognoſci poteſt; ergo multo minus probari poteſt ejus poſſibilitas ratione ulla naturali: nam per incarnationem humanitas Chriſti caret propria ſubſiſtentia creata, & non niſi per ſolam ſubſiſtentiam Verbi terminatur, & ſubſiſtit.

Prob.3. pars. Nam poſſibilitas incarnationis eſt vera, & certa de fide; ergo non poteſt demonſtrari, imo nec probari, quod ſit impoſſibilis; nam verum non opponitur vero, nec ratio ulla facit pro falſitate, & mendacio.

Prob. 2. negative per ſolutionem objectionum, quibus videtur probari poſſe impoſſibilitas.

Objic.1.cont.1.& 3. par. Verbum eſt actus purus,& ſimplex, & immutabilis eſſentialiter; ergo illi repugnat incarnatio. Prob.conſ. Non poteſt incarnari ſine compoſitione cum natura, quam ſuppoſitat, nec ſine mutatione: nam ex humanitate, & ſuppoſito Verbi reſultat compoſitum, quod eſt homo Deus, vel Deus homo; & ipſummet Verbum fit caro, quod non erat ante; ſed utrumque repugnat enti, & actui puro, & ſimplici, & immutabili; ergo &c. Prob. min. Nam per nos, ſimplicitas divina excludit eſſentialiter compoſitionem actualem, & poſſibilem; & actualitas, & immutabilitas excludit omnem mutationem, & mutabilitatem intrinſecam. *Ego Deus, & non mutor.*

Reſp. neg.conſ.& diſt.maj. prob. ſine compoſitione, & mutatione aliqua impropria, conc. ſine compoſitione propria, & mutatione intrinſeca, neg.maj. & conſ. ſimiliter diſtincta min. 1. Igitur hæc unio nihil officit divinæ ſimplicitati, quia perſona Verbi non ſe habet ad humanitatem, quam perſonat, & ſuſtentat, ut compars; ſed per modum ſuppoſiti, quod illi intime unitur per modum ſuſtentantis, & terminantis dependentiam ejus ad exiſtere per ſe ultimate ſubſiſtenter. 2. & ob eandem rationem non officit eiſdem Verbi immutabilitati divinæ; nam tota nova entitas, quam importat incarnatio, ſeu unio iſta realis, ſubjectatur

in humanitate, & pure terminatur ad Verbum; ita tamen, ut non minus Verbum ſpeciali, & reali modo quodam ſit vere unitum carni, & hoc active potius, quam paſſive, ſcilicet per volitionem, qua vult humanitatem ſuſtentare ineffabili quadam unione, & communicatione perſonæ ſuæ, ac deitatis, ita ut vere, & phyſice dici poſſit, quod Deus, & homo in eadem perſonalitate Verbi ſubſiſtunt; & quod Deus eſt homo, & homo eſt Deus. De compoſitione iterum dicemus infra.

Inſt. ergo ſemper Verbum aliter ſe habet, & aliquali mutationi ſubjacet, & quidem reali. Prob.ſubſumptum: nam per illam unionem vere dicitur factum caro, & homo, & antea non erat, nec dicebatur.

Reſp. diſt. ſubſ. & ant. prob. aliter ſe habet, & eſt caro ſine aliqua intrinſeca receptione ullius entitatis novæ, conc. per receptionem ullius formæ, vel entitatis intrinſecæ, neg. ant. Nam, ut dicebamus, id totum fit per realem unionem in humanitate receptam, qua elevatur, & unitur vere, ac intime Verbo; & Verbum illam terminat, & perficit ultimate, & vere, ſed ſine receptione formali, & intrinſeca ullius entitatis.

Inſt. 2. Denominatio uniti in Verbo reſpectu humanitatis non eſt pure extrinſeca, ſed intrinſeca; ſed denominatio nova intrinſeca non verificatur ſine nova forma reali adveniente in denominato; ergo vel denominatio incarnati, vel uniti non eſt realis intrinſeca in Verbo; vel fundatur in nova forma reali, & intrinſeca.

Reſp. diſt. min. ſine nova forma in denominato terminata, vel recepta, conc. ſine forma intrinſece recepta, neg. min.& conſeq. Nam ut Verbum (ita eſt de aliis) dicatur vere, & intrinſece unitum, ſufficit,quod adſit realis unio in altero extremo, ſcilicet in humanitate, quæ ad ipſum Verbum terminetur, & ut tam vere illam ſuſtentet, & perficiat, quam ſi hæc unio in eo ſubjective reciperetur: & talis eſt unio hypoſtatica.

Inſt. 3. Si Angelus uniretur alicui humanitati ſingulari, ſicut Verbum unitur humanitati Chriſti, diceretur mutari intrinſece, & reciperet in ſe unionem

æque ac illa humanitas, ſicut anima, & corpus uniuntur duplici unione in ſingulis recepta; ſed non minus intime, & vere humanitas, & Verbum uniuntur, quam uniretur Angelus, & quam corpus, & anima uniuntur. Nam *ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo; ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*, ex Athanaſio; [1] ergo, &c.

Reſp. diſt. min. non minus vere, ſed diverſo modo, conc. eodem modo, neg. min. Ratio diſparitatis, & diverſitatis eſt, quia Angelus, & humanitas ſunt ſubſtantiæ finitæ, & capaces talis formæ, ideoque unio recipitur in utriſque: idem eſt de anima, & corpore, ſed Verbum non eſt capax talis formæ novæ, & ideo ſufficit unio realis in natura, & ad Verbum terminata.

Objic. 2. Verbum incarnari eſt illud ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ in humanitate; ſed hoc repugnat Verbo divino; ergo & incarnatio. Prob. min. Subſiſtentia creata eſt afficiens ſubjectum in genere cauſæ formalis, ſed hoc repugnat Verbo; ergo &c.

Reſp. neg. min. & maj. prob. Nam, ut ſupponitur ex Metaphyſica, ſubſtantiæ munus præciſe, ut ſubſtantia eſt, conſiſtit in complere, & terminare ultimate naturam ſingularem, ita ut reddat illam ulterius incommunicabilem ulteriori ſuppoſito, vel completivo ſubſtantiali; hoc autem non fit inhærendo naturæ illi per modum formæ, & maxime in noſtra ſententia, quæ ponit ſubſiſtentiam in negativo. Verbum igitur dicitur ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ, quatenus illam ſic ultimate perficit, ut non ſit actu, vel aptitudine perfectibilis ulterius, ut diximus ibi.

Objic. 3. Unio hypoſtatica terminari debet ad perſonam divinam, non vero ad naturam; alioqui non diceretur hypoſtatica; ſed talis unio non eſt poſſibilis; ergo nec incarnatio. Prob. min. Ut unio terminetur ad Verbum, & non ad eſſentiam immediate, ita ut deberet dici, *Verbum caro factum*, non autem, *Deitas facta caro*, deberet terminari ad aliquid diſtinctum ab eſſentia realiter; ſed in Deo nihil eſt tale; nam Verbum non diſtinguitur realiter ab eſſentia; ergo, &c.

Reſp. neg. min. 1. & diſt. 2. diſtinctum realiter, aut

[1] *in Symb.*

ſaltem formaliter ex natura rei, neg. realiter ſimpliciter, & abſolute, conc.min. Nam ſicut ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei inter paternitatem, & eſſentiam, ut verum ſit, quod *pater generat*, & quod *eſſentia non generat*, ita ſufficit eadem diſtinctio inter eſſentiam, & perſonalitatem Verbi, ut Verbum dicatur incarnari, & non eſſentia, ſaltem formaliter, & immediate. Videant quomodo ſolvant hoc argumentum, qui negant omnem diſtinctionem a parte rei inter eſſentiam, & perſonalitates divinas.

Objic. 4. Implicat hæc unio ex parte humanitatis; ergo, &c. Prob. ant. Inter unibilia debet eſſe aliqua proportio; ſed nulla eſt inter Verbum, & humanitatem, quia iſta eſt finita, & Verbum eſt infinitum; ergo, &c.

Reſp.diſt.maj. proportio aliqualis habitudinis,conc. perfectionis entitativæ, neg. maj. Inter Verbum, & humanitatem non eſt proportio perfectionis entitativæ, ſed habitudinis, quatenus creatura poteſt elevari ad videndum, & fruendum Deo, & Deus deſcendere poteſt ad intelligendam creaturam. Ita eſt de iſta unibilitate, quæ eſt habitudo dependentiæ ad independens, & perfectibilis ad perfectivum.

Inſt. Si Verbum aſſumeret naturam, vel aſsumeret ſine perſonalitate, vel cum perſonalitate; ſed utrumque implicat; ergo & illud. Prob min. Si cum perſonalitate; ergo eſſent in Chriſto duæ perſonæ, ut ſomniabat Neſtorius: ſi ſine perſonalitate; ergo non aſsumeret totam naturam, quod eſt falſum, & contra SS. Patres. Nam inquit Damaſcenus: *Verbum aſſumpſit totum in homine, quod in eo plantavit*; & præterea perſonalitas non eſt ſeparabilis a natura.

Reſp. neg. min. nam aſsumpſit naturam ſine perſonalitate, & diſt. conſ. prob. non aſsumeret totam naturam quoad omnia poſitiva, & negativa, conc. quoad omnia ſubſtantialia, & poſitiva, neg. conſeq. nam perſonalitas, ut diximus, non eſt de ſubſtantia naturæ, ſed terminus ejus, nec quid poſitivum; falſum eſt etiam, quod ſit inſeparabilis a natura.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De cognoſcibilitate hujus Myſterii.

COgnoſcibilitas incarnationis eſt vel de ejus poſſibilitate, antequam fieret, vel ejus exiſtentia, poſtquam facta eſt: & quæritur, an poſſibilitas incarnationis, vel ejus exiſtentia poſſit lumine naturali cognoſci ab homine viatore, vel etiam ab Angelo.

CONCLUSIO I.

INcarnatio non poteſt naturæ lumine cognoſci ab homine viatore, neque ut poſſibilis futura, neque ut exiſtens, imo & probabile eſt, quòd neque ab Angelo. Videtur non eſſe conformis Scoto quoad ultimam partem.

Prob. tamen ex ipſo (1) quoad priores partes (de ultima videbimus poſtea) nam de intellectu ſeparato negat hanc propoſitionem: *Quodcumque cognitum per fidem excellit quodcumque cognoſcibile naturaliter*: & concedit eam *de cognoſcibili ab intellectu noſtro pro ſtatu viæ*: ſed incarnatio eſt cognita per ſolam fidem; ergo pro ſtatu viæ non eſt cognoſcibilis lumine naturali.

Prob. 2. quoad 1. & 2. par. ex Script. ubi dicitur [2] *myſterium abſconditum a ſæculis, manifeſtatum autem ſanctis ejus*, & vocatur *inveſtigabiles divitiæ Chriſti*, [3] & *diſpenſatio myſterii abſconditi a ſæculis in Deo*. Hæc autem non eſſent vera, ſi poſſet naturaliter cognoſci; ergo, &c.

Confir. ex Conciliis, & Patribus; nam Epheſinum, [4] *ineffabilem*, & *indeprehenſibilem* vocat hanc unionem, quia inquit Tolet. II. *ſi ratione deprehendi poſſet, non eſſet mirabile: ſi exemplo, non eſſet ſingulare*. Et idem docent communiter SS. Patres. Nam inquit Ambroſ. [5] *Abſcondita eſt Dei ſapientia, dum non verbis, ſed in virtute eſt: non humana ratione poſſibilis, ſed ſpiritus efficacia credibilis*: & alibi, *non ſo-*

A 5 *la-*

[1] *4.d.10.qu.8.M.num.12.*
[2] *Coloſſ.1.* [3] *Epheſ. 3.*
[4] *can.13.* [5] *cap.2.Cor.1.*

la admirabilis generatio Chriſti ex Patre, admirabilis etiam generatio ex Matre. Et Dionyſ. (1) *Jeſu in carne apparitio & ineffabilis eſt ſermone, & omni ignota intelligentiæ, ipſi quoque antiquiſſimo Angelorum primati non ſatis perſpecta*.

Prob.3. quia vix ſuppoſita fide, qua credimus poſſibilitatem, & exiſtentiam, poſſumus ſolvere implicantias, quæ objiciuntur ex ratione tum naturali, tum ſupernaturali ex aliis principiis fidei; ergo multo minus poterit naturali lumine cognoſci illa poſſibilitas, vel exiſtentia. Ant. patet ex precedenti, in qua vix ex principiis fidei poſſumus ſalvare, quomodo incarnatio iſta non præjudicet immutabilitati, ſimplicitati, & aliis perfectionibus divinis.

Confir. Nam ut cognoſci poſſet hoc myſterium naturæ lumine, deberet cognoſci 1. humanitas ut ſeparabilis a ſua ſubſiſtentia in ſua ſingularitate, & ſua ſuppoſitabilitas per ſubſiſtentiam perſonæ divinæ. 2. deberet cognoſci naturaliter, quomodo illa natura poſſet ſuppoſitari ab una Trinitatis perſona ſine aliis; & ſic deberet cognoſci totum myſterium Trinitatis. 3. deberet item cognoſci, quomodo ſit poſſibilis tanta unio inter naturas divinam, & humanam infinitè diſtantes in unitate ſuppoſiti ſine illarum mixtione, vel alteratione, &c. ſed hæc longe ſuperant omnem attingentiam intellectus humani, & maximè in via; nihil enim eſt ſupernaturalius in toto ordine gratiæ.

Prob.2.p.de incarnatione peracta, & exiſtente; nam licet hoc factum nobis prædicetur, & per fidei lumen ad ejus exiſtentiæ aſſenſum elevemur, & inclinemur, vix naturæ gravitatem, & inclinationem in contrarium vincimus; ergo longe minus id præſtaremus ex ſolo naturæ lumine.

Confir. ex Script. Nam Judæi, qui hoc myſterium audiverant ex Scripturis, & figuris, & venturum Chriſtum expectabant ardenter, quibus naſcens annuntiatus eſt per Angelos, & Paſtores, qui ejus divinitatem ex miraculis potentiæ, & ſapientiæ viderant, & fatebantur, quod *numquam ſic locutus eſt homo*, & quod *nullus homo poterat facere miracula, quæ ipſe faciebat, niſi Deus eſſet cum eo*; tamen non cognoverunt, ſed ſicut hominem occiderunt, & crimini tribuebant, quod

[1] *de div. nomin. c. 2.*

quod *filium Dei ſe faceret*. Et Chriſtus ipſe illos excuſat apud Patrem propter ignorantiam, *Non enim ſciunt, quid faciunt*; ergo nequidem ut exiſtens poteſt cognoſci hoc myſterium, niſi ex fide.

Prob. denique 3. p. de Angelis ex Scoto, (1) qui, ut dixi, videtur inclinare in contrarium; quatenus *naturaliter potuerunt cognoſcere Chriſtum pati:* & quod *malus Angelus, ſi ei permittatur uti ſua potentia cognitiva naturali, poteſt intelligere quodcumque intelligibile cauſatum; & per conſequens poſſet intelligere cogitationes cordium, & myſteria gratiæ, ex quo poſita ſunt in effectu*, &c. propter hæc, inquam, videtur Doctor velle, quòd Angelus poſſet cognoſcere naturaliter incarnationem, ſi non ut futuram, & poſſibilem, ſaltem ut præſentem; ſupponit tamen eam de facto non fuiſſe cognitam a malis Angelis; quia id eis Deus non permiſit, ſicut nec permittit tam illis, quam aliis cognitionem ſecretorum cordis.

Nihilominus plures Scotiſtæ inſignes non putant hanc eſſe ejus mentem: nam licet doceat, eos cognoſcere naturaliter aliqua myſteria gratiæ jam facta; non tamen omnia, & maxime iſtud, & quidem merito, ut ego conjicio ex verbis ejus alibi dictis, (2) quibus aperte docet 1. *Angelos non cognoviſſe myſterium incarnationis ante Chriſti adventum, & prædicationem Eccleſiæ; ſed quod tamen Angelus, qui annuntiavit incarnationem, novit ipſam, antequam eſſet completa:* & non dixit, quod ipſam cognoverit naturaliter, ſed ex revelatione ſpeciali, per quam miſſus eſt. Imò, cum loquatur de iſto ſolo, videtur excludere alios. Et clarius in quodlibetis (3) negat Angelis cognitionem, ſeu viſionem objecti viſionis ſuæ beatæ, nempe Dei. *Dici poſſet, quòd tam anima, quam Angelus, licet poſſit naturaliter noſcere ſe, quantum eſt imago Dei, ſive ſe eſſe imaginem Dei, quia non poteſt naturaliter cognoſci relatio, niſi naturaliter poſſit cognoſci utrumque extremum*. Quod confirmat ex Auguſtino (4) docente, quod *qui vident ſuam mentem, & in ea trinitatem iſtam, ſcilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem, nec tamen credunt ea, quæ intelligunt eſſe imaginem Dei, ſpeculum quidem vident, ſed non vident per*

A 6 *ſpe-*

[1] *ibid. n.* 10. [2] *d.* 25. *q.* 1. *K. n.* 12.
[3] *quodl.* 14. *EE. n.* 22. [4] 15. *Trin.* 14. *vel* 70.

ſpeculum, ut ſciant id, quod vident eſſe ſpeculum, ideſt imaginem: ergo multo minus videntes Chriſtum videre poterunt unionem humanitatis ejus cum Verbo, nec Verbum ipſum, in quo ſubſiſtit.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, Sathanam non noviſſe Chriſtum, ut Dei filium; ſed tantum dubitaſſe, dum tentavit eum, ut ſciret, *ſi filius Dei es*. Intelligentia autem naturalis tanta eſt in malis, quam in bonis. Item de bonis legitur, quod Chriſtum aſcendentem in cœlum non agnoſcebant; *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Item: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* &c. inquiunt apud Prophetas.

Prob. 3. ex dictis tr. de Angelis; (1) qui cognoſcunt quidem aliquas entitates ſupernaturales ſpectantes ad myſteria gratiæ, inter quas reponit Scotus exiſtentiam Chriſti in Euchariſtia, ſed non omnes, ſaltem ſupernaturales in ſubſtantia, & eas maxime, quæ terminantur ad Deum in ſua Trinitate, ut unio hypoſtatica; ergo, &c.

Confir. Nam Angeli naturali lumine non attingunt clare, & diſtinctè myſterium Trinitatis; ergo nec incarnationis, nam iſtud non poteſt benè cognoſci ſine illo; deberent enim cognoſci tres perſonalitates, & ſubſiſtentiæ relativæ a ſe invicem diſtinctæ realiter in una eſſentia; alioqui neſciri poteſt, quod una perſona poſſit incarnari ſine aliis.

Objic. 1. cont. 1. par. Nulla ratio naturalis dictat incarnationem eſſe impoſſibilem; ergo dictat eſſe poſſibilem. Prob. conſ. Nam inter poſſibile, & impoſſibile non eſt medium; ergo quod non cognoſcitur impoſſibile, debet cognoſci poſſibile.

Reſp. neg. conſ. utramque: nam aliud eſt, quod inter poſſibile, & non poſſibile non ſit medium: & aliud, quod non ſit inter cognoſci, & non cognoſci impoſſibile; nam in his datur medium, nempe negatio utriuſque cognitionis, & judicii, ſeu ignorantia, vel ſuſpenſio judicii. Adde, quod in propoſito de incarnatione ratio naturalis potius dictat impoſſibilitatem, & hoc ſenſu negari poſſet ant.

Objic. 2. Incarnationis poſſibilitas, & exiſtentia eſt evidenter credibilis; ergo & evidenter poſſibilis.

Reſp.

(1) *Diſp. 2. q. 3. concl. ibid.*

Reſp. neg. conſ. Nam credibilitas rei venit ex veracitate dicentis, quæ poteſt patere, & cognoſci naturaliter; ſed poſſibilitas pendet ex cognitione principiorum intrinſecorum rei, & hæc in incarnatione non ſunt cognoſcibilia naturaliter. Præterea revelatio humana de aliquo myſterio ſupernaturali in ſubſtantia ſemper pendet ab aliqua revelatione divina facta hominibus dicentibus: & ita eſt de aliis motivis credibilitatis objectorum fidei.

Objic. 3. Infideles cognoverunt incarnationem etiam ut poſſibilem, & futuram; ergo naturaliter; non enim habebant fidem. Prob. ant. nam ex Clemente Alexandrino D. Paulus probabat Dei exiſtentiam, & Chriſti apud gentiles ex libris eorum, maxime ex Sybillis; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & prob. ejus: cognoverunt confuſe, & ex lectura, vel auditu ex libris Moyſis, & Prophetarum, vel ex aliqua revelatione ſpeciali, con. ex ſolo naturæ lumine, neg. ant. & prob. ejus; nam aliquam rudem umbram de his habere potuerant vel ex traditione ab Adamo per poſteros, cui fuerant revelata, vel ex lecturis librorum legis, & prophetarum, vel ex frequentatione cum Hæbreis, vel denique ex revelatione aliqua ſpeciali divina; ſi tamen, quæ de Sybillis, & aliis hujuſmodi gentilibus dicuntur, vera ſunt; de quo certus non ſum.

Objic. 4. Peritus Philoſophus poſſet evidenter ſolvere omnes implicantias objicibiles contra hoc myſterium; ergo & evidenter inferre ejus poſſibilitatem. Prob. conſ. Nam ſolutis evidenter implicantiis ſic demonſtraret poſſibilitatem ejus. Evidens eſt, poſſibile eſſe, quidquid evidens eſt, non implicare; ſed ex reſponſis evidens eſt, non implicare hanc incarnationem; ergo evidens eſt eam eſſe poſſibilem.

Reſp. 1. neg. ant. nam licet implicantiæ, quas concipimus contra hoc myſterium, non ſint evidentes, vel demonſtrativæ, tamen ſunt valde apparentes; & quæ reſpondentur ad ſolutionem, non planè convincunt, ſed relinquunt in animo aliquam formidinem, & obſcuritatem.

Reſp. 2. diſt. ant. ſolvere negative, conc. poſitive, neg. ant. ſolutio negative conſiſtit in hoc, quod negari poſſint principia, & illationes, quibus aſſeritur impoſſi-

poſſibilitas; quia non ſunt evidentia, nec convincentia: poſitive autem conſiſtit in oſtenſione falſitatis principiorum illorum, & hoc nullus Philoſophus præſtare poteſt naturaliter.

Objic. 1.con. 3.p. Angelus cognoſcit clarè, & naturaliter, incarnationem non implicare; ergo & eſſe poſſibilem. Prob. ant. cognoſcit naturaliter diſtinctionem, & ſeparabilitatem ſubſiſtentiæ creatæ ab humanitate, item independentiam ſubſiſtentiæ Verbi, & quod, volente Deo, humanitas illa fieri poteſt dependens ab iſta ſubſiſtentia, amittendo ſuam; ergo nihil eſt in incarnatione, quod excedat attingentiam naturalem Angeli.

Reſp. neg. ant. utrumque: nam licèt Angelus cognoſceret naturaliter, & evidenter ſeparabilitatem ſubſiſtentiæ ab humanitate, non ideo unibilitatem ejus cum Verbo in tanta diſtantia; nec fortè cognoſcit clare, & diſtinctè myſterium Trinitatis, ut poſſet cognoſcere nec poſſibilitatem, nec exiſtentiam talis unionis cum Verbo, ſeu cum una perſona ſine aliis: non poſſet videre, an illa natura ſubſiſteret propria, vel aliena ſubſiſtentia? An vero ſine ulla ſubſiſtentia conſervaretur a Deo? An per alienam creatam, vel increatam? &c.

Inſt. Angelus cognoſcit naturaliter poſſibilitatem reſurrectionis; ergo & incarnationis; tam enim illa eſt ſupernaturalis, quam iſta.

Reſp. 1. neg. ant. nam cum a ſola Dei voluntate, & potentia pendeat illa poſſibilitas, & non ab ulla cauſa naturali, non ſubeſt attingentiæ naturali Angeli.

Reſp. 2. neg. poſſe conſ. quia reſurrectionis miraculum eſt longè inferioris potentiæ, & ſupernaturalitatis, quam incarnatio; illa eſt ſupernaturalis quoad modum quemdam, iſta undequaque.

Objic. 2. De facto dæmones ſciebant; Chriſtum eſſe Deum, & filium Dei; ſed hoc non ſciebant niſi naturaliter; ergo, &c. prob. maj. nam cum ejiceret eos, dicebant: (1) *Quid nobis, & tibi Jeſu filii Dei?* & exibant clamantia: (2) *Tu es filius Dei*, &c, *ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*: ergo &c.

Reſp. diſt. min. niſi naturaliter quantum ad ſe immediate, conc. min. mediatè, neg. min. & conſ. prob. nam

[1] *Matth.* 8. [2] *Luc.* 4.

nam dæmonibus ab initio ſuæ creationis, & ante lapſum fuerat revelata incarnatio; unde occaſionem ſumpſerunt rebellionis ſuæ, ut multi docent. Item poterant audiviſſe Angelos annuntiantes Chriſti nativitatem, & prophetias de illo; & denique id ſuſpicari poterant ex actibus ejus miraculoſis, maxime ob conformitatem cum prophetiis; tota denique illa cognitio fundabatur in revelationibus ſupernaturalibus.

Igitur non negamus omnem prorſus cognitionem naturalem hujus myſterii immediatam, ſed tantum abſolute, & ſimpliciter, ita quin ſaltem remote ſupponat revelationem vel mediatam, vel immediatam: unde infidelis a doctore fideli, ſive ex libris Chriſtianorum de hoc myſterio poſſet illud cognoſcere, & credere ex fide humana; ita & dæmones, ſed ſemper illæ cognitiones præſupponerent revelationem, ex qua tales cognitiones originem haberent.

CONCLUSIO II.

Suppoſita fide incarnationis, non deſunt rationes, & congruentiæ, & exempla, quibus ejus poſſibilitas ſuadeatur ſaltem probabiliter.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui docet, quod *licet difficile ſit videre aliquam dependentiam eſſe talem* (qualis eſt humanitatis Chriſti ad Verbum) *tamen iſta poteſt patere aliqualiter in ſubjecto, & accidente* &c. ſcil. adducit exemplum ſuſtentationis naturæ per ſuppoſitum Verbi, adducens modum, quo ſubiectum ſuſtentat accidens, cum multis tamen differentiis; nam natura non hæret, nec afficit intrinſece ſuppoſitum Verbi, ſed ejus dependentia pure terminatur ad illud.

Prob. 2. ex Auguſtino, qui hoc myſterium ſuadet, & explicat exemplo animæ rationalis, quæ cum corpore conſtituit hominem. *Nam ſicut in unitate perſonæ anima unitur corpori, ut homo ſit; ita in unitate perſonæ Deus unitur homini, ut Chriſtus ſit.* Eodem exemplo uſus erat Athanaſius in ſymbolo. *Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo; ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus.* Alii probant exemplo arboris inſitæ alteri; nam ex duabus arboribus fit una. Alii exem-

[1] 3.*d*.1.*q*.1.*A*.

exemplo ferri igniti, quod totum videtur ignis; ſed hæc exempla longe imperfectiora ſunt ad hoc ſuadendum, & explicandum, quam exemplum accidentis in ſubjecto, licet iſtud etiam ſuos patiatur defectus. Hinc

Prob.3. nam Deo non poteſt denegari perfectio, quæ reperitur in creaturis; ſed creaturis tribuitur perfectio ſimilis aliquo modo perfectioni, per quam una natura ſuſtentat aliam ſine ſui diminutione: v.g. ſubſtantia ſuſtentat accidentia: anima rationalis, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, ſuſtentat, & vivificat corpus: & ſurculus inſitus alieno trunco fit una arbor, & perficit fructus ejus &c. ergo a fortiori hæc præſtare poterit natura divina per ſubſiſtentiam Verbi, & maxime per hanc ſuſtentationem; quæ nullam importat partialitatem, vel inhærentiam, nec informationem in ſuſtentante: ſed per puram terminationem; & virtutem potius activam, & perficientem.

Prob.4. Nam Deus eſt ſumme bonus: ergo & ſumme communicativus ſui omnibus modis, qui non involvunt manifeſtam implicantiam; ſed quod communicetur humanitati per hanc unionem, qua fiat una perſona cum illa, & eam perficiat, & ſuſtentet, nullam importat implicantiam evidentem, ut probatum eſt; ergo &c.

Denique id ſuadere debent opera Chriſti, nempe quod in humanitate ſit perſona, & virtus divina; ſc. tanta miracula, quæ operatus eſt, & oracula, quæ proferebat, ita ut ipſi Judæi quamvis ex malitia, & invidia excæcati dicerent; *Numquam ſic loquutus eſt homo*. Et; *Non poſſet hic facere opera, quæ facit, niſi eſſet Deus cum illo*. Et Chriſtus ipſe, *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me*. Et, *Operibus credite*, &c.

Dixi autem *probabiliter*; nam certum eſt nullam rationem, vel exemplum ex naturæ lumine poſſe afferri, quæ convincant per ullam evidentiam, etiam ſuppoſita fide, niſi ex ipſis fidei principiis eruantur, ut patet ex dictis; & adhuc facile videbit, qui ea, quæ poſſunt excogitari, ſerio examinabit.

Suppoſita ergo fide 1. intellectus fit expeditior ad reſiſtendum rationibus, quas in contrarium adducunt infideles, aut Judæi, vel hæretici; quia eſt certus de veris

veritate contraria, quam certitudinem habet ex fide. 2. ex principiis fidei excitantur plura motiva, etiam naturalia pro veritate. 3. juvatur etiam motivis extrinſecæ probabilitatis. Porro 1. contra infideles non habemus efficaciorem probationem, quam negativam, ſolvendo eorum implicantias apparentes, & adducendo teſtimonia tot virorum illuſtrium, & ſanctiſſimorum, qui pro hac veritate liberrime vitam dederunt. 2. contra Judæos habemus præcipua teſtimonia ex toto veteri teſtamento, quod illi recipiunt, ex cujus oraculis plura alia ſumi poſſunt argumenta. 3. contra hæreticos habes præterea novum teſtamentum, ex quo deſumi poſſunt alia plura argumenta non levia.

QUÆSTIO III.

De convenientia Incarnationis.

NOn omne poſſibile eſt conveniens, ſaltem ſemper, & apud homines; nam apud Deum puto illum nihil poſſe, quod ei non ſit pure conveniens; non enim poteſt deficere a recto, & bono, nec poteſt errare, aut peccare.

Conveniens aliquando dicitur, quod alicui eſt bonum, ideſt utile, aut jucundum, & ſic incarnatio non eſt proprie utilis Deo, ſed homini, bene vero jucunda; nam Deus non poteſt non ſibi complacere, & delectari in omnibus operibus ſuis. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* De *convenientia* hic loquimur, non quidem phyſica, ſed morali, ut idem ſit, ac *decentia:* hæc rurſus duplex eſt. 1. *juris*, quæ eſt conformitas rei cum lege, ſeu ratione; 2. facti, quæ eſt conformitas, & commenſuratio rei cum regulis, ita ut ſit pulchra, perfecta; uno verbo in pondere, & menſura. Unde ſenſus quæſtionis eſt, an deceat Deum fieri hominem per unionem perſonalem cum humanitate, illam aſſumendo, ſeu ſuſtentando. Ut autem verum fatear, non video quomodo hæc quæſtio differat a præcedenti, & ab ea ſeparetur; nam quidquid dedeceret Deum, eſſet prorſus impoſſibile; unde hæc convenientia ſpectat ad poſſibilitatem, ſaltem reſpectu Dei, *qui omnia in menſura, &*

nu-

numero, & pondere diſponit, & omnia in ſapientia fecit. Ideo gentiles eam impugnant, ut impoſſibilem; quia putant eam Deo indignam, & indecoram.

CONCLUSIO I.

INcarnatio eſt ſumme conveniens Deo. Eſt communis contra infideles; nam inquit Tertullianus, (1) *apud ſapientiam ſæcularem citius creditur Jupiter Taurus, quam Chriſtus factus homo*.

Prob. 1. ex Scoto, (2) qui omnem convenientiam, & rationem eorum, quæ fecit Chriſtus ad redemptionem, reducit ad Dei ordinationem, qui nihil poteſt ordinare, quod non ſit convenientiſſimum. *Dico, quod omnia hujuſmodi, quæ facta ſunt a Chriſto circa redemptionem noſtram, non fuerunt neceſſaria niſi præſuppoſita ordinatione divina, quæ ſic ordinavit fieri*; ergo hoc ipſo quod incarnatio fuit ordinata a Deo, non poteſt non eſſe convenientiſſima. Quod magis patebit ex dicendis de ejus neceſſitate.

Prob. 2. Illud opus ſumme decet Deum, ex quo gloria ejus maxime elucet; ſed ex opere Incarnationis maxime ſplendet gloria Dei per manifeſtationem ſummarum perfectionum ejus; ergo &c. Prob. min. ex Scriptura; nam id canunt Angeli in ejus nativitate: (3) *Gloria in altiſſimis Deo*. Et Eccleſia illud opus vocat, *Magnam gloriam ejus*. Et certe in eo manifeſtantur, & commendantur divina ejus attributa.

1. Bonitas ex perfectiſſima ejus communicatione ad omnes creaturas inferiores, mediante homine, quem in ſe, & in unitatem ſuppoſiti aſſumpſit: (4) *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris*.

2. Charitas eſt amor tum patris, qui *ſic* (5) *dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*: tum ipſius filii, *qui propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati*.

3. Liberalitas; nam *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Certe cum *totus ſit in patre filius, & totus in verbo pater*, nihil ſibi retinuit Deus, quod nobis non contulerit in filio.

4. Omni-

(1) *Lib. de tr.* (2) 2. *d.* 20. *D.* (3) *Luc.* 2.
(4) *Tit.* 3. (5) *Jo.* 3.

4. Omnipotentia, *Hic fecit potentiam in brachio ſuo.* Et ideo dicitur per antonomaſiam opus Dei: *Domine opus tuum*. Nuſquam major apparet potentia ejus.

5. Sapientia, eſt enim *in myſterio iſto abſcondita*, & maxime quia hic *juſtitia, & pax oſculatæ ſunt; miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi*. Et Deus, & creatura ſic mirabiliter uniuntur, ut nec Deitatis majeſtas lædatur, nec creaturæ exilitas abſorbeatur.

6. Juſtitia, & miſericordia; nuſquam enim magis hæc claruit, quam ut non habenti homini unde ſatisfaceret, meritum, & pretium de ſuo ſubminiſtravit; nec illa plus rigoris oſtendit, quam dum divino ſanguine, & vita ſibi ſatisfieri pro vilioris creaturæ offenſa: *Magno æquitatis jure litatum eſt*, inquit Auguſtinus, *nec enim Deus plus exigere ſatisfactionis potuit, cum copioſa fuerit redemptio, nec plus miſericordiæ, vel gratiæ homo, quàm ut gratis redemptus fuerit, ſicut gratis fuerat venundatus*.

7. Patientia, dum *coram tondente ſe Deus velut agnus obmutuit*, & *volens vulneratus eſt propter ſcelera noſtra*, & *ſupra dorſum ejus fabricaverunt peccatores*, &c. ergo nuſquam glorioſius emicuerunt perfectiones divinæ. Unde Joannes, poſtquam narravit Verbi exinanitionem, ſtatim narrat ejus exaltationem. [1] *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam ejus .... plenum gratiæ, & veritatis*.

Objic. 1. Incarnatio dedecet Dei majeſtatem; ergo non eſt conveniens, ſed potius diſconvenientiſſima Deo. Prob. ant. ex Script. *Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens*; ſed nihil magis dedecet majeſtatem, quam ſervitus; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. exinanivit ex virtute, & bonitate, & clementia, & ad majorem gloriæ oſtenſionem, con. ex imbecillitate, aut neceſſitate, vel alio motivo indigno, neg. maj. & min. nam deſcenſus ille, ſc. ex magnitudine virtutis, & ad majorem majeſtatis oſtenſionem non dedecet, ſed ſumme decet majeſtatem. *Dignatus eſt ad noſtra deſcendere, noſque ſuſcipere in corpore ſuo, ut reficeret eadem arte (ſc. ex pulvere aſſumpto) vel poteſtate, qua formaverat*, ait S. Paulinus. (2) *Ad id, quod objectum eſt, deſcenſus eſt.*

[1] Jo. 1. [2] *Epi. 2.*

eſt quædam inſignis, & redundans copia poteſtatis, inquit Nyſſenus; (3) ideo dicitur, quod aſcendit ſuper occaſum, &c. ſc. per deſcenſum, & humiliationem exaltatur.

Inſt. Non minus dedecet Deum velle fieri hominem, quam hominem velle fieri Deum; ſed iſtud infamavit hominem; ergo & illud dedeceret Deum.

Reſp. neg. maj. nam quod Deus ex ſummo pietatis, & gloriæ vertice reſpexerit hominem *in limo profundi*, ut illum elevaret, infinitas ex redundantia bonitatis, & ſine diminutione majeſtatis id fecit; quod autem homo ſimilitudinem Dei ambierit, intolerabilis temeritas fecit. *Cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus*, &c.

Objic. 2. Blaſphematur in Deum, cum illi appingitur corpus, caro, ſanguis, aut aliqua creata effigies; ergo blaſphemia eſt dicere Deum eſſe factum carnem.

Reſp. diſt ant. quando hæc appingimus Deo in depreſſionem, & contemptum Deitatis, quaſi illa ſit corporea, aut carnea, conc. quando id dicimus eſſe per unionem, & aſſumptionem voluntariam ſine præjudicio puritatis, ac majeſtatis divinæ, neg. ant. & conſ. nam in hoc ſecundo ſenſu tribuimus Deo incarnationem.

Objic. 3. Major eſſet bonitatis communicatio, ſi totæ tres perſonæ unirentur ſingulis hominibus; ergo bonitas Dei non apparet ſumma in hoc myſterio.

Reſp. 1. diſt. maj. eſſet major extenſive, con. intenſive, nego: nam intimior, & major unio Dei cum homine non eſt poſſibilis, quam iſta.

Reſp. 2. neg. conſ. non enim prætendimus hic, exhauſtam fuiſſe Dei bonitatem, & ſapientiam, & potentiam, quaſi vero nihil majus efficere poſſint, cum ſint infinitæ; ſed ſufficit, quod opus illud maxime commendet eas, ac deceat.

Objic. 4. Major fuiſſet miſericordia, ſi liberaliter omnibus omnino pepercisſet, & præcipue ſi Angelis æque ac hominibus, non exigendo ullam ab eis, vel pro illis ſatisfactionem; ſed hoc non ita præſtitit per hanc incarnationem; ergo &c.

Reſp. neg. maj. nam miſericordia inde mirabilior, quod ſine juſtitiæ præjudicio miſerias noſtras reparavit,

[1] *ora. catec. c. 4.*

vit, quam ſi abſque ſatisfactione juſtitiæ abſolutos voluiſſet. *Sic miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi.*

Inſt. Juſtitia potius ibi violata eſt; nam ibi innocens pro reo paſſus eſt; ergo nulla ſolutio.

Reſpond. neg. ant. quia paſſus eſt, & *oblatus eſt, quia voluit*, & quidem non in pœnam, ſed in ſolutionem, & ſatisfactionem pro alia. *Quæ non rapui, tunc exolvebam.*

Inſt. 2. Hæc ipſa ſolutio Dei æquitatem dedecebat; quia pro vili creatura, & leviori injuria tantam ſatisfactionem, ſc. filii vitam, exigit; ergo &c.

Reſp. neg. ant. nam, ut ſuppono ex dicendis de ſatisfactione Chriſti, non dedecet Deum ille rigor; quippe offenſa in Deum reparari non poteſt ad æquivalentiam niſi ſatisfactione divina.

CONCLUSIO II.

INcarnatio fuit conveniens tum humanitati, tum toti generi humano, & mundo.

Hæc concluſio probatione non indiget, cum ſole clarior ſit, nec poſſunt ignorari beneficia infinita, quæ ex hoc myſterio in hominem derivarunt.

1. Etenim homo, & mundus totus liberatus eſt a dæmonis tyrannide. (1) *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli, & princeps mundi hujus ejiciatur foras*: Et, *Ipſe eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ.*

2. Liberavit nos a morte æterna, ut vitam æternam conſequamur: [2] *& ſicut per unum hominem mors intravit in omnes; ita & per Chriſtum omnes vivificabuntur.*

3. Emundat nos a ſordibus peccatorum, & reconciliat nos Deo, nam *ſanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*. Et, *Ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia.* Mitto alia beneficia tam ſpiritualia, & ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ, quam temporalia, quæ inde abundanter fluunt.

4. Hinc ſumma dignitas hominis declaratur, non ſolum ex unione, & fœdere humanitatis noſtræ, & carnis cum Deo, ad quod fœdus elevata eſt per Incarna-

[1] *Coloſs.* 1. (2) *Rom.* 5. & 1. *corin.* 15.

nationem Verbi; ſed etiam ex pretio perſoluto pro noſtra redemptione; nam ex rerum pretio colligitur earum excellentia, dignitas, & valor; ſicut minori pretio redimitur gregarius miles, quam imperator.

Denique toti univerſo conveniens, & utiliſſima fuit; nam inquit D. Paulus, *Inſtaurat omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt in ipſo*, ſcil. Angelorum reparat ruinas, & replet ſedes vacuatas per rebellionem Luciferi, & habent in Chriſto caput, & in homine velut in capite honorantur, & reparantur cæteræ omnes partes inferioris mundi hujus.

Obiic. 1. Convenientius fuiſſet uniri naturæ Angelicæ, quam humanæ; ergo ex parte hominis non fuit convenientiſſima. Prob. ant. nam non minus Angeli peccaverunt, & longe ſunt digniores homine; ergo magis decebat Angelorum aſſumptio, & redemptio.

Reſp. neg. antec. & conſ. prob. quod ut melius pateat, ſit

CONCLUSIO III.

Convenientior fuit aſſumptio naturæ humanæ, quam Angelicæ. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hanc convenientiam redemptionis humanæ præ Angelica probat; quia tota ſpecies humana cecidit, non autem Angelica: *Teneo hanc reſponſionem, quod quia tota ſpecies humana cecidit, ideo magis debuit reparari*, (ut de facto contigit) [2] *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*.

Confir. hæc ratio ex Patribus; nam inquit Athanaſius, (3) *Indignum erat bonitati Dei, ut quæ ab ipſo creata eſſent in interitum abirent ob Diaboli adverſus hominem fraudem*.

Alia congruitas eſt, quia peccatum hominis levius fuit, & divina miſeratione dignius; quia homo fragilior, & Angelus magis ex malitia peccavit.

3. Quia Angelus proprio motu ſuperbiæ ſuæ, ac amoris ſui, & quaſi ſine occaſione peccavit; homo vero tentatus, & ſeductus a diabolo, & uxore.

4. Quia ſinguli Angeli propria voluntate peccarunt, homines vero omnes, præter Adamum, pecca-

[1] 3.*d*.20.*n*.12. [2] *Hebr*.2. [3] *lib.de Incar*.

carunt voluntate aliena, & in uno parente; ergo digniores erant iſti, ut per unius obedientiam juſtificarentur.

5. Quia, ſicut in homine omnes creaturæ aliquā ratione uniuntur, & repræſentantur, ſcilicet Angeli in anima, & corporalia omnia, ſcilicet Elementa, Plantæ, & animantia in corpore; ita in homine cuncta honorantur, & quaſi reparantur omnes creaturæ.

Optima, & deciſiva ratio eſt, quia placuit Deo, cui nihil non congruentiſſimum, & æquiſſimum placere poteſt.

Objic. Natura Angelica propius accedit ad Divinam; ergo magis erat unibilis Deo. Prob. conſ. quæ magis ſunt ſimilia, ſunt magis unibilia: nam, inquit S. Iſidorus, [5] *Quanto ſubtilior eſt natura, tanto plenius aſſiſtit ad ſimilitudinem divinæ unitatis expreſſa*; ſed Angelus eſt ſimilior divinæ; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. maj. prob. cæteris paribus, conc. ſi aliunde adſint rationes inæquales, neg. maj. nam congruentiæ allatæ rationem prælationis fundant pro homine. Quidam negant min. & repeퟁriunt plus ſimilitudinis cum Deo in homine, quam in Angelo; quia dicit Deus, *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*. Sed mihi videtur facilior prima ſolutio.

Objic.2. Miſeria eſt major in Angelis; ergo in eorum redemptione magis commendaretur Dei miſericordia; ergo & magis congruebat. Prob. antec. nam graviora ſunt eorum peccata, & pœnæ.

Reſp. neg. conſ. non enim ex ſola gravitate miſeriæ menſuratur congruitas miſericordiæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonarum, & ex aliis, quæ magis movent ad miſerandum, & hæ ſunt congruentiores pro homine, v.g. quia minus habuit malitiæ, minus obſtinationis, & ſuperbiæ, minus gratiæ, & virtutis ad reſiſtendum, & denique tota ejus ſpecies, & natura perierat.

CON-

[1] *de Trin.*

CONCLUSIO III.

Incarnatio fuit etiam conveniens ex parte Verbi Divini, ſeu perſonæ divinæ Incarnatæ.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Incarnatio competit Filio, ut diſtinguitur a Patre; quia convenit ſibi per proprietatem ejus ſecundum quod diſtinguitur a Patre*; quod quidem dicit, ut probet patrem non poſſe aſſumere eandem naturam, quæ jam aſſumpta eſt a Verbo; ſed non minus inde colligitur eam aſſumptionem convenire Verbo, prout facta eſt; licet potuerit etiam aſſumi diviſive a Patre, & Spiritu S.

Prob. 2. Variis convenientiis, quæ afferri ſolent a Theologis. 1. quia ſicut *omnia per ipſum verbum facta ſunt*, ita & per ipſum reparata. 2. quia unio eſt ſimilium; ſed Verbum ex vi generationis æternæ procedit ut imago patris, & homo creatus eſt juxta illam imaginem, & ſimilitudinem; & hæc imago, & ſimilitudo fuit maculata per peccatum: ergo per eandem imaginem primam debuit reformari. 3. quia idem homo per peccatum amittendo gratiam amiſit filiationem Dei adoptivam: ergo congruebat, ut per filium naturalem illa dignitas, aut via ad illam homini reſtitueretur. 4. ut eadem perſona, quæ in Deo eſt filius ab æterno, eſſet etiam filius Virginis in tempore ad vitandam confuſionem filiationum.

5. Quia homo aliquo ſenſu ſpecialiter peccavit in verbum, volens fieri ſimilis Deo, maxime in ſapientia, & ſcientia. *Eritis ſicut Dii ſcientes*, &c. ergo *Verbo, cui ſpecialius fit injuria, convenientius tribuitur culpæ vindicta, vel indulgentia*; inquit Anſelmus. (2) 6. Quia Verbum in Deo eſt prima, & ſubſtantialis loquutio Patris, per quam ſeipſum exprimit, & manifeſtat; ergo & ipſummet verbum debuit in tempore eundem patrem hominibus manifeſtare, & prædicere. [3] *Noviſſime loquutus eſt nobis in filio.*

Objic. 1. Deo patri creatio, formatio effectiva, & generatio activa propriæ ſunt, vel appropriantur; ergo potius per eum homo debuit reparari, reformari, & regenerari in adoptionem filiorum, & reſtitui in jure hæreditatis.

Reſp.

[1] *3.d.1.q.2.n.1.* [2] *L. cur Deus homo, c.9.* [3] *Heb.1.*

Reſp. diſt. conſ. reparari effective, conc. formaliter, & meritorie, & executive, nego conſ. ſicut potentia appropriatur Patri, & quædam primitas, & auctoritas originis; ita active, & directive illi tribuitur activa Incarnatio, & miſſio Verbi; & ſicut filiatio, ſecundum modum noſtrum loquendi, ſonat quandam obedientiam, & ſubjectionem ad patrem; ita Incarnationis, & Redemptionis executio tribuitur filio. Pater auctoritative aliquo modo [1] *Miſit filium ſuum, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*.

Objic.2. Effectus omnes incarnationis magis appropriantur Spiritui S. nempe infuſio gratiarum, & luminis fidei, & donorum, juxta illud; *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.... Alii datur per Spiritum ſermo ſapientiæ: Spiritus S. docebit vos omnia*, &c. ergo magis incarnatio conveniebat Spiritui S.

Reſp. diſt. ant. appropriantur quaſi miniſterialiter, & effective, conc. formaliter, & meritorie, neg. ant. & conſ. nam ſpiritus hæc operatur quaſi miniſter patris, & filii, a quibus mittitur ad hæc operanda. *Quem mittet pater in nomine meo; & quem mittam vobis a patre*, &c. *ille docebit vos*, &c. Filius autem formaliter, & per ſeipſum docuit, & meruit nobis illas gratias; *& factus eſt ſapientia a Deo, & ſanctificatio*, ſc. formalis, exemplariter, & meritorie.

CONCLUSIO IV.

INcarnatio fuit etiam conveniens ratione temporis.

Prob. 1. Incarnatio fieri potuit vel ab initio, vel in fine temporum, vel in medio; ſed non conveniebat eam fieri nec ab initio, nec in fine; ergo convenienter facta eſt circa medium. Prob. min. 1.quoad initium. 1. non ante peccatum: quia medicina non datur ante morbum, & quia potuiſſet tantum beneficium recipi ut debitum, & neceſſarium potius, quam gratuitum. 2. ex ſapientia, quia tantum bonum debuit aliquandiu peti, deſiderari, & expectari, ne velut debitum naturæ ſine gratitudine reciperetur. 3. Ex juſtitia; nam non decebat, ut ſtatim

[1] *Gal.4.*

poſt peccatum homo tam grandi beneficio donaretur; ſed per diverſas miſerias, & pœnas peccati ſui gravitatem agnoſceret, & gratiæ divinæ neceſſitatem experiretur. 4. Quia plenum adeo beneficium non debuit ab initio paucis admodum hominibus exhiberi, v. gr. Adamo, & Evæ, qui recenter demeruerant, aut eorum paucis filiis, a quibus memoria illius periiſſet.

Prob. 2. p. ejuſdem min. nam 1. medicina non debuit differri uſque ad extremum morbi, & poſtquam ex eo innumera hominum multitudo, imo & fere tota periiſſet bonorum, ita medium temporis ſaltem erat tempus gratificationis in infidelitate, & ignorantia, & perverſitate, qualiter ante Chriſtum peribant fere omnes per univerſum orbem, ſi paucos Iſraelitas exceperis, qui Deum verum agnoſcebant. 2. ſicut finis mundi erit tempus glorificationis, in quo media ad gloriam promerendam ſubminiſtrarentur; ergo incarnatio non debuit fieri nec ab initio temporis, nec in fine, ſed eo tempore, quo peracta eſt, nempe in medio temporum, poſtquam homines diu Meſſiam deſiderarunt, & poſtularunt, ac neceſſitatem ejus experti ſunt, & antequam ulterius ingraveſceret humani generis morbus, infidelitas, malitia, depravatio, & fieret incurabilis.

Confir. ex Script. quæ docet hoc factum, [1] *ubi venit plenitudo temporis*: Et [2 *in medio temporum*: nam incarnatio aliquo ſenſu dicitur facta in plenitudine, & medio temporis. Quod ut capias,

Suppono, tempus, ſeu durationem mundi habere ſex ætates notabiliores. 1. eſt a die creationis uſque ad diluvium per annos 1656. 2. a diluvio, ſeu a Noemo uſque ad Abraham per annos 322. 3. ab Abraham uſque ad David, per annos 941. 4. a David uſque ad captivitatem Babylonis. 470. 5. ab illa captivitate uſque ad Chriſtum ann. circiter 600. 6. a Chriſto uſque ad finem mundi, cujus duratio eſt incerta, & pendet a voluntate Dei. Unde ſequitur, quod incarnatio contigit anno a creatione 3989. a diluvio 2333. a nativitate Abrahæ 2011. ab unctione David 1070. Alii tamen aliter numerant hos annos; nobis autem ſufficiat

[1] *Gal.* 4.
[2] *Abac.* 3.

ficiat communis ſupputatio; de reliquis viderint chronologi.

Objic. 1. Convenientius videbatur tam periculoſo morbo quam primum mederi; quia *ſero medicina paratur*, & non periiſſent tot homines defectu remedii, & gratiarum, & prædicantium, & ex ignorantia veri Dei; ergo non contigit tempore convenienti.

Reſp. neg. ant. Nam ex diſpoſitione ægrotantium debuit differri, ne ſc. contemneretur remedium ex præſumptione, & ſuperbia, ſi ante petitum, & deſideratum medicum, & medicinam ſanarentur; imo & ante cognitam morbi gravitatem, & medici neceſſitatem.

Inſt. ſaltem ſi veniſſet Chriſtus ab initio, plures ſalvati eſſent, qui ejus defectu perierunt; ergo convenientius erat ab initio mundi poſt ruinam.

Reſp. neg. conſ. nam dato quod plures ſalvati eſſent, id quidem expediebat bono privato illorum, ſed non bono communi univerſitatis humanæ, vel gloriæ Dei, & juſtitiæ; nam qui perierunt, id paſſi ſunt ſua culpa; & maxime quia in ſingulis ætatibus non defuerunt media ſalutis.

Objic. 2. Sufficiebat Chriſti adventus unicus in fine mundi; ergo tunc convenientior erat. Prob. antec. nam uſque ad illud tempus ſalvari poterant per eadem, aut alia efficaciora media, quæ non deerant ſapientiæ, & bonitati Dei; & non debebat fieri per plures Chriſti adventus, quod fieri poterat per unicum.

Reſp. neg. conſ. nam debemus dicere convenientius fuiſſe hæc fieri eo modo, & tempore, quo placuit Dei bonitati, & ſapientiæ; quæ eſt regula firma, & infallibilis convenientiæ.

QUÆSTIO IV.

De neceſſitate incarnationis.

NEceſſitas alia eſt *abſoluta*, quæ conſiſtit in hoc, quod res aliter eſſe non poſſit vel quoad eſſe, vel quoad modum; ſic Deus abſolute, & ſimpliciter eſt neceſsarius. Alia *conditionata*, qua fit, ut ſuppoſita aliqua conditione res aliter eſse non poſſit; ſic po-

ſita applicatione ignis ad ſtupam, hæc non poteſt non comburi. Et rurſus *hæc neceſsitas* alia eſt *ſimpliciter*, qua fit, ut ſuppoſita conditione non poſſit aliquid fieri ullo modo ſine re, quæ dicitur neceſſaria; ſic ſine lumine non poteſt videri color: Alia *ſecundum quid*, quando finis quidem ſine re, quæ dicitur neceſſaria, poſſet quidem haberi, ſed non tam facile, vel perfecte; ſic equus, vel currus eſt neceſſarius ad itinerandum; nam licet pedibus poſſet iter confici, non tamen tam facile, vel tam cito, vel tam commode, aut perfecte: Alia etiam dicitur *phyſica*, quæ oritur ex principiis intrinſecis rei, & qua fit, ut non poſſit aliter ſe habere; & hæc coincidit cum *abſoluta*: alia *moralis*, qua fit, ut vix aliter finis haberi poſſit; & ſic coincidit cum neceſſitate *ſecundum quid*.

Igitur poſtquam vidimus, incarnationem eſse convenientem Deo, & homini, nec dedecere ex ullo capite, quærimus, an fuerit neceſsaria vel *abſolute* ex parte Dei, quaſi non potuerit abſtinere ab hoc opere; aut ſaltem *conditionate*, quaſi non potuerit aliter redimere hominem: Tum ex parte hominis, quaſi non potuerit aliter redimi, aut ſalvari, & hoc *abſolute*, & *ſimpliciter*, vel ſaltem *ſecundum quid*, ſc. ita perfecte, aut commode.

Suppono autem 1. finem, ad quem poteſt conſiderari hæc neceſſitas, eſse vel gloriam Dei, vel utilitatem, & ſalutem, & redemptionem noſtram. Et quæritur, ex quo capite incarnatio poſſit dici neceſsaria, & qua neceſſitate.

Suppono autem ex dictis tract. 1. Deum non agere ad extra, niſi libere, & contingenter, etiam quoad optimum, ita ut non ſolum recte faciat quidquid facit, ſed etiam inter plura bona, quæ poteſt facere, ſit liber reſpectu minoris æque, ac reſpectu majoris boni; ſeu non neceſſitetur ad optimum. Unde cenſemus, Deum potuiſse facere alios, & alios in infinitum meliores mundos tam in eadem ſpecie, quam in diverſis ſpeciebus; & ſic neceſſitas incarnationis, & redemptionis, ſi quæ illa ſit, non poteſt ſe tenere ex parte Dei, præciſo ejus decreto libero, & determinatione æterna. His poſitis, ſit

CON-

CONCLUSIO I.

I*Ncarnatio non fuit abſolute neceſſaria neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, etiam ſuppoſito lapſu hominis per peccatum*. Eſt communis contra paucos, qui volunt, Deum neceſſario velle, & facere, quod eſt optimum; nam conſequenter debent dicere, illum non potuiſse non facere hoc opus, nempe Chriſtum propter ſuam ſummam excellentiam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod quæ facta ſunt in Chriſto circa redemptionem noſtram, non fuerunt neceſſaria, niſi præſuppoſita ordinatione divina; & tunc fuit tantum neceſſaria incarnatio neceſſitate conſequentiæ.*

Prob. 2. ex Script. qua conſtat Deo fuiſse liberum relinquere hominem in ſua perditione. [2] *Quis tibi imputaverit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Et comparatur figulo, qui ſine injuria facit, quod placet de opere ſuo. [3] *Numquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere domus Iſrael?* id eſt, diſſipare vos, ſicut iſte diſſipavit vas, quod faciebat, & aliud facere?

Confir. ex Patribus: nam, inquit S. Leo, [4] *Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, utraque ſane, & omnipotentia, & clementia in opere ſuo, ſc. homine refingendo,* (per redemptionem) *enituit*. Et S. Paulinus, [5] *Nemo niſi artifex operis ſui potens eſt, & figulo tantum in argillam ſuam jus eſt. Ita Dominus omnium, qui omnes fecerat, dignatus eſt ad noſtra deſcendere, noſque recipere in corpore ſuo, ut nos reficeret eadem arte, vel poteſtate, qua fecerat;* ergo ſicut non neceſſitatus eſt ad faciendum, ita nec ad redimendum.

Prob. 3. Nam incarnatio eſt opus ad extra; ſed Deus in tempore, & ad extra *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, & contingenter, non autem ex neceſſitate, ſaltem antecedente; ergo &c.

Confir. Non enim apparet, unde peteretur illa neceſſitas; ergo gratis aſseritur: ant. patebit ſolutione objectionum.

[1] 3. *d*. 20. *D*.
[2] *ſap*. 1. [3] *Jerem*. 18.
[4] *ſer*. 2. *de nat*. [5] *Ep*. 2.

Objic. 1. Deus non poteſt non velle bonum infinitum; ſed incarnatio eſt bonum infinitum; ergo neceſſario volita eſt a Deo. Prob. min. nam Chriſtus eſt infinite bonus, & amabilis.

Reſp. neg. min. abſolute: non enim ipſa unio hypoſtatica, nec humanitas ſunt bona abſolute, & ſimpliciter infinita, ſed extrinſece, & ratione termini, ſc. Deitatis, ad quam terminatur illa unio mediante ſubſiſtentia Verbi. In ſe autem utraque eſt quid finitum.

Objic. 2. Opera Dei ſunt neceſſaria neceſſitate immutabilitatis in tempore; ergo & incarnatio. Prob. ant. nam decreta Dei non poſſunt non impleri; ſed incarnatio fuerat decreta ab initio; imo ex Scoto, *eſt primum opus prædeſtinatum*, & *decretum*; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. vel ſic diſtinguo; eſt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, & ex ſuppoſitione decreti de illa operanda, conc. neceſſitate abſoluta, & antecedenti, neg. conſ. Certe ſuppoſito, quod Deus decreverit creare Petrum, hic neceſſario fiet: & ſic eſt de incarnatione; ſed non loquimur de hac neceſſitate, ſed de abſoluta, & antecedenti, quæ veniat vel ex natura voluntatis divinæ; quaſi ex ſe fuerit determinata ad id volendum; vel ex parte hujus operis, quaſi ex ſe exigeret, & determinaret Deum ad volitionem ſui, aut non potuerit Deus permittere peccatum, vel decernere hominis ſalutem, niſi volendo, vel operando incarnationem iſtam.

Objic. 3. Non decebat Dei bonitatem relinquere totam ſpeciem humanam in perditione; ſed ſuppoſito peccato, non poterat hominem ſalvare ſine iſta redemptione; ergo hæc fuit neceſſaria ſuppoſito peccato. Maj. patet; nam Deus fecerat hominem, ut pertingeret ad finem ſuum ultimum, qui eſt beatitudo, & hanc non poterat conſequi ſtante peccato ſine redemptione. Prob. min. non poterat aliter redimi homo a peccato, quam per pretium ſanguinis Dei; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam ſuppoſito peccato, & decreto antecedenti ad prævisionem ejus de ſalvandis prædeſtinatis, adhuc poterat Deus eos ſalvare, vel liberaliter eis condonando peccatum, vel per aliam ſatisfactionem redimendo, ut ſuppono ex dicen-

dis

dis de ſatisfactione Chriſti. Idem dico de reparatione, & impletione ſedium Angelorum, etiamſi a Deo fuiſſet decreta.

CONCLUSIO II.

INcarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria etiam ſuppoſito ſimplici decreto redimendi hominem a peccato per aliqualem ſatisfactionem; ſed tantum ſecundum quid, & moraliter. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui nullam aliam neceſſitatem agnoſcit, niſi immutabilitatis, & conſequentiæ, ſc. ex ſuppoſitione decreti de incarnatione Verbi. *Non fuerunt neceſſaria, niſi præſuppoſita ordinatione divina*, ſc. de redimendo, & ſalvando homine, ſicut eum de facto ſalvat.

Prob. 2. ex Script. quæ hoc opus, ut redemptio eſt, tribuit puræ, ac liberali charitati Dei, qui [2] *ſic dilexit mundum, ut filium ſuum daret, ut ſalvetur mundus per ipſum*. Et *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum miſit* &c. Et, *iſte propter nimiam ſuam charitatem, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati* &c. Et, *Secundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit* &c. Et, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* &c.

Prob. 3. ex SS. Patribus; nam, inquit Athanaſius, [3] *poterat ſine adventu Chriſti ſolummodo loqui Deus, & ſolvere maledictionem*. Et S. Leo, [4] *Verax miſericordia Dei, cum ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione juſtitiæ*. Et S. Auguſtinus: [5] *Sunt ſtulti, qui dicunt; non poterat aliter Dei ſapientia liberare, niſi ſuſciperet hominem* &c.

Prob. denique ratione jam allata: nam Deus eſt liberrimus in ſuis actibus ad extra: & non deerant ejus ſapientiæ plures alii modi, quibus redimeret hominem a peccato, & pœnis ejus; ergo poterat eligere quemvis alium modum. 1. pars ant. patet ex dictis de libertate Dei. Prob. 2. p. nam 1. poterat liberaliter dimittere culpam; ut ipſe laudat in hominibus hunc

[1] *Ibid.* [2] *Jo.3.* [3] *ſerm.3.cont. Arrian.*
[4] *ſerm.2.nativ.* [5] *l.de ago. Chriſti* 11.

CONCLUSIO III.

INcarnatio fuit etiam conveniens ex parte Verbi Divini, ſeu perſonæ divinæ Incarnatæ.

Prob.1. ex Scoto: [1] *Incarnatio competit Filio, ut diſtinguitur a Patre; quia convenit ſibi per proprietatem ejus ſecundum quod diſtinguitur a Patre*; quod quidem dicit, ut probet patrem non poſſe aſſumere eandem naturam, quæ jam aſſumpta eſt a Verbo; ſed non minus inde colligitur eam aſſumptionem convenire Verbo, prout facta eſt; licet potuerit etiam aſſumi diviſive a Patre, & Spiritu S.

Prob.2. Variis convenientiis, quæ afferri ſolent a Theologis. 1. quia ſicut *omnia per ipſum verbum facta ſunt*, ita & per ipſum reparata. 2. quia unio eſt ſimilium; ſed Verbum ex vi generationis æternæ procedit ut imago patris, & homo creatus eſt juxta illam imaginem, & ſimilitudinem; & hæc imago, & ſimilitudo fuit maculata per peccatum: ergo per eandem imaginem primam debuit reformari. 3. quia idem homo per peccatum amittendo gratiam amiſit filiationem Dei adoptivam: ergo congruebat, ut per filium naturalem illa dignitas, aut via ad illam homini reſtitueretur. 4. ut eadem perſona, quæ in Deo eſt filius ab æterno, eſſet etiam filius Virginis in tempore ad vitandam confuſionem filiationum.

5. Quia homo aliquo ſenſu ſpecialiter peccavit in verbum, volens fieri ſimilis Deo, maxime in ſapientia, & ſcientia. *Eritis ſicut Dii ſcientes*, &c. ergo *Verbo, cui ſpecialius fit injuria, convenientius tribuitur culpæ vindicta, vel indulgentia*; inquit Anſelmus. (2) 6. Quia Verbum in Deo eſt prima, & ſubſtantialis loquutio Patris, per quam ſeipſum exprimit, & manifeſtat; ergo & ipſummet verbum debuit in tempore eundem patrem hominibus manifeſtare, & prædicere. [3] *Noviſſime loquutus eſt nobis in filio*.

Objic. 1. Deo patri creatio, formatio effectiva, & generatio activa propriæ ſunt, vel appropriantur; ergo potius per eum homo debuit reparari, reformari, & regenerari in adoptionem filiorum, & reſtitui in jure hæreditatis.

Reſp.

[1] 3.*d*.1.*q*.2.*n*.1. [2] *L. cur Deus homo, c.* 9. [3] *Heb.* 1.

Reſp. diſt. conſ. reparari effective, conc. formaliter, & meritorie, & executive, nego conſ. ſicut potentia appropriatur Patri, & quædam primitas, & auctoritas originis; ita active, & directive illi tribuitur activa Incarnatio, & miſſio Verbi; & ſicut filiatio, ſecundum modum noſtrum loquendi, ſonat quandam obedientiam, & ſubjectionem ad patrem; ita Incarnationis, & Redemptionis executio tribuitur filio. Pater auctoritative aliquo modo [1] *Miſit filium ſuum, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Objic.2. Effectus omnes incarnationis magis appropriantur Spiritui S. nempe infuſio gratiarum, & luminis fidei, & donorum, juxta illud; *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. ... Alii datur per Spiritum ſermo ſapientiæ: Spiritus S. docebit vos omnia*, &c. ergo magis incarnatio conveniebat Spiritui S.

Reſp. diſt. ant. appropriantur quaſi miniſterialiter, & effective, conc. formaliter, & meritorie, neg. ant. & conſ. nam ſpiritus hæc operatur quaſi miniſter patris, & filii, a quibus mittitur ad hæc operanda. *Quem mittet pater in nomine meo; & quem mittam vobis a patre*, &c. *ille docebit vos*, &c. Filius autem formaliter, & per ſeipſum docuit, & meruit nobis illas gratias; & *factus eſt ſapientia a Deo, & ſanctificatio*, ſc. formalis, exemplariter, & meritorie.

CONCLUSIO IV.

Incarnatio fuit etiam conveniens ratione temporis.

Prob. 1. Incarnatio fieri potuit vel ab initio, vel in fine temporum, vel in medio; ſed non conveniebat eam fieri nec ab initio, nec in fine; ergo convenienter facta eſt circa medium. Prob. min. 1.quoad initium. 1. non ante peccatum: quia medicina non datur ante morbum, & quia potuiſſet tantum beneficium recipi ut debitum, & neceſſarium potius, quam gratuitum. 2. ex ſapientia, quia tantum bonum debuit aliquandiu peti, deſiderari, & expectari, ne velut debitum naturæ ſine gratitudine reciperetur. 3. Ex juſtitia; nam non decebat, ut ſtatim

[1] *Gal.4.*

poſt peccatum homo tam grandi beneficio donaretur; ſed per diverſas miſerias, & pœnas peccati ſui gravitatem agnoſceret, & gratiæ divinæ neceſſitatem experiretur. 4. Quia plenum adeo beneficium non debuit ab initio paucis admodum hominibus exhiberi, v. gr. Adamo, & Evæ, qui recenter demeruerant, aut eorum paucis filiis, a quibus memoria illius periiſſet.

Prob. 2. p. ejuſdem min. nam 1. medicina non debuit differri uſque ad extremum morbi, & poſtquam ex eo innumera hominum multitudo, imo & fere tota periiſſet bonorum, ita medium temporis ſaltem erat tempus gratificationis in infidelitate, & ignorantia, & perverſitate, qualiter ante Chriſtum peribant fere omnes per univerſum orbem, ſi paucos Iſraelitas exceperis, qui Deum verum agnoſcebant. 2. ſicut finis mundi erit tempus glorificationis, in quo media ad gloriam promerendam ſubminiſtrarentur; ergo incarnatio non debuit fieri nec ab initio temporis, nec in fine, ſed eo tempore, quo peracta eſt, nempe in medio temporum, poſtquam homines diu Meſſiam deſiderarunt, & poſtularunt, ac neceſſitatem ejus experti ſunt, & antequam ulterius ingraveſceret humani generis morbus, infidelitas, malitia, depravatio, & fieret incurabilis.

Confir. ex Script. quæ docet hoc factum, [1] *ubi venit plenitudo temporis*: Et [2 *in medio temporum*: nam incarnatio aliquo ſenſu dicitur facta in plenitudine, & medio temporis. Quod ut capias,

Suppono, tempus, ſeu durationem mundi habere ſex ætates notabiliores. 1. eſt a die creationis uſque ad diluvium per annos 1656. 2. a diluvio, ſeu a Noemo uſque ad Abraham per annos 322. 3. ab Abraham uſque ad David, per annos 941. 4. a David uſque ad captivitatem Babylonis. 470. 5. ab illa captivitate uſque ad Chriſtum ann. circiter 600. 6. a Chriſto uſque ad finem mundi, cujus duratio eſt incerta, & pendet a voluntate Dei. Unde ſequitur, quod incarnatio contigit anno a creatione 3989. a diluvio 2333. a nativitate Abrahæ 2011. ab unctione David 1070. Alii tamen aliter numerant hos annos; nobis autem ſufficiat

[1] *Gal.* 4.
[2] *Abac.* 3.

ficiat communis ſupputatio; de reliquis viderint chronologi.

Objic. 1. Convenientius videbatur tam periculoſo morbo quam primum mederi; quia *ſero medicina paratur*, & non periiſſent tot homines defectu remedii, & gratiarum, & prædicantium, & ex ignorantia veri Dei; ergo non contigit tempore convenienti.

Reſp. neg. ant. Nam ex diſpoſitione ægrotantium debuit differri, ne ſc. contemneretur remedium ex præſumptione, & ſuperbia, ſi ante petitum, & deſideratum medicum, & medicinam ſanarentur; imo & ante cognitam morbi gravitatem, & medici neceſſitatem.

Inſt. ſaltem ſi veniſſet Chriſtus ab initio, plures ſalvati eſſent, qui ejus defectu perierunt; ergo convenientius erat ab initio mundi poſt ruinam.

Reſp. neg. conſ. nam dato quod plures ſalvati eſſent, id quidem expediebat bono privato illorum, ſed non bono communi univerſitatis humanæ, vel gloriæ Dei, & juſtitiæ; nam qui perierunt, id paſſi ſunt ſua culpa; & maxime quia in ſingulis ætatibus non defuerunt media ſalutis.

Objic. 2. Sufficiebat Chriſti adventus unicus in fine mundi; ergo tunc convenientior erat. Prob. antec. nam uſque ad illud tempus ſalvari poterant per eadem, aut alia efficaciora media, quæ non deerant ſapientiæ, & bonitati Dei; & non debebat fieri per plures Chriſti adventus, quod fieri poterat per unicum.

Reſp. neg. conſ. nam debemus dicere convenientius fuiſſe hæc fieri eo modo, & tempore, quo placuit Dei bonitati, & ſapientiæ; quæ eſt regula firma, & infallibilis convenientiæ.

QUÆSTIO IV.

De neceſſitate incarnationis.

Neceſſitas alia eſt *abſoluta*, quæ conſiſtit in hoc, quod res aliter eſſe non poſſit vel quoad eſſe, vel quoad modum; ſic Deus abſolute, & ſimpliciter eſt neceſsarius. Alia *conditionata*, qua fit, ut ſuppoſita aliqua conditione res aliter eſse non poſſit; ſic po-

ſita applicatione ignis ad ſtupam, hæc non poteſt non comburi. Et rurſus *hæc neceſsitas* alia eſt *ſimpliciter*, qua fit, ut ſuppoſita conditione non poſſit aliquid fieri ullo modo ſine re, quæ dicitur neceſſaria; ſic ſine lumine non poteſt videri color: Alia *ſecundum quid*, quando finis quidem ſine re, quæ dicitur neceſſaria, poſſet quidem haberi, ſed non tam facile, vel perfecte; ſic equus, vel currus eſt neceſſarius ad itinerandum; nam licet pedibus poſſet iter confici, non tamen tam facile, vel tam cito, vel tam commode, aut perfecte: Alia etiam dicitur *phyſica*, quæ oritur ex principiis intrinſecis rei, & qua fit, ut non poſſit aliter ſe habere; & hæc coincidit cum *abſoluta*: alia *moralis*, qua fit, ut vix aliter finis haberi poſſit; & ſic coincidit cum neceſſitate *ſecundum quid*.

Igitur poſtquam vidimus, incarnationem eſse convenientem Deo, & homini, nec dedecere ex ullo capite, quærimus, an fuerit neceſsaria vel *abſolute* ex parte Dei, quaſi non potuerit abſtinere ab hoc opere; aut ſaltem *conditionate*, quaſi non potuerit aliter redimere hominem: Tum ex parte hominis, quaſi non potuerit aliter redimi, aut ſalvari, & hoc *abſolute*, & *ſimpliciter*, vel ſaltem *ſecundum quid*, ſc. ita perfecte, aut commode.

Suppono autem 1. finem, ad quem poteſt conſiderari hæc neceſſitas, eſse vel gloriam Dei, vel utilitatem, & ſalutem, & redemptionem noſtram. Et quæritur, ex quo capite incarnatio poſſit dici neceſsaria, & qua neceſſitate.

Suppono autem ex dictis tract. 1. Deum non agere ad extra, niſi libere, & contingenter, etiam quoad optimum, ita ut non ſolum recte faciat quidquid facit, ſed etiam inter plura bona, quæ poteſt facere, ſit liber reſpectu minoris æque, ac reſpectu majoris boni; ſeu non neceſſitetur ad optimum. Unde cenſemus, Deum potuiſse facere alios, & alios in infinitum meliores mundos tam in eadem ſpecie, quam in diverſis ſpeciebus; & ſic neceſſitas incarnationis, & redemptionis, ſi quæ illa ſit, non poteſt ſe tenere ex parte Dei, præciſo ejus decreto libero, & determinatione æterna. His poſitis, ſit

CON-

CONCLUSIO I.

INcarnatio non fuit abſolute neceſſaria neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, etiam ſuppoſito lapſu hominis per peccatum. Eſt communis contra paucos, qui volunt, Deum neceſsario velle, & facere, quod eſt optimum; nam conſequenter debent dicere, illum non potuiſse non facere hoc opus, nempe Chriſtum propter ſuam ſummam excellentiam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod quæ facta ſunt in Chriſto circa redemptionem noſtram, non fuerunt neceſſaria, niſi præſuppoſita ordinatione divina; & tunc fuit tantum neceſſaria incarnatio neceſſitate conſequentiæ*.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat Deo fuiſse liberum relinquere hominem in ſua perditione. [2] *Quis tibi imputaverit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Et comparatur figulo, qui ſine injuria facit, quod placet de opere ſuo. [3] *Numquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere domus Iſrael?* id eſt, diſſipare vos, ſicut iſte diſſipavit vas, quod faciebat, & aliud facere?

Confir. ex Patribus: nam, inquit S. Leo, [4] *Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, utraque ſane, & omnipotentia, & clementia in opere ſuo, ſc. homine refingendo*, (per redemptionem) *enituit*. Et S. Paulinus, [5] *Nemo niſi artifex operis ſui potens eſt, & figulo tantum in argillam ſuam jus eſt. Ita Dominus omnium, qui omnes fecerat, dignatus eſt ad noſtra deſcendere, noſque recipere in corpore ſuo, ut nos reficeret eadem arte, vel poteſtate, qua fecerat*; ergo ſicut non neceſſitatus eſt ad faciendum, ita nec ad redimendum.

Prob. 3. Nam incarnatio eſt opus ad extra; ſed Deus in tempore, & ad extra *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, & contingenter, non autem ex neceſſitate, ſaltem antecedente; ergo &c.

Confir. Non enim apparet, unde peteretur illa neceſſitas; ergo gratis aſseritur: ant. patebit ſolutione objectionum.

[1] 3. *d.* 20. *D.*
[2] *ſap.* 1. [3] *Jerem.* 18.
[4] *ſer.* 2. *de nat.* [5] *Ep.* 2.

Objic. 1. Deus non poteſt non velle bonum infinitum; ſed incarnatio eſt bonum infinitum; ergo neceſſario volita eſt a Deo. Prob. min. nam Chriſtus eſt infinite bonus, & amabilis.

Reſp. neg. min. abſolute: non enim ipſa unio hypoſtatica, nec humanitas ſunt bona abſolute, & ſimpliciter infinita, ſed extrinſece, & ratione termini, ſc. Deitatis, ad quam terminatur illa unio mediante ſubſiſtentia Verbi. In ſe autem utraque eſt quid finitum.

Objic. 2. Opera Dei ſunt neceſſaria neceſſitate immutabilitatis in tempore; ergo & incarnatio. Prob. ant. nam decreta Dei non poſſunt non impleri; ſed incarnatio fuerat decreta ab initio; imo ex Scoto, *eſt primum opus prædeſtinatum*, & *decretum*; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. vel ſic diſtinguo; eſt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, & ex ſuppoſitione decreti de illa operanda, conc. neceſſitate abſoluta, & antecedenti, neg. conſ. Certe ſuppoſito, quod Deus decreverit creare Petrum, hic neceſſario fiet: & ſic eſt de incarnatione; ſed non loquimur de hac neceſſitate, ſed de abſoluta, & antecedenti, quæ veniat vel ex natura voluntatis divinæ; quaſi ex ſe fuerit determinata ad id volendum; vel ex parte hujus operis, quaſi ex ſe exigeret, & determinaret Deum ad volitionem ſui, aut non potuerit Deus permittere peccatum, vel decernere hominis ſalutem, niſi volendo, vel operando incarnationem iſtam.

Objic. 3. Non decebat Dei bonitatem relinquere totam ſpeciem humanam in perditione; ſed ſuppoſito peccato, non poterat hominem ſalvare ſine iſta redemptione; ergo hæc fuit neceſſaria ſuppoſito peccato. Maj. patet; nam Deus fecerat hominem, ut pertingeret ad finem ſuum ultimum, qui eſt beatitudo, & hanc non poterat conſequi ſtante peccato ſine redemptione. Prob. min. non poterat aliter redimi homo a peccato, quam per pretium ſanguinis Dei; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam ſuppoſito peccato, & decreto antecedenti ad prævisionem ejus de ſalvandis prædeſtinatis, adhuc poterat Deus eos ſalvare, vel liberaliter eis condonando peccatum, vel per aliam ſatisfactionem redimendo, ut ſuppono ex dicen-

dis

dis de ſatisfactione Chriſti. Idem dico de reparatione, & impletione ſedium Angelorum, etiamſi a Deo fuiſſet decreta.

CONCLUSIO II.

INcarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria etiam ſuppoſito ſimplici decreto redimendi hominem a peccato per aliqualem ſatisfactionem; ſed tantum ſecundum quid, & moraliter. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui nullam aliam neceſſitatem agnoſcit, niſi immutabilitatis, & conſequentiæ, ſc. ex ſuppoſitione decreti de incarnatione Verbi. *Non fuerunt neceſſaria, niſi præſuppoſita ordinatione divina*, ſc. de redimendo, & ſalvando homine, ſicut eum de facto ſalvat.

Prob. 2. ex Script. quæ hoc opus, ut redemptio eſt, tribuit puræ, ac liberali charitati Dei, qui [2] *ſic dilexit mundum, ut ſi ium ſuum daret, ut ſalvetur mundus per ipſum.* Et *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum miſit* &c. Et, *iſte propter nimiam ſuam charitatem, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati* &c. Et, *Secundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit* &c. Et, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* &c.

Prob. 3. ex SS. Patribus; nam, inquit Athanaſius, [3] *poterat ſine adventu Chriſti ſolummodo loqui Deus, & ſolvere maledictionem.* Et S. Leo, [4] *Verax miſericordia Dei, cum ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione juſtitiæ.* Et S. Auguſtinus: [5] *Sunt ſtulti, qui dicunt; non poterat aliter Dei ſapientia liberare, niſi ſuſciperet hominem* &c.

Prob. denique ratione jam allata: nam Deus eſt liberrimus in ſuis actibus ad extra: & non deerant ejus ſapientiæ plures alii modi, quibus redimeret hominem a peccato, & pœnis ejus; ergo poterat eligere quemvis alium modum. 1. pars ant. patet ex dictis de libertate Dei. Prob. 2. p. nam 1. poterat liberaliter dimittere culpam; ut ipſe laudat in hominibus hunc

[1] *Ibid.* [2] *Jo.3.* [3] *ſerm.3.cont. Arrian.* [4] *ſerm.2.nativ.* [5] *l.de ago. Chriſti* 11.

modum condonandi injurias: & ſæpius Reges ſic abſolvunt reos per indulgentiam gratuitam. 2. potuiſſet a ſingulis peccatoribus pœnam temporalem exigere, & acceptare, ne plecterentur æterna, ut fit in pœnitentibus. 3. poterat acceptare ſatisfactionem alterius hominis ſanctiſſimi pro omnibus, ut dicemus infra; ergo &c.

Objic. 1. SS. Patres docent communiter neceſſariam fuiſse incarnationem, ut homo ſalvaretur ex peccatis; ergo &c. Prob. ant. nam inquit Chryſoſtomus: [1] *Cecid.t caro noſtra eo modo, ut reſtitui nullo pacto poſſet a quocumque, niſi ab illa omnipotentiſſima manu*. Et Cyrillus, [2] *Quoniam imperfectum Dei opus eſſe non decuit, & non potuit aliter reparari, neceſſario Deus factus eſt homo*. Et Ambroſius, [3] *Tantum fuit peccatum noſtrum, ut ſalvari non poſſemus aliquando, niſi omnipotens filius Dei moreretur pro nobis* &c. ergo ex Patribus neceſsaria fuit incarnatio ad redemptionem.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. neceſsariam neceſſitate morali, & ſecundum quid, vel neceſſitate immutabilitatis Dei, ex ſuppoſitione decreti de tali redemptione, conc. neceſſitate ſimpliciter, & phyſica, vel inevitabilitatis, neg. ant. & conſ. prob. nam Patres loquuntur tantum de neceſſitate morali, & ſecundum quid, & immutabilitatis: quia ſic perfectior fuit redemptio, & Deus illam ſic faciendam decreverat ab æterno, cum prævidit peccatum.

Objic. 2. Deus non potuit redimere hominem cum injuria juſtitiæ; ſed non redemiſset ſine injuria juſtitiæ, niſi hoc feciſset eo modo, quo factum eſt; ergo &c. Prob. min. nam aliter non fuiſset ſatisfactum pro peccatis ex rigore juſtitiæ.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam non deerat Deo alter modus ſatisfactionis, etiam ad aliqualem rigorem, ſi non æqualem, ſaltem ſufficientem. An autem ſatisfactio per Chriſtum fuerit de rigore juſtitiæ, videbimus infra.

Reſp. 2. neg. eandem min. & conſ. prob. Nam licet ſatisfactio alia non fuiſset ex rigore juſtitiæ, hoc non probat neceſſitatem ſimpliciter, ſed tantum moralem, & ſecundum quid, ſc. ut eſset perfectior redemptio, & plenior: quod fatemur.

CON-

[1] *Ho. 10. in Jo.* [2] *l. 3. Theſaur. 7.* [3] *Heb. 9.*

CONCLUSIO III.

NEquidem ſuppoſito ſimplici decreto redimendi hominem per ſatisfactionem ſufficientem neceſſaria fuit incarnatio ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, & moraliter, bene verò ad æquivalentem.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui quærens, *an homo poſſit reconciliari ſine ſatisfactione*, dicit, *dato, quod ſatisfactio requiratur, non tamen requiritur neceſſario quod ſatisfaciens ſit Deus*, & id magis ex profeſſo probat in 4. de pœnitentia, [2] ubi improbat opinionem, quæ diceret, quod *non eſt poſſibile homini ſatisfacere de peccato Deo*: quam oſtendit, nam, inquit, *ſi illa opinio intelligat de potentia abſoluta divina ..... improbatur* &c. 1.quia *poſſibile fuit, filium Dei non fuiſſe incarnatum ..... & cum hoc poſſibile Deum perduxiſſe prædeſtinatum ad beatitudinem* &c. ergo etiam ſuppoſito decreto ſalvandi hominem lapſum per ſatisfactionem non fuit neceſſaria incarnatio ex Scoto.

Prob. 2. quoad 1. p. nam, ut ſuppono ex dicendis, potuiſſet Deus creare hominem extra poſteros Adæ, & innocentem cum tantis donis gratiæ, ut acceptaret ejus merita in ordine ad redemptionem totius generis Adæ; ergo poſſet haberi ſatisfactio pro peccato Adæ ſufficiens, & condigna ad meritum redemptionis; ergo quoad hunc finem incarnatio non fuit abſolutè neceſſaria.

Confir. nam, ut dicebamus, poſſet Deus exigere, & acceptare a ſingulis deſcendentibus ab Adamo, & adultis ſatisfactionem perſonalem pro peccato originali æque, ac pro perſonalibus, nec enim in hoc apparet ulla implicantia; ergo in hoc caſu non eſſet neceſſaria incarnatio divina ad redemptionem per ſatisfactionem.

Prob. 2.p. Nam omnium creaturarum redemptio activa, & meritoria, & ſatisfactoria non poſſet æquivalere illi, quæ eſt ab homine Deo, quia hæc eſt condigna, & copioſiſſima, & fons inexhauſtus omnium benedictionum; ergo quoad hæc incarnatio fuit neceſſaria.

Objic. 1. contr. 1. par. SS. Patres docent neminem

[1] *Ibid. A. n.* 10. [2] 4. *d.* 15. *q.* 1. *B. n.* 4. & 5.

præter hominem Deum potuiſſe ſatisfacere pro redemptione; ergo ſaltem ſuppoſita Dei volitione de redemptione per ſatisfactionem ſufficientem incarnatio fuit neceſſaria ſimpliciter. Loca Patrum adducemus infra.

Reſp. neg. ant. Nam ſi quid tale videantur dicere Sancti Patres, loquuntur de facto, & ex præſenti decreto redimendi hominem per incarnationem, & mortem Chriſti.

Inſt. Ergo gratis, & ſine cauſa Verbum fuiſſet incarnatum, quia potuiſſet cum minori diſpendio redimi genus humanum; ſed hoc eſt falſum, & abſurdum, & contra Scripturam; nam D. Paulus non vult, quod Chriſtus mortuus ſit gratis, quandoquidem homo potuiſſet juſtificari per legem.

Reſp.neg. ſubſumptum, & conſ. prob. Nam, ut non mortuus ſit gratis, ſufficit neceſſitas ſecundum quid, & moralis; & quòd Deus non aliter voluerit hominem redimi, nec acceptare minorem ſatisfactionem ea, quam exhibuit Chriſtus. Paulus autem loquitur de facto, & ex præſenti decreto.

Objic. 2. Redemptio ſufficiens debuit eſſe per ſatisfactionem, & meritum infinitum, quia offenſæ gravitas erat infinita; ſed nulla pura creatura poterat exhibere ſatisfactionem infinitam, qualem Chriſtus exhibuit; ergo ad hoc fuit neceſſaria incarnatio Verbi.

Reſp.neg.maj.& diſt.prob. ejus. Gravitas eſt infinita extrinſecè, & extenſive, conc.intrinſece,& intenſive,neg.& hoc patet ex dictis de peccati malitia, & magis patebit infra de ſatisfactione, & merito Chriſti. Peccatum dici poteſt infinitæ gravitatis extrinſece, & intenſive, quia avertit a bono infinito; & ſimiliter actus charitatis, aut pœnitentiæ propter Deum dici poterit extrinſece infinitus, quia ordinatur, & reſpicit bonum infinitum, ſc. Deum.

Inſt. Gravitas peccati tanta eſt, ut non poſſit pura creatura pro ſuo peccato ſatisfacere; ergo multò minus pro toto genere humano. Prob.ant. ex communi ſenſu Patrum, & Theologorum, qui inde gravitatem illam æſtimant, & alioqui illam contemnerent peccatores; quia inquit Cyprianus; (1) *Facilitas veniæ, ſen-*

ſa-

[1] *de oper. chriſt.*

ſatisfactionis laxaret habenas peccatis effrænibus. Ideo dixerat, quod *originali morti nullum, niſi Chriſti morte, potuit eſſe remedium*; ergo ad hanc ſatisfactionem neceſſaria fuit incarnatio.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ex illo ant. & auctoritate Cypriani ſequitur tantum neceſſitas ſecundum quid, ut ſc. effrænes melius capiant peccati gravitatem, & a peccato abſtineant.

Inſt. 2. Tanta eſt peccati gravitas, ut mereatur pœnam æternam, quæ eſt infinita; ſed pro pœna æterna nulla creatura pura poteſt ſatisfacere; & hoc debent ſcire homines, ut timeant peccare. Prob. min. nam pœna æterna eſt infinita.

Reſp. neg. maj. Nam illa æternitas non venit purè, vel præciſe ex abſoluta peccati gravitate, ut diximus, ſed ex ejuſdem peccati duratione; & ſicut non retrahuntur a peccato homines, licet de facto ſciant illud non remitti, niſi ex meritis Chriſti, & illud puniri pœna æterna; ita non magis laxarentur habenæ peccatoribus, licet ſcirent puram creaturam de potentia Dei abſoluta elevatam, & acceptatam fuiſſe aliquando pro peccati Adæ ſatisfactione.

QUÆSTIO V.

De exiſtentia Incarnationis. An exiſtat, ſeu an Meſſias jam venerit.

NOn ſufficit dixiſſe, Incarnationem eſſe poſſibilem convenientem, imo & neceſſariam, ut credamus illam eſſe factam, & exiſtentem: hæc omnia credunt perfidi Judæi, ſed exiſtentiam Meſſiæ negant; contra illos præcipue inſtituitur hæc quæſtio, ut in ſua perfidia confundantur.

CONCLUSIO.

INcarnatio Verbi Divini de facto exiſtit, ſeu Chriſtus, ſeu Meſſias jam venit. Eſt de fide contra Judæos, qui non niſi venturum eum credunt, & expectant: & Philoſophos, qui nec veniſſe, nec venire poſſe putant, ſcilicet incarnationem hanc volunt impoſſibilem eſſe: & contra veteres quoſdam hæreticos, qui

negabant Chriſtum eſſe verum Deum. *Nos prædicamus Chriſtum .... Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam, ipſis autem* (Chriſtianis] *vocatis Dei virtutem, & ſapientiam.*

Scotus(1) id probat breviter,ſed ſolide,& ſufficienter ex Euangelio dicente: *Verbum caro factum eſt: Ubi caro ſumitur pro homine.* Et ſupponit hanc veritatem tamquam principalem articulum fidei.

Igitur hęc veritas apud Chriſtianos probatione non indiget, cum ſit principale fundamentum fidei noſtræ, a quo nomen habemus Chriſtianorum, & in hoc credimus Scripturis utriuſque teſtamenti: veteris quidem, quibus hoc prædicitur futurum; novi autem, quibus prædicatur factum; credimus Conciliis, quibus id ſupponitur, vel definitur, & SS. Patribus, qui hoc docent.

Contra Philoſophos, qui non credunt Scripturis ſacris, probatur efficaciter per motiva credilitatis earumdem Scripturarum, ac myſteriorum fidei noſtræ, ac veritatum totius doctrinæ Chriſtianæ, pro quibus aſſerendis tot milliones hominum omnis conditionis, ætatis, & ſexus ſanguinem fuderunt: quæque inter tot hoſtes, & perſecutores, & contradictiones, ab univerſo orbe receptæ ſunt, & tot miraculis confirmatæ, quorum miraculorum iſtud eſt maximum, nempe ipſa propagatio fidei in illis circumſtantiis. Quod etiam facit contra omnes alios contradictores hujus veritatis.

Contra Judæos autem prob. ex Script. veteris teſtamenti, ſeu ex prophetiis, quibus prædicebatur Meſſias ut venturus cum circumſtantiis temporis, loci, & eventuum, & aliorum tam præcedentium, quam comitantium, & ſubſequentium. Ideo monebat eos Chriſtus, [2] ut ſe eſſe probaret Meſſiam; *Scrutamini Scripturas, quia ipſæ teſtimonium perhibent de me.* Et in aliquibus notabilioribus eventibus dicebat,[3] ea fieri,quia *oportebat impleri ſcripturas,& quæ ſcripta ſunt in lege, pſalmis, & prophetis de me,&c.* Sed prophetiæ illæ omnes, & promiſſiones impletæ ſunt in perſona Chriſti ab annis circiter 1699. ergo de facto Meſſias jam venit; ſeu incarnatio Verbi jam exiſtit in perſona Chriſti, Maj. patet; nam Chriſtus D.

non

[1] *3.d.1.q.1.A.2.* [2] *Io.5.* [3] *Luc.24.*

non ita momiſset ſcribas, & legis peritos in illis occaſionibus, niſi voluiſset eos docere, & convincere de qualitate ſua, & vera miſsione divina.

Prob. jam min. diſcurrendo per ſingulos libros illius teſtamenti. 1. negare non poſsunt Judæi, quin in Chriſto impleta ſit prædictio minax Dei ad ſerpentem, cum dicebat ei, poſtquam induxerat hominem ad peccatum: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen ejus, & ipſa* (vel ipſe) *conteret caput tuum*; ſcilicet nulli mulieri, præter Mariam, hæc convenire poſsunt, cujus filius, ſeu quæ per filium ſuum Chriſtum erat contritura, & de facto contrivit caput diaboli, diſsipans, & evertens regnum ejus ſuper terram; ſcilicet ex quo Chriſtus natus apparuit ex Maria.

2. Idem patet ex promiſsione facta Abrahamo: [2] *In te benedicentur omnes gentes .... benedicentur in ſemine tuo omnes nationes*. Nam Chriſtus eſt vere filius, & ſemen Abrahæ, & in eo benedicuntur a tempore nativitatis, & mortis ejus omnes nationes; neque id de alio ullo ex filiis illius Patriarchæ verificari poteſt.

3. Illa particula benedictionis Jacob ad Judam filium ſuum etiam impleta cernitur in eodem, & quidem ad litteram. [3] *Non auferetur ſceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Regnum, ſeu dominatio politica manſit apud Judæos, & non ultra tempus, circa quod Chriſtus venit in mundum, & ab eo tempore irrecuperabiliter ab eis ablatum eſt. Tunc regnabat ſuper eos Herodes, qui erat Idumæus, & gentilis, & ex eo tempore, ſcilicet poſt mortem Chriſti, non ſolum ſceptro, ſed etiam proprio ſolio ſpoliati vagantur, ut miſeri exules, & ſervi per orbem, quippe, ut notat Tertull. [4] *diſperſi ſunt palabundi, & cœli, & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine homine, ſine Deo, ſine rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur*. Item de quo alio præter Chriſtum dici poteſt, quod ſit *expectatio gentium*? Nam id quidem verum de gentibus quantum ad præteritum, quod præceſsit ejus adventum, & quantum ad præſens, in quo

[1] *Gen.* 3. [2] *Gen.* 12.
[3] *Gen.* 49. [4] *Apol.* 21.

quo quieſcit, & gaudet eorum expectatio, & fruuntur Salvatore expectato; ſed Judæi, qui ſoli expectant illum ut venturum, nolunt appellari nomine gentium; ergo vere impleta eſt hæc prophetia in Chriſto.

4. De eodem verificantur verba Iſaiæ:(1) *Parvulus natus eſt nobis .... & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur Deus fortis*,&c.... & iſtud ejuſdem Prophetæ: (2) *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*.... Et, *Ecce Virgo concipiet, & pariet*. Et, *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis*, &c. Hæc etiam omnia, & ſingula verificantur impleta in Chriſto, & fruſtra Judæi hæc expectant de ullo alio, ut diſcurrenti per ſingula patebit.

5. Omiſſis aliis innumeris, quæ paſſim occurrunt in Lege, & Prophetis omnibus, inſignis eſt promiſſio facta per Archangelum Gabrielem Danieli, quem Archangelus ille ſic alloquitur: (3) *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo; ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es tu; ergo animadverte ſermonem, & intellige viſionem. 70. hebdomades abbreviatæ ſuper populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & ungatur ſanctus ſanctorum .... ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades 7. & hebdomades 62. erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum; & poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus, & non erit populus, qui eum negaturus eſt, & civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli deſolatio*, &c. Non poteſt prædici diſtinctius talis eventus. Negari non poteſt, quin ille *Chriſtus dux* ſit verus Meſſias; ſed hæc omnia jamdudum impleta ſunt ante 1699. annos in perſona Chriſti; ergo verus Meſſias jam venit, & incarnatio exiſtit.

Prob. min. diſcurrendo per ſingulas circumſtantias prophetiæ. Et 1. quoad tempus ſuppono ex ipſorum Rabi-

[1] *Iſai.*9. [2] *idem* 11.7. [3] *Daniel.*9.

Rabinorum mente, quod hebdomades iſtæ non ſunt 7 dierum, ſed ſeptem annorum ſingulæ; alioqui illa omnia impleta fuiſſent adhuc vivente Daniele. Item certum eſt, quod hæc prophetia contigit circa initium regni Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, & ab eo tempore numerandi ſunt illi anni, ſive ſint ſolares, ſive lunares, qui ſunt undecim diebus minores ſolaribus, & ſic 62. hebdomades annorum cum dimidia faciunt 437. annos; ſed totidem anni fluxerunt ab illo tempore Darii uſque ad 41. annum Octaviani Auguſti, quo Chriſtus natus eſt; & quo iſte *ſanctus ſanctorum unctus fuit divinitate*; & poſt alias 7. hebdomadas cum dimidia, intra quas occiſus eſt Chriſtus, Veſpaſianus debellavit Judæos, ſanctuarium, & ipſam Urbem diſſipavit, & funditus evertit: & ex tunc defecit hoſtia, & ſacrificium apud illos.

2. Certum eſt, quod intra illas 62. hebdomadas reparata fuerat civitas, & ipſum templum, & libertatem recuperaverat populus; & ſic *conſummata fuerat prævaricatio, & finem acceperat peccatum*, &c. Poſterior vero abominatio deſolationis perſeverat a 1699. circiter annis, *& perſeverabit uſque ad conſummationem, & finem mundi*. Nec enim apparet Judæis ulla ſpes reparationis, nec libertatis, quandoquidem prophetiæ in alio, ſcilicet in Chriſto jam præterito, impletæ cernuntur.

6. Confir. hoc ex aliis prophetiis; nam Aggæus prædicebat: (1) *Adhuc modicum eſt, & ego commovebo cœlum, & terram, & veniet deſideratus cunctis gentibus*. Certe ſi a tempore illius Prophetæ uſque ad noſtrum nondum veniſſet ille *deſideratus*, vana eſſet prophetia, & multo magis vana eſſet prædictio Malachiæ, cum dicebat: *ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis*, &c. Quomodo ſtatim venturus erat, ſi poſt tot ſæcula expectaretur, ut ſomniant Judæi, eum expectandum eſſe? Porro non poteſt dubitari, quin oracula illa intelligantur de Meſſia, qui eſt verus, & unicus *deſideratus cunctis gentibus*, & ſummus *dominator* animarum, & cœli, & terræ, ab omnibus hominibus quæſitus, & quærendus.

Prob. denique contra omnes, qui de hac veritate vel-

[1] *Agg*. 2. [2] *Malach*. 3.

vellent dubitare, & evidentiſſimis ſignis divinitatis, quæ lucent in operibus, & ſermonibus Chriſti. Unde cum ipſe diſcipulis Joannis, qui ab eo quærebant, *tu es, qui venturus es?* reſpondet: *Dicite Joanni, quæ vidiſtis, & audiſtis, cæci vident, claudi ambulant .... pauperes euangelizantur*. Et ipſis Judæis, *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me*. Imo & ipſi fatebantur, quod *numquam ſic loquutus fuerat homo*. Et, quod niſi eſſet a Deo, non poſſet talia operari, qualis erat illuminatio *cæci nati*, & videntes conſtantiam morientis, & ſigna, quæ contingebant in morte illius, exclamant: *Vere filius Dei erat iſte*.

Conſtat igitur, quod omnes figuræ, & prophetiæ, & promiſſiones, & notæ, quas habemus ex Scripturis utriuſque teſtamenti de myſterio incarnationis, & de vero Meſſia, impletæ ſunt in perſona Chriſti, ſc. genus, tempus, patria, locus, vita, mors, ſepultura, reſurrectio, triumphus, & gloria, & denique converſio gentium, & everſio, ac deſolatio Judæorum, & quod talia nulli alteri aptari poſſunt.

Objic. 1. Multæ prophetiæ de Meſſia non poſſunt verificari de Chriſto noſtro; ergo ille non fuit Meſſias, nec ille adhuc venit. Prob. ant. dicitur, quod [1] *Deus noſter manifeſte veniet, & non ſilebit*. Chriſtus autem venit, ut Deus abſconditus, & ſiluit. Item: [2] *Cum venerit, habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo . . . & puer parvulus minabit eos*. Quis adhuc hæc vidit? 3. Mons Sion debet elevari ſuper omnes montes; nam dicitur, [3] *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & exaltabitur ſuper omnes*. Sed hæc, neque mille ſimilia promiſſa nondum impleta ſunt; ergo neque Meſſias venit.

Reſpon. diſt. min. Nondum impleta ſunt ſecundum ſenſum, & corticem litteræ, con. ſecundum ſenſum ſpiritualem, & myſticum, & verum, neg. min. & conſ. nam hæc, & ſimilia non debent ſumi litteraliter: quis enim ad litteram expectaret, ut lupus cum agno accubaret? Quis non ſtolidus expectaret, ut mons Sion, ubi erat templum Jeruſalem, poneretur materialiter ſupra verticem omnium montium? Significant ergo converſionem *luporum*, ſeu barbarorum, & pec-

[1] *Pſ.* 49. [2] *Iſa.* 1. [3] *Iſa.* 2.

peccatorum in *agnos* manſuetos, ſeu chriſtianos; & exaltationem Eccleſiæ figuratæ per montem Sion ſupra omnes ſectas, & falſas religiones.

Reſp.2. Scripturam loqui de Chriſti adventu in diverſis circumſtantiis. Quia duo futuri erant adventus ejus. 1. in humilitate, ut per eam, ſcil. per crucem, & mortem nos redimeret; & hunc adventum dicimus præſentem, & prophetias, quæ de illo ſunt, impletas. 2. In majeſtate, cum veniet *judicaturus vivos, & mortuos*; & iſte adventus expectatur in fine mundi; & de iſto intelliguntur illa alia vaticinia, quæ exprimunt terribilem apparatum, & magnificum. Defectu hujus diſtinctionis hallucinantur Judæi. In 1. *ſiluit, ut judicaretur: non ſilebit, cum cæperit judicare* (inquit Auguſt.(1)) *non diceretur, manifeſte veniet, niſi prius veniſſet occultus*, &c.

Confir. hoc ex innumeris prophetiis de illius humili nativitate, de paupertate, de perſecutionibus, laboribus, cruce, & morte ejus; nam debent Judæi fingere duos Meſſias, aut agnoſcere duos adventus unius ejuſdem; 1. in humilitate, & 2. in majeſtate, ut ipſemet non ſemel prædixit, & docuit.

Objic.2. de prophetia Jacob; ſi vere de Meſſia loqueretur Jacob, ſceptrum, ſeu regia poteſtas debuiſſet durare in Tribu Juda uſque ad nativitatem Chriſti: dicit enim, *non auferetur ſceptrum de Juda ... donec veniat*, &c. ſed hoc non ita contigit tempore nativitatis Chriſti; ergo, &c. Prob. min. Nam tunc Tribus Juda nulla potiebatur authoritate in adminſtratione politica; nam antequam Herodes uſurparet regnum, tota poteſtas erat apud Machabæos; ſed iſti erant de Tribu Levi, non Judæ; ergo &c.

Reſp. cum Lyrano, neg. min. nam cum Tribus Juda, & Tribus Levi eſſent conjunctæ, & permixtæ, Machabæi ad utramque pertinebant; ad illam per matres, quia mater eorum erat de Tribu Juda, & ad iſtam per patres. Machabæos extinxerat Herodes alienigena, ſc. Idumæus, ſeu Aſcalonites, cum accepit regnum a Cæſare; & ſic verificatur prophetia. Alii aliter reſpondent, nobis hæc reſponſo ſufficit.

Objic.3. de Prophetia Danielis: non .n. bene quadrat tempus, & ſupputatio illarum hebdomadarum cum

[1] *tract.9.Jo.*

cum tempore adventus Chriſti; ergo ex illa nihil probatur. Prob. ant. deberet ſciri præciſum tempus, ſeu annus, a quo incipiunt computari illæ hebdomades, & de qua reſtauratione templi, & urbis loquatur, & quo tempore contigerit, & quales eſſent illi anni, an ſolares, an lunares, an alii. De his enim non conveniunt Interpretes, nec Doctores. Annus lunaris erat 354. dierum, & ſic 69. hebdomades annorum facerent 483. annos lunares. Anni ſolares ſunt 365. dierum, & ſic illæ hebdomades 69. annorum ſolarium facerent 469. annos ſolares: ſed hæc non quadrant cum præciſo tempore adventus Chriſti: ergo ex his non bene probatur contigiſſe.

Reſp. diſt. ant. Non bene quadrat cum more noſtro, & Judaico computandi, nec de die in diem mathematice tranſit, conc. non quadrat moraliter, ſcil. circum circa, neg. ant. & min. Nam quærenda non eſt illa mathematica ſupputatio, & claritas in prophetiis, quæ ſemper habent aliquid myſterii, & obſcuritatis; neque illis utimur ad deſignandum præciſe tale tempus juxta diem, vel annum determinate; utimur tantum ad convincendum Judæos, qui nolunt Meſſiam adhuc veniſſe; nam hæc ſufficiunt nobis ad probandam exiſtentiam adventus, & incarnationis, ſive ante, ſive poſt aliquot annos id contigerit, modo id contigerit circum circa illas hebdomadas, & annos.

DISPUTATIO II.

De unione hypoſtatica.

HIc agimus de nexu formali, quo Verbi divini perſona conjuncta eſt cum humanitate, ex quibus coaleſcit terminus totalis incarnationis, ſive quæ eſt ipſa formalis incarnatio.

QUÆSTIO I.

De natura unionis hypoſtaticæ; an ſit qui abſolutum, vel revelativum.

QUia diximus, incarnationem eſſe myſterium, quo Verbum divinum, & humanitas ſingularis, & ſpe-

ſpecifice completa coeunt in unitate perſonæ; quod fieri nequit ſine aliqua unione, vel nexu, qui nectit naturam illam cum illa perſona, & ideo vocatur unio hypoſtatica, quia terminatur ad perſonam, ſeu hypoſtaſim Verbi, & facit, ut natura illa ſuppoſitetur, & ſubſiſtat in Verbo: nec de hoc dubitatio eſt, quod ſciam.

Suppono autem ex Phyſicis quid, & quotuplex ſit unio; & ex Metaphyſica, ex tractatu de Trinitate quid ſit *ſuppoſitum*, *hypoſtaſis*, *ſubſiſtentia*, & *perſona*. Unio eſt formalis nexus duorum, & diſtinguitur ab unitione, quæ eſt actio nectens illa duo, & efficiens illum nexum, ſive unionem.

Suppono deniq; ex Philoſophia, dari triplex genus relationum. 1. eſt earum, quæ identificantur cum ſuo fundamento, ita ut iſtud non poſſit exiſtere ſine illis, nec ſine ſuo termino, ut relatio creaturæ ad Deum ut creatorem; implicat enim hominem exiſtere ſine relatione dependentiæ ad Deum, licet in Deo nulla ſit reciproca, & realis relatio ad creaturam; & iſtæ relationes dicuntur *tranſcendentales*, quia identificantur cum fundamentis ſuis. 2. genus eſt earum, quæ quidem neceſſario reſultant, poſitis fundamento, & termino formalibus, ſed fundamentum poteſt eſſe ſine illis, & iſtæ dicuntur *intrinſecus advenientes*; quia naſcuntur ex natura, ſeu forma intrinſeca extremorum. Talis eſt ſimilitudo inter duo alba. 3. genus eſt earum, quæ non ſic naſcuntur, poſitis extremis in rerum natura; ſed ambo poſſunt exiſtere ſine relatione illa, quia hæc advenit illis ab extrinſeco per motum, & actionem quandam, & ideo vocantur *extrinſecus advenientes*: v.gr. ubicatio, quæ reſultat inter corpus, & locum, non reſultat inter illa, niſi corpus adducatur, & ponatur in illo loco: ſic eſt de unione inter corpus, & animam rationalem; utrumque poteſt exiſtere ſine unione, & hæc non reſultat ſine actione divina, quæ infundat, vel inducat animam in corpus organizatum. His poſitis, quærimus, an incarnatio importet veram, realem, & phyſicam unionem Verbi cum humanitate: & quid ſit illa unio.

CON-

CONCLUSIO I.

I*Ncarnatio conſiſtit in vera, & phyſica unione humanitatis ad Verbum, & ab utroque realiter diſtincta.* Eſt de fide quoad 1. par. contra Neſtorium, qui volebat hanc unionem eſſe tantum moralem, qualis eſt inter duos amicos, qui propter intimum amicitiæ nexum dicuntur unus homo. Quoad 2. vero eſt contra quoſdam Theologos, qui volunt, quod Verbum, & humanitas uniantur ſeipſis immediate.

Prob. 1. p. ex Scoto. [1] *Eſt igitur iſta unio relatio diſquiparantiæ, & realis in uno extremo*, &c.

Prob. 2. ex Conciliis: nam in Later. ſub Martino I. [2] *Duæ naturæ in Chriſto, divina, & humana fuerunt unitæ, non per affectum tantum, ſed per veram unionem.* Ex Clement. de SS. Trinit. *Incarnatio facta eſt ad unitatem perſonæ cum dualitate naturæ.* Unitas autem illa non eſſet vera, & realis; ſed ſicut ſunt duæ naturæ, ita & eſſent duæ perſonæ.

Prob. 3. Nam humanitas, & Verbum ſunt realiter unita, & faciunt inter ſe unum quid reale: denique Verbum eſt vere, & realiter incarnatum; ſeu *Verbum caro factum eſt*, vere, & realiter, ut patet ex Script. Conciliis, Patribus, & omnium Theologorum conſenſu; ſed hoc dici non poſſet, niſi unio Verbi cum carne, ſeu humanitate eſſet realis, & vera, & phyſica; ergo, &c. Prob. min. Nam talis eſt denominatio, qualis eſt forma denominans; ergo ſi vere, & phyſice Verbum, & humanitas Chriſti dicuntur unita in unitatem perſonæ, ita unio eſt vera, & phyſica.

Prob. 2. p. 1. humanitas dicitur unita Verbo contingenter, ita ut tam illa, quam Verbum poſſent eſſe ſine illa unione; ergo diſtinguuntur realiter ab illa unione; nihil enim poteſt eſſe ſine ſeipſo; & ſeparabilitas eſt ſignum potiſſimum diſtinctionis realis. Prob. ant. Nam ipſa humanitas poterat ſibi relinqui, ut propriæ ſuæ ſubſiſtentiæ, quæ debebat eam terminare, niſi voluiſſet Deus, eam quoad hoc dependere a Verbo.

Prob. 2. Omni actioni novæ productivæ debet reſpondere aliquis terminus per illam poſitus; ſed incarna-

[1] 3. d. 1. q. 1. A. n. 3. [2] *conſul. 5. c. 5. & 7.*

natio activa, ſeu unitio eſt actio productiva; ergo debet per eam poni aliquid novum; ſed nihil aliud poteſt dici poſitum in incarnatione, ſeu unitione humanitatis ad Verbum, præter illam unionem; ergo, &c. Prob. min. nam terminus incarnationis activæ eſt Chriſtus, prout dicit humanitatem unitam hypoſtatice Verbo; ſed nihil dici poteſt de novo poni per illam incarnationem præter unionem illam; ergo, &c. Prob. min. non perſona Verbi, quæ eſt æterna, nec etiam humanitas, quæ eſt ex Maria per operationem divinam, & ex ſe nata eſt ſubſiſtere propria ſubſiſtentia independenter a Verbo quoad hoc; ergo ſola unio eſt terminus unitionis.

Objic.1.cont.1.par. Per incarnationem *Verbum caro factum eſt*; ſed hoc fieri non poterit per unionem Verbi ad carnem,ſed per converſionem carnis in Verbum, aut utriuſque in tertiam naturam ex utraque, ut voluit Eutyches; ergo incarnatio non conſiſtit in reali unione. Prob. min. nam alias non diceretur, Verbum aſſumpſit carnem, vel unitum eſt carni, ſicut non dicitur, homo factus albedo, vel doctrina, cum fit doctor, & albus; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam per *Verbum caro factum eſt*, non ſignificatur aliud, quam quod Verbum carnem aſſumpſit in unitate ſuppoſiti, ſcilicet illam ſuppoſitando ſine ſui mutatione intrinſeca; & caro non ſumitur ibi abſtractive pro ſola carne, ſeu parte materiali hominis, ſed pro tota humanitate.

Inſt. Cum Script. dicit, quod in nuptiis aqua facta eſt vinum, ſignificatur converſio aquæ in vinum; ergo & cum dicitur, *Verbum caro factum eſt*, ſignificatur carnis in Deum converſio.

Reſp. neg. conſ. Non enim ſemper ille modus loquendi ſignificat unius in aliud converſionem, ſed ſæpe unius ad aliud acceſſionem, & maxime in propoſito,ubi Verbum divinum non poteſt in aliud converti, nec pati ullius converſionem in ſe propter eſſentialem ſimplicitatem, & immutabilitatem, & impaſſibilitatem.

Inſt. 2. ex ſymbolo Athanaſii: *Sicut anima, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*; ſed ex anima, & carne fit una natura; ergo ex carne, & Verbo fit una natura, non duæ, & ſine unione diſtin-

diſtinctæ; ergo unio hypoſtatica non eſt realis inter duas naturas, ſed eſt duarum mixtio. Hoc facit potius pro hæreſi Eutychis, quam Neſtorii.

Reſp.diſt.maj. Unus eſt Chriſtus unitate ſuppoſiti; conc. unitate naturæ, neg. maj. & conſ.Nam comparatio Athanaſii non quadrat in naturis divina, & humana, quæ conveniunt in unitate ſuppoſiti, & ex quibus per hanc unionem adventitiam,& temporalem fit unum ſuppoſitum.

Reſp.2.neg.min.Non enim anima, & corpus ſeipſis uniuntur immediate, ſed mediate per unionem phyſicam, & realiter diſtinctam ab extremis unitis,ut patet ex Phyſica.

Objic.2. Unio illa eſſet creata, vel increata, & corporea, vel incorporea; ſed neutrum dici poteſt; ergo non datur. Prob.min. Si enim eſſet increata, & ſpiritualis,non afficeret carnem; ſi vero creata, & materialis,non uniret Verbum, cui repugnat affici ulla re creata, & materiali.

Reſp. Eſſe creatam, & ſpiritualem in anima, & corpoream in carne, & ſic neg.min.& diſt.rationem ejus; non poſſet afficere Verbum formaliter, & intrinſece ipſi inhærendo, conc. terminative, & quaſi extrinſece, & effective quodammodo ex parte Verbi, neg. min.Nam illa unio eſt realis, & formaliter in humanitate, & pure terminatur ad Verbum, quod eam acceptat in ordine ad ſuſtentandam humanitatem illam; quod præſtat volens, & quaſi active.

Objic.3. Per id Verbum unitur humanitati, per quod illam ſuſtentat; ſed illam ſuſtentat per ſe immediate, & non per ullum medium, ſeu unionem creatam; ergo, &c. Prob. min. Nihil enim creatum poteſt ſic ſuſtentare aliam naturam, alioqui non eſſet unio immediate hypoſtatica, ſed naturæ illius creatæ, per quam humanitas ſubſiſteret, & ſuſtentaretur.

Reſpond. diſt. maj. & min. Per quod ſuſtentat *ut quo*, conc. maj. & neg. min. per quod ſuſtentat *ut quod*, neg.maj. & conſ. Nam Verbum quidem per ſe immediate, & *ut quod*, ſuſtentat humanitatem Chriſti, non *ut quo*; id enim præſtat unio phyſica recepta, & cauſata in humanitate, & terminata immediate ad Verbum.

Inſt.

Inſt. Non aliter ſubſiſtentia Verbi unitur humanitati, quam ſicut eidem uniretur propria ſubſiſtentia; ſed hæc illi uniretur immediate per ſeipſam; ergo & ſubſiſtentia Verbi.

Reſpond. neg. maj. Nam ſubſiſtentia creata, cum ſit pura negatio, ſeipſa fluit a natura ſua; non ita eſt de ſubſiſtentia Verbi, quæ advenit ei ab extrinſeco, & quæ eſt quid poſitivum, & illam poſitive perficit.

Objic. 4. In Chriſto nihil eſt præter humanitatem, & Verbum; ſed hoc non eſſet verum, ſi includeret aliud quid poſitivum diſtinctum ab utroque, ſcilicet unionem; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Nihil præter humanitatem, & Verbum unita, conc. ſine unione, neg. maj. Nam cum intelliguntur unita, intelligitur etiam unio.

CONCLUSIO II.

U*Nio hypoſtatica eſt relatio extrinſecus adveniens in humanitate ſubjectata, & terminata ad perſonam Verbi*. Ita Scotiſtæ, & D. Thomas (1) cum aliis non paucis.

Prob. 1. ex Scoto. (2) *Dico, quod iſta unio non dicit per ſe aliquid abſolutum; quia quocumque abſoluto intellecto in altero extremo, non intelligitur perfecta ratio unionis*; quia unio non intelligitur ad ſe.

Prob. 2. ratione illa. Nam illa entitas eſt relativa, cujus totum eſſe eſt referre unum ad aliud; ſed totum eſſe hujus unionis eſt referre humanitatem Chriſti ad Verbum, nec poteſt aliter concipi, quam in illo officio referendi; ergo, &c. Prob. min. implicat, unionem concipi in officio uniendi, quin concipiatur ut ordinans, & conjungens extrema; ſed hoc nihil eſt præter extremum unum ordinare ad aliud; ergo, &c.

Confir. Nam quocumque abſoluto concepto in humanitate, & Verbo, hæc non concipiuntur ut unita per illud; nam abſolutum formaliter ut tale debet concipi in ſe, & ad ſe; ſed quamdiu humanitas Chriſti, aut Verbum concipiuntur abſolute, & in ſe, & ad ſe, non concipiuntur ut unita; nam ut unita reſpi-

[1] 3. *p. q.* 2. *&* 7. [2] 3. *d.* 1. *q.* 1. *A n.* 3.

reſpiciunt ſe, ut referantur unum ad alterum, ſcilicet humanitas ad Verbum, per quod, & in quo ſubſiſtit per illam unionem. Vide quæ diximus in Phyſica de unione compoſiti naturalis.

Dixi autem, *relatio extrinſecus adveniens*; quia relatio intrinſecus adveniens, quæ conſtituit unum prædicamentum, eſt illa, quæ reſultat inter extrema neceſſario, & ex natura illorum, poſita ratione fundandi, ut ſimilitudo inter duo alba; & ad illam non datur motus. *Extrinſecus adveniens* dicitur illa, quæ non ſic reſultat neceſſario, neque ex natura extremorum, ſed requiritur aliqua actio, & motus, per quem illa relatio cauſatur; ſic actio ignis in lignum, vel ſtuppam non reſultabit ſine approximatione, ſeu applicatione ignis ad ſtuppam: ita eſt de unione animæ ad corpus, quamdiu non approximantur, non uniuntur; ſic in incarnatione unio humanitatis ad Verbum non reſultat, niſi Deus impediat in humanitate reſultantiam propriæ ſubſiſtentiæ per actionem, qua vult illam dependere, & ſuſtentari a Verbo. Ideo dicitur advenire humanitati ab extrinſeco, ſcil. ab illa volitione, quæ dici poteſt unitio.

Objic. 1. Unio humanitatis cum Verbo eſt ſubſtantialis; ergo non eſt relatio: quia omnis relatio eſt accidens. Prob. ant. Nam Chriſtus eſſet ens per accidens, quod nemo dixerit.

Reſp. diſt. ant. ſubſtantialis, quia nectit duas ſubſtantias, & quod ex ea coaleſcit, eſt unum quid ſubſtantiale, con. quaſi illa in ſua entitate ſit ſubſtantia, neg. ant. ſicut diximus in Phyſica de unione inter materiam, & formam ſubſtantialem; nec enim denominatio entis accidentalis, aut ſubſtantialis petitur ab entitate unionis, ſed vel a natura unitorum, vel a modo, quo uniuntur extrema.

Objic. 2. Unio eſt terminus formalis unitionis, ſeu actionis incarnativæ; ſed hic terminus non poteſt eſſe relatio, quia relatio non producitur, ſed reſultat, & ad relationem non datur motus; ergo unio non eſt relatio pura.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. Relatio intrinſecus adveniens, conc. extrinſecus adveniens, neg. antec. Nam, ut dicebamus, ad illam requiritur actio, & motus ordinans unum extremum ad aliud, ver. gr. ad ſitum

ubi,

ubi ad habitum, requiritur motus ponens rem in tali loco, & diſpoſitione; hæc autem unio ſpectat ad habitum, ſeu habere.

Inſt. Unio hypoſtatica eſt terminus actionis incarnativæ; ſed hic terminus non eſt relatio; ergo nec unio. Prob. min. illa actio eſt a tota Trinitate uniente Verbum, & humanitatem; ſed actio Trinitatis non terminatur ad puram relationem; ergo &c.

Reſp.neg.1. min.& diſt.2. non terminatur ad relationem *ut quod*, con. *ut quo*, neg. min. actio incarnativa terminatur ad totum Chriſtum, qui eſt opus totale; & hoc facit mediante unione, quam efficit inter humanitatem, & Verbum, & per quam reſultat unum ſuppoſitum ex perſona Verbi, & humanitate.

Objic. 3. Verbum, & humanitas non ſunt relativa; ergo non uniuntur per ſimplicem relationem; alioquin ſe ſe mutuo reſpicerent ut unita..

Reſp. diſt. ant. Non ſunt relativa per mutuam relationem ejuſdem rationis, con.per relationem diverſæ rationis, neg. ant. Nam humanitas reſpicit Verbum per realem dependentiam, & unionem tamquam ad ſuſtentantem; Verbum autem reſpicit humanitatem per eandem relationem, non in ſe ſubjectatam, ſed ad ſe terminatam; & ideo in Verbo non eſt relatio niſi ſecundum dici, qualis eſt in Deo creatore ad creaturam.

Inſt. 1. Melius explicaretur hæc unio per aliquam gratiam de genere qualitatis in humanitate productam a Deo; & de facto dicitur gratia a SS. Patribus; ergo &c. Prob. ant. nam *ſumma gratia eſt*, *quod Deus in unitate perſonæ, nullis præcedentibus meritis, homini copulatur*; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam aliud eſt, quod unio iſta ſit gratuita, & conceſſa a Deo ex pura gratia: aliud, quod ſit gratia habitualis, & qualitas in ſua entitate; illud eſt veriſſimum; nam *ſic Deus dilexit mundum*, &c. Iſtud vero falſum.

Inſt. 2. Non minus eſt donum Dei hæc unio, quam quæ fit per gratiam ſanctificantem, vel per lumen gloriæ; ſed iſtæ uniones fiunt per qualitates abſolutas inhærentes; ergo & illa, & quidem a fortiori.

Reſp. diſt.maj. Non minus eſt donum in ratione doni præciſe, ac elevationis, con. in ratione principii

activi, nego maj. & conſ. nam per unionem hypoſtaticam infinite dignificatur humanitas Chriſti, & ex hac dignitate dignificantur etiam ejus opera; ſed non tribuit illi præciſe ullam activitatem; bene vero per gratias actuales, & habituales, & per lumen gloriæ. Ideo ad illam elevationem dignitatis ſufficit relatio dependentiæ ſingularis ad Verbum, a quo ſuppoſitatur. Dico, *per ſe præciſe*, nam ratione illius unionis relativæ cum verbo, exigit illa dona omnia, per quæ humanitas Chriſti elevatur ad illas operationes.

Inſt. 3. Non implicat, unionem illam æque dici aliquid abſolutum, ac illas alias gratias: ergo ita dicendum eſt; ant. patet; nulla enim in hoc apparet implicantia. Prob. conſ. nam ſic melius intelligimus terminum productum per unitionem, ſeu per incarnationem activam; ergo &c. prob. ant. non enim bene poteſt explicari, quomodo poſſit produci pura relatio; ergo &c.

Reſp.neg ant.& rat.ejus. Nam implicat dicere rem abſolutam, cujus totum eſſe eſt ad aliud, ſeu ordinare unum ad aliud; quale eſt totum eſſe unionis, ut unio eſt: nam de ratione abſoluti eſt eſſe ad ſe, non ad aliud.

Objic. denique. Hæc relatio vel eſſet materialis, vel ſpiritualis, ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. prob. min. ſi eſſet pure ſpiritualis, non uniret corpus, quod eſt materiale, ſi eſſet materialis, non uniret animam, quæ eſt ſpiritualis.

Reſp. 1. retorquendo argumentum de qualitate, ſeu de modo abſoluto; & quidquid adverſarii de hoc abſoluto dixerint, dicemus de relativo.

Reſp.2. neg.min. Nam dicimus, illam relationem in corpore ad verbum eſſe materialem, & in anima ſpiritualem, quæ unam totalem faciunt, & hoc neceſſe eſt fateri in triduo mortis, quia tunc corpus, & anima Chriſti erant ſeparata, & tamen ambo manſerunt unita Verbo.

Ex dictis collige 1. hanc relationem non eſſe vere, & perfecte mutuam, & æquiparantiæ, ſed diſquiparantiæ; nam, ut dicebamus, non eſt realis in Verbo, *ſed ſecundum dici*, & rationis, quatenus Verbum conciperetur unitum humanitati per aliquid intrinſecum, & reale; id enim repugnat immutabilitati,

ti, & ſimplicitati ejus: eſt ergo realis intrinſece, & ſubjective in humanitate, & pure terminative in verbo, terminatione tamen vera, & reali.

2. Collig. quod reſpectu Verbi Divini hæ voces, *Incarnari*, & *uniri*, non dicunt veram, & realem paſſionem, licet ſignificent veram, & realem unionem, quia, ut mox dicebam, nihil intrinſecum ponitur in verbo.

Collig. 3. aliud eſſe *Incarnari*, *& uniri*, *& Incarnationem*, *& unionem*, *& unitionem*; *Incarnari*, *& uniri*, dicuntur quaſi paſſive de verbo; *uniri* autem dicitur vere paſſive de humanitate: *incarnatio*, *& unio* dicuntur neutraliter, nam paſſive, aut active ſumi poſſunt; *unitio* vero ſignificat magis proprie actionem uniendi: quamvis etiam ſumi poſſit aliquando paſſive. Hæc valde notanda ſunt inter diſputandum, ne erretur occaſione vocum.

Certe *incarnari* non poteſt dicere paſſionem, nec proprie uſurpari circa humanitatem; quia jam de ſe caro eſt; ſed tantum ſignificat aſſumptionem paſſivam a verbo, ſive unionem ad ipſum per ſuſtentationem ejus.

CONCLUSIO III.

Terminus formalis unitionis activæ, ſeu unio hypoſtatica in ſua entitate formali eſt accidentalis, licet dici debeat ſubſtantialis. Eſt Scotiſtarum communiter contra plurimos recentiores, & Thomiſtas, qui docent, eam eſſe modum ſubſtantialem, inter quos aliqui accuſant nos Neſtorianiſmi. In hoc etiam habemus adverſarios paucos Scotiſtas, ut Patrem Macedo, [1] qui vult eam eſſe ſubſtantialem, & conatur eo trahere Scotum. [2]

Prob. 1. ex Scoto cit. [3] Nam ibi aperte dicit, quod *iſta unio non dicit per ſe aliquid abſolutum .... eſt igitur iſta unio relatio diſquiparantiæ realis in uno extremo, cui in altero nulla correſpondet relatio ſaltem realis, & iſta relatio eſt ordinis in uno extremo, ſc. in humanitate, non cauſati ad cauſam .... ſed dependentiæ alterius ratione ſc. ſuſtentati ad ſuſtentantem*; miror P. Macedo [4] non citare hunc locum, & textum adeo cla-

[1] *3.Collat.2.diſt.1.S.4.n.3.* [2] *3.d.7.q.A.5.*
[3] *4.d.12.q.1.n.21.* [4] *d.7.cit.D.n.7.*

clarum, ſed alios duos ex d. 7. ubi dicit, quod *hic fuit una factio realis activa totius Trinitatis, vel correſpondebat factio paſſiva realis, qua homo factus eſt Deus, quæ fuit unio paſſiva naturæ humanæ ad Verbum, & hæc paſſio fuit in natura humana, & terminus ejus erat Verbum*. 2. ex l.4. ubi generaliter docet, quod *omnis unio abſoluti ad abſolutum eſt reſpectus extrinſecus adveniens: omnis autem talis reſpectus eſt illi, cui ineſt accidens per accidens*. Quidquid ſit de his duobus textibus, quos adverſarius, vel alii ſuggerunt, mihi prior ille ſufficit; nam omnis relatio extrinſecus adveniens eſt de genere accidentis, & ex Scoto pertinet ad unum de ſex ultimis prædicamentis; ergo ex Scoto unio iſta in ſua entitate eſt accidens, quamvis debeat dici ſubſtantialis. *Unde nec ipſa unio conceditur eſſe accidentalis, quia neutrum extremum eſt accidens*, &c.

Prob.2. ex dictis, nam illa unio eſt relatio; & quidem extrinſecus adveniens ex Scoto; ſed relationes illæ ſunt de genere accidentis; ergo illa unio in ſua entitate eſt accidens. Prob. maj. Non eſt de 1. genere relationum, ſeu non eſt tranſcendentalis, ſed diſtinguitur realiter ab extremis; nam humanitas poteſt eſſe ſine illa ſaltem divinitus, & hoc non implicat: & a fortiori Verbum poteſt eſſe ſine illa. 2. non eſt etiam intrinſecus adveniens ob eandem rationem; non enim neceſſario reſultat inter humanitatem, & Verbum, ſed ex libera, & contingenti Dei volitione, & præterea eſſet ſemper accidens; ergo &c.

Prob.3. Nam ideo diceretur in ſua entitate eſſe ſubſtantia, vel quid ſubſtantiale, quia dicitur unio ſubſtantialis; ſed hæc ratio nulla eſt; ergo eſt vere accidens. Prob. min. nam, ex dictis in phyſica, unio compoſiti ex corpore, & anima eſt purum accidens relativum, & tamen dicitur, & eſt vere ſubſtantialis; & generaliter, quoties extrema uniuntur ſubſtantialiter, unio dicitur ſubſtantialis; ſi autem accidentaliter, dicitur accidentalis; ſed humanitas, & Verbum uniuntur ſubſtantialiter in Chriſto in unitatem ſuppoſiti, ſeu perſonæ ſubſtantialis; ergo ſufficit, ut unio dicatur ſubſtantialis. E contrario licet veſtis ſit ſubſtantia, tamen facit cum corpore unum accidentale, & ipſa eſt accidentalis corpori. ut ergo unio

dica-

dicatur ſubſtantialis, aut accidentalis, reſpicitur tantum ad compoſitum, quod ex ea reſultat, ſive illa ſit in entitate accidens, ſive ſubſtantia.

Objic. 1. ex Scoto; [1] *Iſta unio nec conceditur eſſe eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis*; & hoc probat ex Damaſceno; ergo ex Scoto, unio eſt modus ſubſtantialis, & non accidens.

Reſp. neg. conſ. quia, ut dicebamus, non ideo dicitur ſubſtantialis, quia eſt ſubſtantia in ſe, ſed quia pertinet ad ſubſtantiam, & concurrit ad conſtitutionem aliqualis compoſiti ſubſtantialis.

Inſt. cum Patre Macedo, [2] modus intrinſece afficiens naturam eſt ſubſtantia, & ejuſdem rationis cum ipſa; ſed iſta unio eſt talis; ergo &c. Prob. maj. Nam tales modi inſunt naturæ, & cum ea identificantur, & faciunt unum per ſe cum ea; ergo ſunt ejuſdem rationis cum natura ſubſtantiali.

Reſp. diſt. maj. Si ſit proprietas ejus inſeparabilis, con. ſi ſeparabilis, & ſupponat eam in ſuo eſſe poſitivo ſpecifico, & ſingulari conſtitutam, neg. maj. & ant. prob. non enim concipio, quod hic adeo ſubtilis, & doctus Scotiſta dicere potuerit hanc unionem eſſe identificatam, & inſeparabilem ab humanitate Chriſti: nam ut verum fatear, neſcio quo fundamento id dicitur.

Objic. 2. Nullum compoſitum poteſt ſine unione conſtitui: ergo omnis unio eſt ſubſtantialis, non autem accidentalis: ergo unio hypoſtatica non eſt accidens in Chriſto.

Reſp. 1. hoc argum. videri nimis probare; nam probat contra id, quod Auctor iſte intendit ex Scoto, quem pro ſe citat, ſc. quod iſta unio eſt eſſentialis in Chriſto; quandoquidem conſtituitur per unionem; nam illud eſt eſſentiale, quod eſt de conſtitutione ejus.

Reſp. 2. diſt. ant. conſtitui ſine unione, velut conditione, & medio requiſito ad conſtitutionem, con. velut parte conſtitutiva, & ſubſtantiali, neg. ant. nam ut diximus in phyſica, unio ad conſtitutionem compoſiti ſe habet ut conditio, ſeu applicatio partis ad compartem, ut cum illa conſtituat compoſitum.

Inſt. Unio eſt nexus intimus ſubſtantiarum, &, cum

[1] *Ibid.* [2] *ſent.4.*

cum eis componit unum per ſe, & manet intra compoſitum ſubſtantiale; ergo nequit eſſe accidens; nam compoſitum ſubſtantiale non poteſt includere intrinſece, niſi ſubſtantiam.

Reſp. diſt. ant. eodem modo: manet in compoſito, ut conditio applicans partes ejus, ut conſtituant, & componant, con. ut pars compoſiti, nego ant. & conſ. Certe enim qualitates diſponentes corpus, & materiam ad receptionem formæ manent etiam cum ea in compoſito ad ejus conſervationem, & non deſinunt eſſe accidentia.

Objic. 3. Accidens poteſt abeſſe, & adeſſe abſque ſubjecti corruptione; ſed unio non poteſt adeſſe, & abeſſe abſque compoſiti corruptione; ergo non poteſt eſſe accidens. Prob. min. nam ceſſante unione hypoſtatica inter humanitatem, & verbum, Chriſtus ceſſaret eſſe.

Reſp. 1. Hoc etiam nimis probare, nam relatio prædicamentalis inter duo alba eſſet ſubſtantialis, quia ceſſare non poteſt ſine alterius corruptione.

Reſp. 2. diſt. min. in ſenſu compoſito, con. min. in ſenſu diviſo, nego: nam Verbum, & humanitas poſſent exiſtere ſeorſim ſine unione; ſed ſuppoſita exiſtentia Chriſti, qui eam includit, & ex ea reſultat, non poteſt ſine illa exiſtere.

Objic. 4. Unio eſt modus naturæ ſubſiſtentis in perſona Verbi, quo iſti unitur hæc natura denudata propria ſubſiſtentia, ut per illud ſubſiſtat: ergo debet ille modus eſſe proportionatus ad finem, ad quem dirigitur; ſed ad hoc non ſufficit ullum accidens; ergo unio hypoſtatica non eſt accidens: prob. ſubſumptum; nam finis, ad quem dirigitur illa unio, eſt, ut illa natura ſit per ſe ſubſiſtens; ſed hoc non poteſt habere per ullum accidens; quia nullum accidens eſt capax perſeitatis.

Reſp. diſt. conſ. Proportionatus in ſuo genere uniendi, & referendi, con. in ſuo genere eſsendi, neg. conſ. & ant. ſubſumptum; non enim aliter debet concurrere iſta unio ad finem incarnationis, quam in genere accidentis relativi inter perſonam Verbi, & humanitatem, ut hæc reſpiciat illud per dependentiam tamquam a ſuſtentante.

Inſtit. Saltem debet importare aliquid abſolutum

fun-

fundans relationem; ergo non eſt pura relatio. Prob. ant. tum quia non datur vera relatio nova in ullo ſubjecto ſine novo fundamento: ſed relatio iſta eſt nova in humanitate: ergo & ejus fundamentum.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. prob. in relatione prædicamentali, & intrinſecus adveniente, con. in relatione extrinſecus adveniente, neg. maj. Nam ut reſultet in me hoc ubi, vel hic ſitus, nihil in me producitur præter adductionem in hoc ſpatium, vel talem poſitionem partium mearum in ordine ad partes loci; neutrum autem dicit quidquam poſitivum abſolutum mihi adveniens. Sic eſt de unione iſta; nihil novi ſupponit in humanitate, præter carentiam propriæ ſubſiſtentiæ, & volitionem Dei, ut dependeat, & ſuppoſitetur per ſubſiſtentiam Verbi, ad quam volitionem ſequitur hæc realis dependentia, & unio.

Quod autem dicunt Recentiores, & Pater Macedo de entitate partim abſoluta, & partim relativa, ſuſtineri nequit; nam eadem realiter entitas non poteſt pertinere ad diverſa realiter prædicamenta; ut ſunt ens abſolutum, quod ſpectat vel ad ſubſtantiam, vel ad quantitatem, aut qualitatem, & ens relativum, quod ſpectat ad 4. prædicamentum, aut ad unum de ſex ultimis. Item implicat in terminis idem indiviſibile eſſe ſimul ad ſe, & ad aliud; ergo & idem eſſe ſimul relativum, & abſolutum.

Quæres, ad quodnam ex iſtis pertineat hæc unio.

Reſp. ut dictum eſt in phyſica, illam poſſe reduci ad *paſſionem*, quia per actionem divinam humanitas recipit illam, & illa mediante unitur Verbo, & quaſi recipit illud, & aſſumitur ab eo.

Reſp. 2. Illam poſſe quoque aliquo ſenſu reduci ad *habitum*, quia per illam humanitas eſt habens ſubſiſtentiam verbi, & verbum ipſam.

Reſp. 3. Quod quamvis non poſſet reduci proprie ad aliquod prædicamentum, non minus dicenda eſſet relatio; nec enim de illa ratiocinari debemus, ſicut de cæteris entibus naturalibus; cum ſit ſupernaturaliſſima, & prorſus admirabilis, & ineffabilis.

QUÆSTIO II.

De termino formali, & immediato hujus unionis.

QUia diximus, unionem hanc eſſe relationem, & quia relationes maxime dignoſcuntur ex terminis earum, & ab eis potiſſimum dependent, ut melius cognoſcatur natura hujus unionis, quærimus de illius termino.

Porro aliter dicendum erit de termino unionis. 1. ſi ſumatur active, & pro unitione, ſeu actione Trinitatis, per quam humanitas Chriſti non permittitur ſubſiſtere per propriam ſuam ſubſiſtentiam, & jubetur ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi; nam ſub hoc reſpectu certum eſt terminum formalem a *quo* talis actionis eſſe ipſam entitatem formalem unionis, de qua loquebamur in præcedenti. 2. aliter, ſi ſumatur unio formaliter, & quaſi paſſive, prout eſt relatio, & nexus productus inter humanitatem, & Verbum, ex qua unione reſultat Chriſtus in ſuo eſſe completo hominis Dei. De termino unionis in 1. ſenſu nihil hic reſtat dicendum, ſaltem pro nunc; loquemur ergo de illo termino in 2. ſenſu. Suppono autem, quod terminus formalis, & ad quem unionis hujus alius eſt *totalis*, ſeu *ultimus*, ſeu terminus *qui*, & alius *formalis*, ſeu *immediatus*, & *quo*. 1. eſt tota res, ad quam terminatur relatio, ſeu totum compoſitum, quod ex unione partium conſurgit. 2. vero eſt illa pars, quæ quaſi primo, & per ſe attingitur, & alteri comparti per unionem copulatur: v. g. album eſt terminus, *qui* conſurgit ex unione albedinis cum pariete; albedo vero eſt terminus formalis *quo* talis unionis.

Suppono 2. ex philoſophia, quid ſit ſuppoſitum, perſona, & ſubſiſtentia, & quod hæc non addant ſupra naturam ſpecificam, & ſingularem, & exiſtentem, niſi duplicem negationem communicabilitatis illius naturæ ad alienum ſuppoſitum, ſc. actualis, & aptitudinalis, & hanc ſubſiſtentiam eſſe realiter modaliter diſtinctam, & ſeparabilem a ſua natura. Hæc non placet hic repetere. Quærimus ergo hic de utroque termino formali hujus unionis, & hoc tam de facto, quam de poſſibili.

CON-

CONCLUSIO I.

Terminus totalis unionis hypoſtaticæ eſt Chriſtus, ſeu Deus homo in unitate perſonæ; formalis vero, & quo, eſt perſona Verbi. Eſt communis, & videtur de fide quoad utramque p.

Prob. 1.p. ex Scoto. [1] *Tenendum, quod per unionem hypoſtaticam perſona Verbi ſubſiſtit in duabus naturis: in una, a qua habet primum eſſe, ſc. Deitate, in alia, ſc. humanitate, quaſi adventitia, qua habet ſecundum eſſe* &c. ergo terminus totalis unionis, ſeu incarnationis eſt Chriſtus totus, prout perſona una ſubſiſtens in natura divina, & humana, ita ut vere ſit Deus-homo, & homo-Deus.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Damaſcenus; *In Domino Jeſu Chriſto duas naturas cognoſcimus, unam autem hypoſtaſim ex utraque compoſitam*, ſeu in utraque illa natura ſubſiſtentem. Idem docet S. Athanaſius in ſymbolo, & alii Patres, & Theologi.

Prob. 3. Terminus totalis unionis, tam formalis, quam activæ, eſt compoſitum reſultans ex unione duarum naturarum divinæ, & humanæ in perſona Verbi; ſed Chriſtus, ut *homo Deus*, ſive *Deus homo* ita ſubſiſtens eſt tale compoſitum; ergo &c. maj. videtur conſtans; nam terminus totalis eſt illud totum, quod intenditur per actionem unitivam, ſeu incarnationem; ſicut terminus totalis generationis humanæ eſt totus homo genitus in unitate ſuppoſiti ex anima rationali, & corpore. min. etiam patet; nam nomine Chriſti nihil aliud intelligimus, quam duas illas naturas in una perſona divina ſubſiſtentes.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto, [2] qui rem ſic definit. *Dico, quod eſſentia non eſt formalis ratio terminandi iſtam unionem, ſed proprietas perſonalis, quod probo ſic. In quocumque ſuppoſito eſt ratio terminandi iſtam unionem, ipſum terminat eam, pater, in quo eſt eſſentia divina, non terminat eam*: ergo ex Scoto ſola perſonalitas Verbi eſt terminus formalis unionis hypoſtaticæ.

Prob. 2. ex Concil. & Patribus; nam, inquit

C 5 Conci-

[1] *5.d.C.q.3.A.n.2.*
[2] *1.d.1.q.5.A.n.5.*

Conc. Toletanum VI. & XI. (1) *ſolus filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in unitate divinæ eſſentiæ; id eſt in eo, quod eſt proprium filio; non in eo, quod commune eſt trinitati*, ut eſt Deitas, vel ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ. Et in VI. Synodo approbatur dictum S. Dionyſii, qui de his, quæ ad incarnationem pertinent dicit, *Illis nulla ratione communicat Pater, & Spiritus S. niſi tantum benigniſſimam voluntatem*, &c. Et ſic de aliis, qui omnes unanimiter hanc unionem terminant ad perſonam Verbi, ita ut dicatur incarnatus, non autem Pater, nec Spiritus S.

Prob. 3. Nam terminus formalis, & immediatus unionis hypoſtaticæ eſt id, ratione cujus nec Pater, nec eſſentia, nec Spiritus S. dicitur incarnatus, vel aſſumpſiſſe carnem humanam in unitatem perſonæ; ſed hoc aliter dici non poteſt, niſi hæc unio terminata ſit immediate ad perſonam Verbi formaliter, & ſecundum quod diſtinguitur ab aliis perſonis, & a ſubſiſtentia communi, & abſoluta eſſentiæ; ergo &c. Prob. min. Nam ſi terminaretur immediate ad eſſentiam, vel ſubſiſtentiam abſolutam, vel denique ad aliquid commune aliis perſonis, non poſſet dici Verbum eſſe incarnatum potius quam aliæ perſonæ; ergo &c.

Ut autem melius capias vim hujus rationis, quæ eſt Scoti, repete ex tract. de Trinitate, quod in Deo præter tres perſonalitates, & ſubſiſtentias relativas agnoſcimus unam abſolutam ex parte eſſentiæ, quæ eſt communis tribus perſonis divinis, ſicut eſſentia ipſa, & hanc dicimus non eſſe rationem terminandi hanc unionem immediate, & *ut quo*, ſed ſolam ſubſiſtentiam relativam Verbi; alioqui ſicut illa ſubſiſtentia abſoluta eſt communis tribus, ſic & unio, & aſſumptio humanitatis eſſet æque ad Patrem, & Spiritum ſanctum.

Objic. con. 1. p. Terminus totalis incarnationis debet eſſe quid creatum: ſed Chriſtus totaliter non eſt quid creatum: ergo nec terminus totalis incarnationis, ſeu unionis hypoſtaticæ. Maj. patet; nam terminus ille debet accipere eſſe, & produci per actionem incarnativam, & unitivam, & reſultare ex illa unione. Prob. etiam min. Nam Chriſtus eſt verus Deus, & perſona divina æque, ac homo; ergo &c.

Reſp.

[1] *Confeſſ. fidei.*

Reſp. diſt. maj. & rationem ejus. Secundum quod terminat actionem illam, con. ſimpliciter, & abſolute ſecundum omnia, quæ importat, neg. maj. Chriſtus dicitur terminus totalis incarnationis, non quia totus producitur ſecundum omnia, quæ includit diviſim; ſicut id dicitur de termino totali generationis Petri, qui totus de novo producitur per generationem tam ſecundum corpus, quam ſecundum animam; ſed dicitur productus, & creatus, quatenus illud compoſitum ex humanitate, & perſona divina de novo producitur quoad illud eſſe, ſeu quoad illam compoſitionem, qualiſcumque illa ſit. Nam licet perſona Verbi, & natura divina, quæ eſt pars principalis illius compoſiti, ſit æterna, & increata; tamen realiter, & in tempore aſſumit ad ſe illam humanitatem, & illam verè ſuſtentat, & conſtituit unam perſonam ſubſiſtentem in duabus naturis.

Objic. 1. contra 2. Illud eſt Verbo formalis terminus unionis hujus, quod eſt illi ratio continendi virtualiter perfectionem ſuppoſiti creati, quia hoc idem eſt illi ratio ſupplendi defectum ſubſiſtentiæ creatæ, & ſuſtentandi humanitatem; ſed illa continentia virtualis convenit Verbo ratione eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ abſolutæ; ergo Verbum terminat hanc unionem ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam, aut ſecundum eſſentiam, non ſecundum perſonalitatem relativam. Min. prob. nam ſoli eſſentiæ convenit continere perfectiones omnium entium; ergo &c.

Reſp. ex Scoto, neg. maj. Nam terminatio hujus relationis non eſt ſecundum cauſalitatem, nec per conſequens ſecundum illam continentiam, ſed ſecundum ſuppoſitalitatem per puram, & ineffabilem terminationem.

Objic. 2. Per id convenit Verbo ſuppoſitare humanitatem, per quod convenit illi ſubſiſtere; ſed illi convenit ſubſiſtere per ſubſiſtentiam abſolutam; ergo &c. Prob. min. nam eſſentialia, & abſoluta ſunt priora relativis notionalibus; ergo Verbum (idem eſt de aliis perſonis) prius ſubſiſtit per ſubſiſtentiam abſolutam, quam per relativam.

Reſp. diſt. maj. Per quod convenit Verbo ſubſiſtere perſonaliter, con. maj. & neg. min. eſſentialiter, neg. maj. & conſ. Verbum ſubſiſtit quidem eſſentialiter per

ſubſiſtentiam abſolutam, & eſſentialem, quæ illi eſt communis cum Patre, & Spiritu Sancto; ſed perſonaliter ſubſiſtit per relativam, & per hanc terminat unionem hypoſtaticam humanitatis, quandoquidem ſolus filius dicitur unitus, & incarnatus immediatè, & perſonaliter.

Inſt. Perſonalitas relativa identificatur realiter eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ abſolutæ; ergo tam unitur ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam, quam relativam.

Reſp. neg. conſ. Nam ut dicatur uniri ſecundum relativam, non ſecundum abſolutam, ſaltem immediate, & formaliter, ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei; ſicut ſufficit, ut eſſentia dicatur communicari, & perſona non communicari, ut diximus alias.

Inſt. 2. Verbum terminando hanc unionem humanitatis non tribuit illi eſſe relativum, ſed abſolutum; ergo illam terminat per ſubſiſtentiam abſolutam: nam relatio nec facit, nec conſtituit eſſe abſolutum. Confir. hoc. Nam ſubſiſtentia divina, per quam terminatur hæc unio, ſupplet ſubſiſtentiam creatam, quæ debebat terminare humanitatem; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam etiam perſona Chriſti eſt relativa, & ſubſiſtentia relativa Verbi tribuit illi ſubſiſtere, & eſſe relativum loco ſubſiſtere, & eſſe abſoluti, quod reſultare debebat in humanitate.

Objic. 3. Negamus, hanc unionem terminari ad eſſentiam, vel ſubſiſtentiam ejus, quia putamus inde ſequi incarnationem, & unionem trium perſonarum divinarum; ſed in hoc decipimur; ergo & in illo. Maj. patet ex diſcurſu Scoti, & noſtro. Prob. min. ſequeretur maximè ob identitatem perſonarum in eſſentia; ſed illa identitas hoc non efficit; ergo &c. Prob. min. Nam identitas perſonarum in eſſentia non impedit earum diſtinctionem, & oppoſitionem relativam inter ſe; ergo nec impediret Verbum dici unitum ſine aliis perſonis.

Reſp. neg. 1. & 2. min. & diſt. 3. Non impedit diſtinctionem perſonalem, & oppoſitionem relativam, con. diſtinctionem eſſentialem, & abſolutam oppoſitionem, neg. min. Perſonæ divinæ ſunt unum quid reale in eſſentia, & quidquid convenit uni ratione eſſen-

eſſentiæ, convenit aliis, quæ eſt eadem, & communis omnibus, quod autem convenit uni ratione perſonalitatis propriæ, convenit illi ſoli, ut iſta unio terminativa.

CONCLUSIO II.

Terminus formalis incarnationis activæ prout eſt incarnatio, ſeu aſſumptio carnis, ſeu humanatio, eſt ipſa humanitas ſingularis, & completa, ſed non ſubſiſtens, ſeu perſonata.

Prob. 1. ex Scoto, & Damaſceno dicente: [1] *Verbum aſſumpſit naturam in atomo, non tamen perſonatam:* & toto illo articulo probat ſeparabilitatem naturæ a propria ſubſiſtentia, quia, inquit, licet nata ſit ita ſubſiſtere, tamen habet aptitudinem obedientialem ad ſubſiſtere per alienam ſubſiſtentiam, quia, inquit, [2] *ex imperfecta obedientia ad dependendum per actionem agentis naturalis; & quando datur ſibi, talis dependentia fit per actionem incarnativam, & unionem hypoſtaticam perſonatur perſonalitate illa, ad quam dependet, quando autem non datur, ſed ſibi relinquitur, perſonatur in ſe iſta negatione formaliter,* ſcilicet per propriam ſubſiſtentiam, quam diximus conſiſtere in duplici negatione communicabilitatis actualis, & aptitudinalis.

Prob. 2. Terminus formalis unitionis, ſeu incarnationis activæ eſt id, quod in termino totali habet rationem quaſi formæ; ſed in Chriſto id præſtat humanitas carens propria ſubſiſtentia, & habẽs divinam, in qua ſubſiſtit; ergo &c. Prob. min. Nam ab humanitate non in ſe ſubſiſtente, ſed per ſubſiſtentiam Verbi, cui unitur Chriſtus, habet, quod ſit vere homo formaliter; ergo &c.

Objic. tam repugnat humanitatem eſſe formam reſpectu Verbi, quam Verbum eſſe formam humanitatis, quia tam repugnat Verbo pati, & habere rationem materiæ, & ſubjecti, & inire compoſitionem per modum materiæ, quam per modum formæ; ſed illud repugnat Verbo per ſuam ſimplicitatem, & completivitatem infinitam, ergo & illud a fortiori, quia conceptus materiæ dicit perfectibilitatem paſſivam.

Reſp.

[1] *3.d.1.q.5.D.n.6.* [2] *ibid.G.n.9.fin.*

Reſp. diſt. min. per modum partis componentis, & perfectibilis, con. per modum ſuppoſiti, & ſuſtentantis, neg. min. nam cum per incarnationem dicitur, quod Verbum fit homo, ſignificatur tantum, quod terminat ad ſe, & aſſumit ſibi humanitatem, quam ſuſtentat per modum ſuppoſiti; in quo nulla eſt imperfectio; ſicut cum dicit Scotus in eodem Chriſto, *Homo fit Deus*, ſignificatur tantum, quod humanitas ſubſiſtens in Verbo ſubſiſtit in eadem perſona cum divinitate, & quod eadem perſona divina eſt habens divinitatem, & humanitatem.

QUÆSTIO III.

An unio hypoſtatica inducat veram compoſitionem in Chriſto, & an facta ſit in natura, vel in perſona.

Compoſitio ex vi vocis ſignificat unionem, ſeu ſimultaneam poſitionem duarum, aut plurium rerum in aliquod unum concurrentium. Propriè autem ſignificat unionem partium diſtinctarum in ordine ad conſtituendum aliquid per ſe unum, in quo ſe habent per modum actus, ſeu perfectivi, & potentiæ, ſeu perfectibilis. Alia eſt *ſubſtantialis*, in qua partes illę ſunt ſubſtantia, ut in homine ex corpore, & anima. Alia *accidentalis* ex ſubjecto, & accidente, ut album. Alia eſt *eſſentialis*, in qua partes ſe habent, ut genus, & differentia, ut in compoſito metaphyſico; vel materia, & forma ſubſtantialis; ut in compoſito phyſico. Alia eſt *integralis*, quæ eſt ex partibus integrantibus; ut corpus humanum ex capite, trunco &c. Quæſtio hæc procedit maxime de compoſitione phyſica, an ſit in Chriſto ratione humanitatis, & divinitatis, quæ ibi ſubſiſtunt in perſona Verbi; vel ratione humanitatis, & perſonæ Verbi, quæ illam ſuſtentat, & cui illa unitur in unitatem perſonæ? Nam de perſona ejuſdem Verbi cum Deitate, quæ in eadem perſona ſubſiſtit, non eſt hujus loci quærere, an faciat compoſitionem, cum illa enim eſt una ſimpliciſſima ſubſtantia, ut conſtat ex tract. de Deo uno.

Hæc autem quæſt. gravis olim fuit Orthodoxis cum hæreticis Neſtorianis, & Eutychianis. Illi duas vole-

volebant in Chriſto perſonas, ſicut & naturas, & Verbi perſonam dicebant unum eſſe cum homine illo. 1. per intimam conjunctionem, qua illi communicabat ſe ſpecialiter, modo, quo non communicat ſe aliis, nec per immenſitatem, nec per gratiam. 2. per ſummam amicitiam, & affectum, & conformitatem voluntatis humanæ cum divina. 3. per operationem, quia Verbum communicabat ſuam virtutem homini, quo velut inſtrumento utebatur in operando. 4. denique per communicationem dignitatis, quam homo ille participabat a Verbo, ita ut Deus vellet hominem honorari in ſe, & ſe in illo.

Eutyches in aliud extremum cecidit, volens unionem hanc eſſe phyſicam, & terminari ad unitatem naturæ compoſitæ, ſeu mixtæ ex divina, & humana, ita ut ex illis reſultaret una tertia ex illis participans virtutes, ſicut & infirmitates; ſicut ex carne, & anima reſultat compoſitum, quod dicitur homo, in quo duæ partes illæ continentur, ſed in unam tertiam ſubſtantiam, & naturam coeunt.

CONCLUSIO I.

UNio hypoſtatica eſt quidem aliqua vera compoſitio, non tamen rigoroſa, ſeu proprie. Ita Scotiſtæ, & eſt communior contra Neſtor.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Illa opinio, quæ dicit perſonam Chriſti eſſe compoſitam, non tenetur communiter, proprie loquendo de compoſitione, ſcilicet ex actu, & potentia, ſicut ex materia, & forma, vel ex duobus potentialibus &c.* (ut ſunt elementa in mixto, vel integrantia unam naturam totalem) ... *Debet ergo dici perſonam eſſe compoſitam propter unionem duarum naturarum, in quibus ſubſiſtit. Sed verius negari poteſt compoſitio, quia una non perficit aliam, nec ex eis eſt aliqua natura tertia.* Habes hic totam concluſionem, & ejus ſolida fundamenta.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Conciliis, & Patribus, qui communiter in Chriſto cognoſcunt aliquam compoſitionem: ut Synodus V. [2] *Si quis non confitetur unionem ſecundum compoſitionem.* Et infra dicitur (3) *Chriſtus*

[1] *3.d.6.q.4.B.n.3.* (2) *Act.8.c.4.*
[3] *Act.4.& 7.*

ſtus compoſitus ex duabus naturis, quod approbat VI. Synodus in Epiſtola Agathonis PP. & in Ep. Sophronii; [1] item ex Dionyſio, Deus *in una perſonarum infirma noſtra integre, veriſſimeque ſuſcepit ad ſeipſum revocans, atque adſtringens humilitatem noſtram, ex qua ineffabiliter compoſitus eſt*. Et ex Damaſceno, *ſecundum compoſitionem, id eſt ſecundum hypoſtaſim, invertibiliter, inconfuse, inalterate,.... & in duabus naturis perfectis unam hypoſtaſim confitemur filium Dei incarnatum*. Et ſic de cæteris.

Prob.3. Nam fides docet, Chriſtum in una perſona duabus conſtare naturis realiter diſtinctis, cum quibus facit unum ſuppoſitum ſubſtantiale; ergo non eſt quid ſimplex, ſed compoſitum. Prob. conſ. ſimplicitas opponitur multitudini, ſeu pluralitati rerum inter ſe unitarum; ergo ubi reperitur talis multitudo, ibi reperitur compoſitio. Prob.ant. Nam perſona Verbi, & humanitas ſunt duæ res, duo entia realiter diſtincta, & illa perſona vere jungitur illi humanitati, non per ſimplicem aſſiſtentiam, vel affectum, ut vult Neſtor., ſed per veram, & phyſicam unionem; ergo ex illa perſona divina, & humanitate Chriſti exurgit verum, ſed mirabile compoſitum ex duobus entibus realiter diſtinctis.

Prob.2.p. In vera, & propria compoſitione, ſecundum phyſicos, unum extremum unionis ſe habet ut actus, ſeu perfectivum, & alius ut potentia, ſeu perfectibile, & utrumque in ſe, aut ſaltem reſpectu alterius eſt incompletum, & ex illis ambobus fit unum aliquod tertium; ſed perſona Verbi non eſt actus proprie, nec etiam potentia, nec eſt incompleta reſpectu humanitatis Chriſti, neque ex illis fit unum tertium, ſed ambo remanent in ſe integra, & inconfuſa; ergo non facit cum illa perſona propriam, & rigoroſam compoſitionem.

Confir. Nam vera compoſitio fit ex rebus unitis, ut compartibus; ſed Verbum, & humanitas Chriſti non uniuntur, ut compartes; ergo &c. Prob. min. Nam Verbum non eſt pars reſpectu humanitatis, ſed eſt ſuppoſitum in ſe completiſſimum; nec humanitas eſt pars reſpectu Verbi; eſt tantum in potentia obedientiali ad illud, ut ab eo terminetur, ſuſtentetur, & com-

[1] 13. *Divin*. 1. *de fide*.

compleatur perſonaliter, non vero integraliter, nec eſſentialiter, neque accidentaliter; ergo nulla ex his propriis compoſitionibus reperitur in Chriſto ratione Verbi, & humanitatis; ſed aliqua alia minus propria, & ſingularis, cujus rationem, vel exemplum philoſophia non habet.

Objic. contra 2. p. ex Athanaſio; *ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*; ſed homo eſt unus per veram compoſitionem ex anima, & carne; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Ita per aliquam convenientiam quantum ad realitatem rerum unitarum, unionis, con. quantum ad eſſentiam ſive rerum, ſive unionis, neg. maj. unde ſenſus Athanaſii eſt, quod ſicut ex carne, & anima realiter, & phyſice unitis fit unus homo; ita ex perſona Verbi, & humanitate fit unus Chriſtus, tam vere conſtans ex perſona Verbi, & humanitate, quam vere, & realiter homo conſtat corpore, & anima; ſed non eodem modo; nam longe aliter humanitas, & Verbum uniuntur in Chriſto.

Objic. 2. Si humanitas Chriſti exiſteret ſeorſim a Verbo, diceretur vere, & proprie compoſita; ergo multo magis eſt compoſita in Verbo. ant. patet; nam conſtat ex anima, & corpore unitis. Prob. conſ. non amittit illam conditionem in Chriſto; ergo ibi eſt vera, & propria compoſitio.

Reſp. diſt. ant. Eſſet proprie compoſita in ſeipſa, & ratione ſuarum partium eſſentialium, con. in ordine ad ſuppoſitum alienum, vel per unionem hypoſtaticam, neg. ant. & conſ. loquimur de compoſitione Chriſti ſecundum unionem hypoſtaticam cum perſona Verbi, aut cum Deitate mediante Verbo.

Objic. 3. ex Patribus, qui aſſerunt ibi compoſitionem, & Chriſtum vocant compoſitum. Idem eſt de Conciliis a nobis citatis; ſed debent intelligi ut proprie loquentes, & non improprie, vel metaphorice; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam ſatis indicant ſe non loqui de rigoroſa compoſitione, cum vocant illam mirabilem; & Concil. Conſtan. cit. 2. ſe explicat dicens, *Secundum compoſitionem, ſive ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe* Et Dion. dicit *ex qua*, humanitate, *ineffabiliter compoſitus eſt*. Eodem modo explicat Damaſcenum Scotus.

CON-

CONCLUSIO II.

UNio *facta eſt in perſona, non in natura, ita ut agnoſcenda ſit unica realiter perſona, & duæ diſtinctiſſimæ naturæ, divina ſc. & humana*. Eſt de fide, contra Neſtor. quoad 1. p. & contra Eutychem quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto, quatenus docet, Chriſtum *non dici duo maſculine, quia non duæ perſonæ; quia tunc non eſſet unio in perſona. Nec duo neutraliter ... licet habeat duas naturas*; ergo ex Scoto, unio, ſive unitas Chriſti non eſt in natura, ſed in perſona.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Patribus, & Conciliis; nam in Epheſino, quod contra Neſtorium adunatum eſt, id aperte definitur, & in ſymbolo Apoſtolorum dicitur, *Filius Dei unicus, qui conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine*. Et in ſymbolo Nyſſeno J. C. dicitur *filius Dei unigenitus &c.* & in ſymbolo Athanaſii: *Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus unitate perſonæ*; ergo eadem perſona, idem Verbum, idem filius Dei eſt homo, natus ex Maria, & crucifixus. Certe ſi realiter eſſent duæ perſonæ, Concilia illa non poſſent ita loqui ſecundum ullam proprietatem verborum.

Prob. 3. ex ipſa Scriptura. Nam ex Euangelio idem *Verbum*, quod erat *in principio apud Deum*, & *erat Deus*, illud inquam *Verbum caro factum eſt* &c. & alibi ſæpe de ſeipſo dicit Chriſtus: *Ego in Patre, & pater in me eſt*. Et, *antequam Abraham fieret, ego ſum*. Et, *qui deſcendit ipſe eſt*, non deſcendit ſecundum corpus, nec aſcendit, *nec elevatus eſt*, ſecundum divinitatem; ergo illa identitas aſcendentis, & deſcendentis intelligitur de perſona divina cum humanitate, & ſecundum quod homo eſt; ergo idem eſt Verbum, quod erat apud Deum, ut Deus ab æterno, & quod in tempore factum eſt caro.

Prob. 4. ex Patribus, qui omnes idem unanimiter, & conſtanter credunt. [1] *In unitatem perſonæ acceſſit Verbo anima rationalis, & caro*, inquit Auguſt.

Prob. denique; nam ex vi unionis hypoſtaticæ, ſeu incarnationis dicimus, *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*;

[1] *Enchir. 39.*

Deus; & hoc dicitur vel propter identitatem Deitatis cum humanitate, vel propter identitatem perſonæ, quæ ſubſiſtit, & habet utramque naturam; ſed non dicitur propter identitatem naturarum; ergo propter identitatem perſonæ, quæ Deus eſt, & quæ homo eſt.

Confir. quia duæ naturæ diverſæ in bona logica non poſſunt de ſe invicem prædicari in concreto, niſi ratione ſuppoſiti, quod eſt unum habens utramque; ſicut nec duæ formæ accidentales, niſi ob identitatem ſubjecti; ut cum dicitur, *album eſt dulce*; aut e contra: ſenſus eſt, quod idem ſubjectum, quod habet albedinem, habet dulcedinem, & viciſſim; ergo idem eſt de illis propoſitionibus, *Deus eſt homo*, & e contra; ſcilicet ſignificant, quod eadem perſona ſubſiſtit; & habet Deitatem, & humanitatem.

Prob.2. p.1. ex Scriptura, quæ agnoſcit in Chriſto utramque naturam, ut cum dicitur a Deo Patre, *hic eſt filius meus dilectus*, & ipſe ſe dicit ſæpiſſime filium hominis, & patrem ſuum dicit cœleſtem. Petrus confitetur: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Et cœcus illuminatus, *Ille homo qui dicitur Chriſtus*. Item ipſemet, *Ego, & pater unum ſumus*. Loquitur de Patre Deo; & alibi, *Quæritis me interficere hominem, qui vera loquutus ſum vobis*. Et denique in Cruce, in qua moritur, ut homo, loquitur ad Deum ut Patrem. *Pater ignoſce illis*, & declaratur filius Dei ab ipſis inimicis. *Vere filius Dei erat iſte* &c. ergo utraque natura tranſit inconfuſa, & integra in Chriſto. & Apoſtolus, *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo* &c. & alibi, *& ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei*. Vides carnem cum tota ſua infirmitate, & Deitatem cum tota ſua virtute.

Prob.2. ex Concil. nam in Calcedonenſi, [1] *Confitemur filium Dei unigenitum in duabus naturis, inconfuſe, inſeparabiliter ..... agnoſcendum, numquam ſublata differentia naturarum*. & in Conſtantinop. II. quod eſt Synodus generalis V. *Secundum ſubſtantiam dicentes carni unitum eſſe Verbum, non confuſionem quandam ad vices naturarum factam fuiſſe dicimus, magis autem manente utraque* &c. Et in Synodo VI. *omnia duplicia unius, ejuſdemque Domini Chriſti*

aſſe-

[1] *Act.5. ca.7.*

aſſerimus, id eſt duas ejus naturas prædicamus, divinam ſc. & humanam. Et in Lateran. ſub Martino I. *Si quis non confitetur, proprie, & vere ex duabus naturis, Deitate, & humanitate ſecundum ſubſiſtentiam unitis, inconfuſe, & indiviſe eundem, & unum Chriſtum eſſe, ſit condemnatus*. Hic habes definitam utramque partem concluſionis, ſcilicet identitatem perſonæ in dualitate naturarum.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, ut vidimus ex Dionyſio, *integra ibi divinitas inſerta eſt humilitati noſtræ*. Idem unanimiter docent alii, quos longum eſſet recenſere. Addo S. Athanaſium in Symbolo, *perfectus Deus, perfectus homo* &c.

Prob. denique ratione. In Chriſto vere Verbum divinum *Incarnatum eſt*, ſive, ut loquitur Conc. Nicænum, *Filius Dei vere incarnatus eſt, & homo factus eſt*; ergo incarnatio, ſeu unio non facta eſt in natura, ſed in perſona, ita ut ambæ naturæ manſerint integræ, & inconfuſæ. Prob. conſ. ſi illæ naturæ non manſiſſent integræ, & diſtinctæ, ſed una tertia ex illis conflaretur, hoc fieret per converſionem unius in aliam; vel per compoſitionem unius ex utraque; vel per mixtionem, & confuſionem ambarum; ſed nihil horum dici poteſt; ergo utraque remanet integra. Prob. min. 1. non per converſionem alterius, quia Deitas eſt inconverſibilis, inalterabilis, non ſolum per ſui deſitionem, & tranſitum ad aliud, ſed etiam per receptionem alterius naturæ: alioqui non eſſet immutabilis, nec infinita, nec ſimpliciſſima: & tam illi repugnat quidquam de novo in ſe recipere, quam in ſe deſtrui, & in aliud commutari. 2. non per converſionem utriuſque in tertiam ob eandem rationem; maxime ob immortalitatem, & inalterabilitatem, & infinitatem Deitatis. Item quia ſic Chriſtus non eſſet nec verus Deus, nec verus homo, nec conſubſtantialis patri, nec matri. 3. denique non per mixtionem, ſeu confuſionem illarum naturarum inter ſe: nam utrumque repugnat Deitati; tum ut in ſe patiatur immixtionem ullius rei externæ, tum ut ipſa miſceatur cum illa ob eandem rationem immutabilitatis, & ſimplicitatis, per quas repugnat illi omnis attemperatio phyſica; nam id fieri non poteſt ſine alteratione phyſica, & mutatione; ergo utraque na-

tura

tura eſt in Chriſto impermixta, & ſecundum totam ſuam integritatem, & puritatem.

Objic. con. 1.p. ex Script. 1. humanitas dicitur templum perſonæ Verbi, & Deitatis; [1] *Solvite templum hoc*. Et, in ipſo [2] *habitat plenitudo divinitatis*. Et ipſe moriens clamat, *Deus meus ut quid dereliquiſti me?* ergo perſona divina receſſit ab humana. Item humanitas dicitur veſtis Verbi; *Habitu inventus ut homo:* ſed hæc, & ſimilia arguunt diſtinctionem ſuppoſitorum; ergo in Chriſto non eſt unitas perſonæ. Prob. min. nam templum, habitatio, habitus, &c. ſunt ſuppoſita diſtincta ab his, qui habitant, induuntur &c. idem enim ſuppoſitum non poteſt derelinquere ſeipſum.

Reſp. diſt. maj. dicitur templum metaphorice, con. proprie, neg. maj. & conſ. nam eodem modo dicitur de humanitate Chriſti, quod ſit templum Deitatis, ſeu Verbi, aut Dei, quo id dicitur de anima noſtra, aut de corpore reſpectu animæ. Et plenitudo divinitatis dicitur habitare in Chriſto, non tantum moraliter per gratiam, ut in ſanctis; nec ſolum per immenſitatem, ut eſt in omnibus entibus: ſed *corporaliter*, inquit Apoſtolus, id eſt per unionem realem, & *ſubſtantialiter*, ſicut anima in corpore cum proportione.

Inſt. ex Patribus. Nam illi ſine dubio non debent loqui metaphorice, ubi agitur de explicatione myſterii; nam ſimilibus loquutionibus utuntur; ergo nulla ſolutio. Prob. ant. nam S. Baſilius Chriſtum vocat *hominem Deiferum*. Et in Hymno SS. Auguſtini, & Ambroſii, quem cantat Eccleſia, dicitur filius Dei *ad liberandum ſuſcepturus hominem*, quod ſignificat ſuppoſitum, ſeu perſonam humanam. Et ipſe Apoſtolus dicit, quod Dei filius *in ſimilitudinem factus eſt hominum*, non autem homo. Auguſt. dicit, quod in Chriſto *eſt aliud præter hominem*. Et S. Leo: *Aliud coruſcat miraculis* (nempe Deus, ſeu Verbum) *& aliud ſuccumbit miſeriis*; ubi autem eſt *aliud*, & *aliud*, ibi eſt diſtinctio ſuppoſitorum; ergo ex Patribus, & rigore ſermonis in Chriſto ſunt duæ perſonæ.

Reſp.

[1] *Joan.* 2.
[2] *Coloſſ.* 2.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam licet SS. PP. in explicandis fidei myſteriis exactiores fuerint, ne darent locum erroribus, aut quando impugnabant errores; tamen in concionibus oratorum more liberius, & non adeo ſcrupulose loquuti ſunt; & ſic morem, ac expreſſiones metaphoricas ſcriptorum canonicorum imitati, eaſdem voces uſurparunt. Sic S. Baſilius Chriſtum vocat *Deiferum*, ut ſignificet eum habere in ſe veram Deitatem. SS. Auguſt. & Ambroſius filium Dei laudant, quod ſuſceperit hominem in utero Virginis, quia oratorie, & quaſi in exceſſu lætitiæ in gratiarum actione pro converſione Auguſtini loquebantur inter ſe, & hominem dicunt pro humanitate, per quam eſt homo, ſicut Joannes dicit, *Verbum caro factum eſt* pro *factus eſt homo*; ſed alibi exactius loquuntur. Ita eſt de eodem Auguſtino, & Leone, cum videntur admittere in eodem Chriſto *aliud*, & *aliud*, nempe alietatem naturæ intelligunt, non ſuppoſiti. Unde expreſſis verbis dixit ibidem, quod *Chriſtus una perſona Verbum, & homo eſt*; & poſtquam dixit, *aliud propter Verbum, & aliud propter hominem*, addit, *propter verbum Dei æqualis eſt patri, & propter hominem minor*; & poſitive aſſerens identitatem perſonæ, *unus Dei filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei filius* &c.

Idem docuit S.Leo, [1] *ſalva utriuſque ſubſtantiæ proprietate, & in unam coeunte perſonam, Deuſque verus, & homo verus in unitatem Domini temperatur* &c. Quantum ad ſimilitudinem hominis, & formam ſervi idem explicat Auguſt. ut veritatem, & realitatem humanitatis non excludat. Id enim fecit, inquit, *non amittens, vel minuens formam Dei, ac per hoc & minor eſt factus, & manſit æqualis, utrumque unus* &c.

Objic. 2. Unio hæc non eſt facta in unitate naturæ; ergo nec perſonæ Verbi. Prob. conſ. nam perſona Verbi eſt idem cum natura divina; ergo ſi Chriſtus non eſt unus in natura, ita nec in perſona.

Reſp. nego utramque conſ. nam ut dicatur unitus ſecundum perſonam directe, & immediate, non autem ſecundum naturam, quia ſuſtentat duas, ſuffi-

cit

[1] *Ser. nativ. c. 2.*

cit diſtinctio formalis ex natura rei inter perſonam Verbi, & Divinitatem.

Objic. 3. tot ſunt perſonæ in Chriſto, quot generationes paſſivæ, & filiationes; ſed ibi ſunt duæ generationes paſſivæ; ergo & filiationes; ergo & duæ perſonæ. Prob.maj. nam generatio paſſiva eſt ſuppoſiti æque, ac activa, & filiatio in Deo conſtituit ſecundam perſonam; ergo &c.

Reſp.neg.maj.& diſt.ant. eſt ſuppoſiti *ut quod*, con. *ut quo*, neg. ant. nec valet paritas de Deo, & generatione Verbi ad generationem humanam Chriſti. In 1. ſolum ſuppoſitum, ſeu perſonalitas producitur, & natura ſolum communicatur; quia, cum ſit infinita, non producitur: e contra in generatione Chriſti ſola natura humana producitur; & perſona Verbi ei communicatur, ut per illam ſubſiſtat.

Objic. 4.perſonalitas reddit naturam incommunicabilem; ergo Verbum non unitur in Chriſto ſecundum perſonalitatem, ſed potius ſecundum naturam. Prob.ant. nam perſona definitur *naturæ intellectualis individua ſubſtantia*, & per nos importat formaliter duplicem negationem communicabilitatis.

Reſp.diſt.Incommunicabilem alteri, ut ſuppoſito, a quo perficiatur, & compleatur,con.alteri, quod perficiat, & compleat, neg. ant. & conſ. prob. nam perſona Verbi non communicatur humanitati, ut ab illa compleatur; ſed potius ut illam ſuſtentet, & compleat. Aliæ objectiones faciunt contra poſſibilitatem, & ibi ſolutæ ſunt.

Objic. 1. con. 2. p. pro Eutychianis ex ſcript. *Verbum caro factum eſt*; & filius Dei *homo factus eſt*. ergo non manent in Chriſto duæ naturæ. prob.conſ. quod fit aliud, non manet idem, quod erat; ſed per unionem hanc Verbum fit aliud, nempe caro, ſeu homo; ergo non manet Deus, qui erat. Prob.maj.cum in nuptiis aqua facta eſt vinum; non manſit aqua; & cum ex ligno fit ignis, non manet lignum, ſed in ignem convertitur.

Reſp. diſt. maj. quod fit aliud per converſionem ad illud, vel propriam compoſitionem, ex qua reſultat aliud, con. per ſimplicem unionem cum illo, neg. maj. & min. & paritatem de aliis. Verbum fit caro, & homo per aſſumptionem carnis, & humanitatis, non

non per converſionem, aut per compoſitionem, per quam fiat illud: ut cum ex corpore, & anima fit homo; ſed dum *fit homo, quod non erat* (nempe homo) *manet, quod erat* (nempe Deus, Verbum.)

Objic. 2. Patres dicunt hic *Deum eſſe hominem mixtum*; ut Auguſt. & Cyprian. unionem hanc vocant [1] *mixturam Dei, & hominis*. Et S. Athan. dicit, quod *ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo*, ſc. (in una natura) ita *Deus, & homo unus eſt Chriſtus*. Et S. Cyrillus dicit ex mente Patrum, *Chriſtum eſſe unam naturam Dei incarnatam*; quod ſæpius repetit; eandem loquutionem repetit V. Synodus. Imo Concil. Lateran. I. dicit: (1) *ſi quis ſecundum SS. PP. non confitetur proprie, & ſecundum veritatem unam naturam Dei verbi incarnatam, Anath. ſit*; ergo ex PP. & Conciliis in Chriſto non eſt niſi unica natura, quæcunque illa ſit, ſive mixta, ſive compoſita, & converſa.

Reſp. neg. conſ. non enim recte infertur ex verbis illis PP. & Concil. I. quia de *mixtura*, ſicut nec de *compoſitione* loquuntur in rigoroſa, & propria ſignificatione, ut jam monuimus. Hanc unionem vocant *mixturam*, ut doceant eam eſſe intimam, & tam perfectam communicationem Deitatis ad humanitatem Chriſti, quanta poſſibilis eſt inter naturas illas. 2. ad Athan. jam diximus illum non facere comparationem illam, niſi ad ſignificandam unionem tam veram, & tam realem, quam ſit unio animæ cum corpore, non obſtante materialitate, & ſpiritualitate partium: non autem ut in omnibus ſint ſimiles. 3. S. Cyrillus, & alii, ſive etiam Concilia, quæ videntur ibi docere, *unam naturam*, vel ſubſtantiam, intelligunt unam ſubſiſtentiam, ſive perſonam, ut notavimus in tract. de Trinit. ideo monet Anaſtaſius Synaita, [3] *unam Chriſti naturam incarnatam hic accipi, ut ſit una perſona S. Trinitatis incarnata*: & ſic etiam notat S. Cyrillus, ſe explicaſſe, & ſic etiam rem definit V. Synodus citata. Ille autem libentius utebatur voce *naturæ incarnatæ*, ut longius diſtaret ab errore Neſtorii, qui in Chriſto volebat duas naturas completas, & perſonatas. Et denique ve-

[1] *de vanit. Idol. ſymb.*
[2] *Can. 5.* (3) *Can. 8.*

verum eſt, Deitatem ſolam eſſe incarnatam, quia illa ſola unitur carni, non vero humanitas, quæ eſt ipſa caro aſſumpta, & hoc ſenſu loquitur Concil. Lateran. [1] *Per hoc, quod una Verbi Dei natura incarnata dicitur, noſtra ſubſtantia in Chriſto eſt, indiminute ſignificatur*.

Inſt. S. Cyrillus [2] expreſſe dicit: *Ex duabus naturis concurſionem eſſe factam in unitate: poſt unitionem vero naturas eaſdem a ſe mutuo non dividi, ſed unam eſſe naturam incarnatam*: Sed hæc verba non poſſunt trahi ad alterutrum ſenſum reſponſionis: Ergo hæc non valet; nam quod ita eſt unum, ut partes *non poſſint a ſe mutuo dividi*, & quod ita ſint una natura, ut non ſint duæ in carne, ſed una, non poteſt dici habere duas naturas; imo & aperte dicit, quod Chriſtus poſt unionem *non eſt duplex*, ſed *unus eſt Chriſtus*; ergo, &c.

Reſpond. neg. utramque conſequ. Nihil enim ex his duobus locis elicitur contra reſponſum; nam quod poſt unionem Chriſtus non ſit duplex, illa unitas cadit in perſonam, & quod ſit unica natura incarnata, cadit in Deitatem, quæ ſola ſumpſit carnem.

Objic. 3. Si in Chriſto eſſent duæ naturæ, eſſent duo Chriſti; ſed conſequ. eſt falſum; ergo, &c. Prob. maj. Ideo in Trinitate perſonarum non ſunt tres Dii, quia ibi eſt tantum una Deitas, ſeu una natura; ergo ſi in una perſona Chriſti eſſent duæ naturæ, eſſent duo Chriſti; nam unitas, vel pluralitas naturæ facit unitatem, vel pluralitatem concretorum, ſeu Deorum.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam ad dualitatem Chriſti requiritur dualitas ſuppoſitorum; quia concretum illud, *Chriſtus*, ſignificat directe perſonam; iſtud autem, *Deus*, primo cadit in naturam; & ideo iſtud non plurificatur, niſi plurificentur Deitates, illud vero non plurificatur, quia unica eſt perſona, in quam cadit illud nomen.

Inſt. Ubi ſunt plures naturæ integræ, & perfectæ, ibi ſunt plura ſuppoſita; ſed in Chriſto eſſent duæ naturæ perfectæ, ſcilicet perfecta Deitas, & perfecta humanitas, & Chriſtus dicitur perfectus Deus,

[1] *conſul.5.* [2] *epiſt. ad ſucceſ. l.7.70.*

Deus, perfectus homo; ergo & duæ perſonæ.

Reſp. diſt.maj. plures naturæ eſſentialiter, & ſeorſim ſubſiſtentes, conc.maj. & neg.min. ſubſiſtentes indiviſim, & in eodem ſuppoſito, neg. maj.& conſequ. Nam Deitas, & humanitas in Chriſto non ſubſiſtunt ſeorſim, ſed in una Verbi perſona.

Igitur unio hypoſtatica duas naturas ſpecificas, & ſingulares conjungit in unitatem perſonæ, ita ut tam vere Chriſtus ſit unice realiter perſona, quam duæ reales naturæ in illa perſona ſubſiſtentes, & unitæ.

QUÆSTIO IV.

Quanta ſit hæc unio. An omnium maxima inter uniones, & dona.

UNio hæc poteſt conſiderari ſecundum plures reſpectus. 1. ex parte Dei, a quo eſt velut ſummæ benignitatis donum; nam *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. 2. in ſua entitate intrinſeca, & quaſi abſolute in ratione entis. 3. reſpective ad naturas, Deitatem ſc. & humanitatem, quas unit inter ſe mediante perſona Verbi. 4.reſpective ad Verbum, ad quod terminatur formaliter, & immediate. 4. reſpective ad compoſitum, ſeu Chriſtum, qui eſt terminus ejus totalis, & ultimatus.

Rurſus in ratione doni poteſt comparari 1. ad gratiam actualem, vel ad ſanctificantem, & alios habitus ſupernaturales. 2. ad unionem beatificam, quæ eſt fruitio æterna Dei, & ad lumen gloriæ, quo elevatur creatura ad fruendum Deo; & ſecundum illos diverſos reſpectus poteſt eſſe diverſa quæſtionis reſolutio.

CONCLUSIO I.

QUamvis unio hypoſtatica phyſice, aut metaphyſice ſpectata quoad entitatem non ſit maxima reſpective ad alia entia, nec etiam reſpective ad naturas per ipſam mediate unitas; poteſt tamen in bono, & vero ſenſu dici omnium maxima in ratione unionis. Hæc quoad rem mihi videtur communis, nec poſſe controverti, niſi quoad voces.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Unitas poteſt dici maxima ex duplici capite; vel ex privatione diſtinctionis, vel ex perfectione unitorum in ipſa unitate. Primo modo non eſt in Chriſto maxima unitas, quia maxima eſt diſtinctio naturarum. Secundo modo poteſt concedi maxima unitas poſt unitatem Trinitatis, quia unita ſunt perfectiſſima*, &c.

Prob. 1. p. Nam in ratione entis ſubſtantia præcellit omne accidens, & accidentia abſoluta præcellunt relativa, quæ ſunt minimæ entitatis: ſed unio iſta eſt accidens, & quidem relativum; ergo ſub hac comparatione non eſt maxima.

Prob. 2. pars. Nam perfectio unionis quoad naturas unitas menſuratur ex unitate, quam efficit inter illas; ſed unitas, quam cauſat hæc unio inter Deitatem, & humanitatem Chriſti, non eſt maxima; imo remanent diſtinctiſſimæ, & ſecundum ſe infinite diſtantes; ſecundum unam *Chriſtus eſt æqualis Patri*, ſecundum aliam *minor eſt Patre*; ergo in hoc ſenſu, & ſub hoc reſpectu hæc unio non eſt maxima in ratione unionis.

Prob. 3. p. 1. quia perfectio unionis peti poteſt ex majori firmitate, & indiſſolubilitate; ſed unio hypoſtatica eſt firmiſſima unionum; ergo, &c. Prob. min. tum ex Script. Nam dicit Apoſtolus, [2] quod Chriſtus, *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*; tum quia de facto numquam diſſoluta eſt, nequidem in morte, per quam diſſoluta eſt unio corporis, & animæ. Nam inquit Damaſc. *Quod ſemel Verbum aſſumpſit, numquam dimiſit*, nec dimittet. Tum denique, quia hujus unionis conſervatio pendet a ſolo Deo, non autem ab ulla cauſa creata; ergo ex parte omnis creaturæ indiſſolubilis eſt, & habet omnem firmitatem voluntatis divinæ.

Prob. 2. quia perfectio unionis petitur ex unitate unitorum in compoſito, quod ex illa reſultat; ſed hæc unitas eſt perfectiſſima, & maxima; ergo & unio. Prob. min. nam iſta unitas *eſt maxima poſt unitatem Trinitatis*, ut loquitur Scotus; ergo & unio.

Confirm. hoc ex verbis Evangeliſtæ: non enim ſimpliciter dixit, quod Verbum aſſumpſit humani-

D 2 ta-

[1] 3.*d.6.q.*1.F.*n*.9.
[2] *Hebr.* 7.

Digitized by Google

tatem, aut carnem, ſed quod *Verbum caro factum eſt*; & in Symbolo de Filio Dei unigenito, quod *homo factus eſt*, quaſi Verbum tranſierit per hanc unionem in quandam identitatem, aut phyſicam unitatem cum carne.

Prob. 3. quia in rerum creatarum natura nulla talis unio poteſt aſſignari, nec huic æquari; ergo, &c. Prob. ant. 1. non unio corporis, & animæ, vel materiæ, & formæ ſubſtantialis; non accidentis cum ſubjecto, quæ poteſt abeſſe, & adeſſe abſque ſubjecti corruptione; non ſubſiſtentiæ cum natura, quam ſuſtentat, quæ morte ſuppoſitorum perit; unio enim iſta non ſubjacet illis defectibus; ergo, &c. Ant. quoad 1. par. negari non poteſt; prob. quoad 2. nam per nullam potentiam creatam poteſt humanitas a Verbo ſeparari, ſicut poſſunt formæ omnes, & accidentia a materia, & a ſubjecto; & ne quidem per mortem Chriſti diſſoluta eſt unio inter ſubſiſtentiam Verbi divini, & partes humanitatis, ſed manſit in corpore, & anima, quantumcumque ſeparatis, & dum illud jacebat in ſepulchro, iſta viſitabat inferos.

Confirm. Nam nulla unio cauſat tantam communionem idiomatum inter unita, ut de ſe invicem prædicentur ſubſtantive; non dicitur in homine, corpus eſt ſpiritus, eſt caro; dicitur quidem, lac eſt album, & dulce, ſed non ſubſtantive, ſed tantum adjective, ſicut dicimus in Chriſto, *Deus eſt homo*, & *homo eſt Deus*; ergo, &c.

Objic. 1. cont. 1. par. Per unionem materiæ ſubſtantialis ad formam fit magis unum, quam per unionem humanitatis ad Verbum; ergo illa major eſt iſta in ratione unionis. Prob. ant. per illam fit unum per ſe compoſitum ex actu, & potentia; ſed hoc non fit inter Verbum, & naturam; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. in ratione compoſiti naturalis, & phyſici, conc. in ratione compoſiti ſupernaturalis, neg. ant. & conſ. Nam nullum eſt compoſitum phyſicum, & naturale, de quo tanta communicatio, & unitas prædicari poſſit, quanta dici ſoleat, & debeat de iſto; quamvis non aſſignentur regulæ philoſophicæ, & naturales, cur ſic dicantur; alioqui non eſſet compoſitum myſterioſum.

Inſt. Ex unione materiæ, & formæ ſubſtantialis re-

ſultat unitas naturæ ſimul, & ſuppoſiti; ex iſta vero reſultat diſtinctio maxima naturarum, & reſultat ſola unitas perſonæ; ergo illa eſt perfectior iſta.

Reſp. diſt. conſ. & ex hoc capite, quod fatemur in concluſione, abſolute, & ſimpliciter, conc. conſeq. & ex multis aliis capitibus allatis, neg. conſeq. nam de iſtis procedit noſtra reſolutio.

Inſt. 2. Quanto plura ſunt unita, eo minor eſt unitas, & unio; ſed in Chriſto plura ſunt unita, quam in quolibet alio ente creato; ergo in Chriſto minor eſt unio.

Reſp. diſt. maj. Minor unio cæteris paribus, & ſpectatis regulis naturæ ordinariis, conc. abſolute, & in ordine ſupernaturali, neg. maj. & conſ. quia in hac unione parum attendendæ ſunt regulæ Philoſophiæ naturalis; & hæc unio eo cenſenda eſt major, & dignior, quo mirabilior, & magis in ea relucet Dei ſapientia, & potentia.

Objic. 2. Unio formæ cœlorum cum eorumdem materia eſt magis indiſſolubilis, quam iſta; ergo hæc non eſt major illa. Prob. ant. ex Philoſophia, in qua cœli dicuntur incorruptibiles.

Reſp. neg. ant. utrumque; nam in Philoſophia diximus cœlos incorruptibiles, non ex natura ſui intrinſeca, ſed defectu agentium contrariorum; & forte de facto vel deſtruentur, vel multum alterabuntur, juxta illud: [1] *Cœlum, & terra tranſibunt*, &c.

Reſpond. 2. neg. conſeq. Nam licet ex capite indiſſolubilitatis unio cœlorum eſſet major, ex aliis capitibus iſta eſt major, perfectior, & nobilior, ut patet ex dictis.

Peridem reſpondetur ad objectionem petitam ex maxima diſtantia extremorum, nempe Deitatis ab humanitate; quia quanto magis inter ſe diſtant, eo minus ſunt unibilia; nam e contra hic dicendum, quod inde mirabilior evadit unio iſta.

D 3 CON-

[1] *Matth.* 24.

CONCLUSIO II.

HÆc *unio poteſt dici maxima in ratione doni, etiam comparative ad lumen gloriæ, & ad viſionem beatam*: Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quod *unio iſta eſt major quantum ad actum primum, quia per hanc communicatur eſſe perſonæ aſſumentis naturæ aſſumptæ; & etiam modo de facto includit aliam unionem* (ſc. beatificã, quæ fit per lumen gloriæ) *quæ eſt ad actum ſecundum, & operari .... quia beatitudo magis eſt in operatione, & ideo major eſſet quantum ad operationem ....* &c. ..... *& ad Auguſtinum conceditur, quod eſt ſumma gratiæ in iſta unione, quia ſumma gratuita condeſcenſio voluntatis divinæ, quæ fuit principium aſſumptionis*, &c. ergo ex Scoto unio hypoſtatica poteſt dici ſumma in ratione gratiæ, ſeu doni. Et alibi: [2] *Perfectiſſimus illapſus Dei eſt in naturam humanam, ut perſonaliter unitam Verbo; nec tamen ille eſt formaliter beatificus.*

Prob. 2. ex Script. Nam Deus Pater ex ſummæ dilectione in nos hoc dedit: [3] *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Et ipſe Filius, *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati*; ſc. non tantum dicit hanc charitatem *maximam*, ſed quaſi *nimiam*. Et ipſe Chriſtus dicit: [4] *Pater meus, quod dedit mihi, majus eſt omnibus*, ſcilicet dedit humanitati meæ Verbum ſuum, & Divinitatem ſuam in unitate perſonæ.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. [5] *In rebus per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quod homo in unitate perſonæ conjunctus eſt Deo.*

Prob. 4. ratione. Donum unionis hypoſtaticæ vel comparatur ad donum luminis gloriæ, quo elevamur ad unionem beatificam per viſionem, & fruitionem Dei, vel ad donum gratiæ ſanctificantis, quo unimur Deo per innocentiam, & charitatem, & ſanctitatem, & filiationem adoptivam cum jure ad hæreditatem æternam; ſed his omnibus præſtat unio hypoſtatica; ergo,

[1] 3. *d.* 2. *q.* 1. *B. n.* 10. [2] 4. *d.* 49. *q.* 2. *E. n.* 10.
[3] *Jo.* 3. [4] *Jo.* 10. [5] 13. *Trin.* 19.

ergo, &c. Prob. min. Nam primo prius, & majus eſt, quod datur ad eſse primarium, & ſubſtantiale, quam quod datur ad eſse accidentale, & operari: ſed unio hypoſtatica datur humanitati Chriſti ad eſse primarium, & ſubſtantiale, & ad actum primum; illa vero alia dona, ſc. lumen gloriæ, & gratia ſanctificans datur ad eſse ſecundarium, accidentale, & operari; ergo, &c. 2. quia in unione hypoſtatica fundatur jus ad illa alia dona, non ſolum de facto, quia Deus cum Filio ſuo *omnia dona nobis donavit:* Et eum [1] *vidimus quaſi unigenitum a Patre plenum gratiæ, & veritatis*: Et, *In ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*, &c. ſed etiam de lege ordinaria illa omnia debentur humanitati Chriſti; nam ex vi unionis hujus Chriſtus naſcitur ut Filius Dei non pure adoptivus, ſed etiam naturalis; ergo & cum jure hæreditatis in omnibus Dei bonis.

Objic. 1. Per lumen gloriæ, & unionem beatificam homo conjungitur Deo in vita æterna, & fine ultimo fruitur, non autem præciſe, & formaliter per hypoſtaticam; ergo illa majus eſt donum. Prob. conſ. Quod propius nos unit ſummo bono, & ultimo fini, majus eſt donum, quam quod habet tantum rationem medii ad finem illum; ſed unio hypoſtatica habet tantum rationem medii reſpectu viſionis beatificæ; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & min. prob. Nam in ſententia Scoti Chriſtus *eſt primogenitus omnis creaturæ*: Deus eum prædeſtinavit primo, & propter ſe, & homines propter Chriſtum; & ſic ipſe eſt finis immediatus noſtri, non autem medium, nec propter noſtram beatitudinem, ſaltem in carne, præſcindendo a paſſibilitate. Qui putant Chriſtum non fore venturum, ceſsante motivo redemptionis, videant quid ad argumentum reſpondeant.

Objic. 1. Finis eſt nobilior medio ad ipſum; ſed unio beata eſt finis, & unio hypoſtatica eſt medium ad illam; ergo eſt majus donum. Prob. min. ex Scoto: *Deus vult primo aliquam naturam habere ſummam gloriam, & ſecundo voluit naturam illam eſſe in perſona Verbi*; ergo unio hypoſtatica eſt volita, & data ut medium ad unionem beatam.

Reſp. diſt. maj. In ratione finis, & medii, conc. in ſe: abſo-

[1] *Jo.* 1. [2] *Coloſſ.* 2.

abſolute, neg. maj. & conſ. Nam Scotus non hæc dicit ad præſens intentum, ſed tantum ut doceat, Chriſtum eſſe prædeſtinatum independenter a prævisione peccati; ſed in præſenti conſideratione certum eſt, quod plus eſt homini, quod ſit una realiter perſona cum Deo, quam quod fruatur Deo in beatitudine; quia iſtud bonum ſequitur ex illo.

Objic. 3. Quod datur ad agere, & operari vitaliter, majus eſt, quam quod datur ad eſſe, & pati; ſed donum beatitudinis datur ad agere, & operari, ſcilicet ad videre intuitive Deum, & illum perfecte amare, & eo frui; unio autem iſta datur pure ad eſſe, & humanitas ſe habet ibi mere paſſive circa unionem; ergo illa longe majus eſt donum.

Reſp. 1. neg. min. Nam ſubſiſtentia ex Scoto [1] reſpicit quidem eſſe, & actum primum, ſed ordinatur etiam ad ſecundum, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ſi non elicitive, ſaltem ex conditione, quatenus nulla natura agit, niſi ſit ſubſiſtens, & ultimate completa. Unio igitur iſta major eſt quantum ad actum primum. Unde

Reſp. 2. ex Scoto diſt. maj. Majus eſt quoad actum ſecundum, conc. quoad actum primum, neg. maj. & conſ. Nam ſufficit nobis, quod hæc unio ſit majus donum quoad eſſe per illam datum.

Objic. 4. Omnis alia creatura eſt capax unionis hypoſtaticæ, non autem beatificæ; ergo iſta eſt nobilior, & major. Patet antec. Nam ſola creatura rationalis eſt beatificabilis. Prob. conſeq. nam eſt ſingularius donum, & pertinet ad creaturas nobiliſſimas; ergo, &c.

Reſp. neg. conſeq. utramque; nam in aliis creaturis unio hypoſtatica non traheret ſecum jus ad beatificam, ſicut trahit in creatura rationali; ſicut animalitas in homine eſt nobilior, quam in equo propter nobiliorem differentiam, & eſſentiam. Has objectiones ſumpſi ex Patre Macedo, [2] qui majoritatem tribuit unioni beatificæ.

QUÆ-

[1] *d 2. ci.* [2] *Coll. 2. diff. 2. ſect. 6.*

QUÆSTIO V.

An aliqua gratia præceſſerit hanc unionem in natura.

SEnſus eſt, an humanitas fuerit immediatè unita Verbo, ut nuda ab omni ornatu, & diſpoſitione gratiæ; ſanctitatis, aut alterius doni, vel qualitatis ſupernaturalis phyſicæ, aut moralis, & hoc tam de poſſibili, quam de facto.

CONCLUSIO.

Licet non repugnet, ſed potuerit præcedere in natura humana Chriſti aliqua diſpoſitio phyſica, & prævia ad receptionem unionis cum Verbo, tamen de facto nulla præceſſit, ſed immediate recepta eſt in ejus ſubſtantia. Eſt communis in utraque ſchola.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quia in illo inſtanti naturæ, in quo natura perſonaretur in ſe, ſi non aſſumeretur, in eodem inſtanti perſonaretur in alio, quando aſſumitur; ſed prius naturaliter perſonaretur in ſe, quam haberet habitum gratiæ, quia habitus eſt principium operandi, & per conſequens perfectio ejus, cui competit operari; operari autem eſt ſuppoſiti*.

Prob. 2. quoad 1. par. Nam in hoc nulla apparet implicantia, quin Deus potuiſſet creare animam Chriſti cum gratia ſanctificante, & eam ſic infundere corpori, ex quo humanitas tota conſtans ipſo inſtanti conceptionis, ſeu animationis fuiſſet unita Verbo; ſed tunc præfuiſſet gratia ante unionem cum Verbo; ergo, &c.

Confirm. Nam in reſurrectione anima habebit gratiam ſanctificanttem ante unionem cum corpore, & antequam ſuppoſitentur humanitates ſuis ſuppoſitis; ergo in incarnatione hoc potuiſſet fieri Deo volente.

Prob. 2. p. 1. Nam humanitas fuit unita Verbo eo inſtanti, & ordine naturæ, quo debuiſſet uniri ſuæ ſubſiſtentiæ; ſed hoc debuiſſet fieri in ipſo inſtanti infuſionis animæ, & priori ad infuſionem gratiæ ul-

D 5 lius,

[1] 3. d. 2. q. G. n. 12.

Deus, perfectus homo; ergo & duæ perſonæ.

Reſp. diſt.maj. plures naturæ eſſentialiter, & ſeorſim ſubſiſtentes, conc.maj. & neg.min. ſubſiſtentes indiviſim, & in eodem ſuppoſito, neg. maj.& conſequ. Nam Deitas, & humanitas in Chriſto non ſubſiſtunt ſeorſim, ſed in una Verbi perſona.

Igitur unio hypoſtatica duas naturas ſpecificas, & ſingulares conjungit in unitatem perſonæ, ita ut tam vere Chriſtus ſit unice realiter perſona, quam duæ reales naturæ in illa perſona ſubſiſtentes, & unitæ.

QUÆSTIO IV.

Quanta ſit hæc unio. An omnium maxima inter uniones, & dona.

UNio hæc poteſt conſiderari ſecundum plures reſpectus. 1. ex parte Dei, a quo eſt velut ſummæ benignitatis donum; nam *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. 2. in ſua entitate intrinſeca, & quaſi abſolute in ratione entis. 3. reſpective ad naturas, Deitatem ſc. & humanitatem, quas unit inter ſe mediante perſona Verbi. 4.reſpective ad Verbum, ad quod terminatur formaliter, & immediate. 4. reſpective ad compoſitum, ſeu Chriſtum, qui eſt terminus ejus totalis, & ultimatus.

Rurſus in ratione doni poteſt comparari 1. ad gratiam actualem, vel ad ſanctificantem, & alios habitus ſupernaturales. 2. ad unionem beatificam, quæ eſt fruitio æterna Dei, & ad lumen gloriæ, quo elevatur creatura ad fruendum Deo; & ſecundum illos diverſos reſpectus poteſt eſſe diverſa quæſtionis reſolutio.

CONCLUSIO I.

QUamvis unio hypoſtatica phyſice, aut metaphyſice ſpectata quoad entitatem non ſit maxima reſpective ad alia entia, nec etiam reſpective ad naturas per ipſam mediate unitas; poteſt tamen in bono, & vero ſenſu dici omnium maxima in ratione unionis. Hæc quoad rem mihi videtur communis, nec poſſe controverti, niſi quoad voces.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Unitas poteſt dici maxima ex duplici capite; vel ex privatione diſtinctionis, vel ex perfectione unitorum in ipſa unitate. Primo modo non eſt in Chriſto maxima unitas, quia maxima eſt diſtinctio naturarum. Secundo modo poteſt concedi maxima unitas poſt unitatem Trinitatis, quia unita ſunt perfectiſſima*, &c.

Prob. 1. p. Nam in ratione entis ſubſtantia præcellit omne accidens, & accidentia abſoluta præcellunt relativa, quæ ſunt minimæ entitatis: ſed unio iſta eſt accidens, & quidem relativum; ergo ſub hac comparatione non eſt maxima.

Prob. 2. pars. Nam perfectio unionis quoad naturas unitas menſuratur ex unitate, quam efficit inter illas; ſed unitas, quam cauſat hæc unio inter Deitatem, & humanitatem Chriſti, non eſt maxima; imo remanent diſtinctiſſimæ, & ſecundum ſe infinite diſtantes; ſecundum unam *Chriſtus eſt æqualis Patri*, ſecundum aliam *minor eſt Patre*; ergo in hoc ſenſu, & ſub hoc reſpectu hæc unio non eſt maxima in ratione unionis.

Prob. 3. p. 1. quia perfectio unionis peti poteſt ex majori firmitate, & indiſſolubilitate; ſed unio hypoſtatica eſt firmiſſima unionum; ergo, &c. Prob. min. tum ex Script. Nam dicit Apoſtolus, [2] quod Chriſtus, *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*; tum quia de facto numquam diſſoluta eſt, nequidem in morte, per quam diſſoluta eſt unio corporis, & animæ. Nam inquit Damaſc. *Quod ſemel Verbum aſſumpſit, numquam dimiſit*, nec dimittet. Tum denique, quia hujus unionis conſervatio pendet a ſolo Deo, non autem ab ulla cauſa creata; ergo ex parte omnis creaturæ indiſſolubilis eſt, & habet omnem firmitatem voluntatis divinæ.

Prob. 2. quia perfectio unionis petitur ex unitate unitorum in compoſito, quod ex illa reſultat; ſed hæc unitas eſt perfectiſſima, & maxima; ergo & unio. Prob. min. nam iſta unitas *eſt maxima poſt unitatem Trinitatis*, ut loquitur Scotus; ergo & unio.

Confirm. hoc ex verbis Evangeliſtæ: non enim ſimpliciter dixit, quod Verbum aſſumpſit humani-

 ta-

[1] 3.*d*.6.*q*.1.*F*.*n*.9.
[2] *Hebr.* 7.

tatem, aut carnem, ſed quod *Verbum caro factum eſt*; & in Symbolo de Filio Dei unigenito, quod *homo factus eſt*, quaſi Verbum tranſierit per hanc unionem in quandam identitatem, aut phyſicam unitatem cum carne.

Prob. 3. quia in rerum creatarum natura nulla talis unio poteſt aſſignari, nec huic æquari; ergo, &c. Prob. ant. 1. non unio corporis, & animæ, vel materiæ, & formæ ſubſtantialis; non accidentis cum ſubjecto, quæ poteſt abeſſe, & adeſſe abſque ſubjecti corruptione; non ſubſiſtentiæ cum natura, quam ſuſtentat, quæ morte ſuppoſitorum perit; unio enim iſta non ſubjacet illis defectibus; ergo, &c. Ant. quoad 1. par. negari non poteſt; prob. quoad 2. nam per nullam potentiam creatam poteſt humanitas a Verbo ſeparari, ſicut poſſunt formæ omnes, & accidentia a materia, & a ſubjecto; & ne quidem per mortem Chriſti diſſoluta eſt unio inter ſubſiſtentiam Verbi divini, & partes humanitatis, ſed manſit in corpore, & anima, quantumcumque ſeparatis, & dum illud jacebat in ſepulchro, iſta viſitabat inferos.

Confirm. Nam nulla unio cauſat tantam communionem idiomatum inter unita, ut de ſe invicem prædicentur ſubſtantive; non dicitur in homine, corpus eſt ſpiritus, eſt caro; dicitur quidem, lac eſt album, & dulce, ſed non ſubſtantive, ſed tantum adjective, ſicut dicimus in Chriſto, *Deus eſt homo*, & *homo eſt Deus*; ergo, &c.

Objic. 1. cont. 1. par. Per unionem materiæ ſubſtantialis ad formam fit magis unum, quam per unionem hamanitatis ad Verbum; ergo illa major eſt iſta in ratione unionis. Prob. ant. per illam fit unum per ſe compoſitum ex actu, & potentia; ſed hoc non fit inter Verbum, & naturam; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. in ratione compoſiti naturalis, & phyſici, conc. in ratione compoſiti ſupernaturalis, neg. ant. & conſ. Nam nullum eſt compoſitum phyſicum, & naturale, de quo tanta communicatio, & unitas prædicari poſſit, quanta dici ſoleat, & debeat de iſto; quamvis non aſſignentur regulæ philoſophicæ, & naturales, cur ſic dicantur; alioqui non eſſet compoſitum myſterioſum.

Inſt. Ex unione materiæ, & formæ ſubſtantialis reſultat

ſultat unitas naturæ ſimul, & ſuppoſiti; ex iſta vero reſultat diſtinctio maxima naturarum, & reſultat ſola unitas perſonæ; ergo illa eſt perfectior iſta.

Reſp. diſt. conſ. & ex hoc capite, quod fatemur in concluſione, abſolute, & ſimpliciter, conc. conſeq. & ex multis aliis capitibus allatis, neg. conſeq. nam de iſtis procedit noſtra reſolutio.

Inſt. 2. Quanto plura ſunt unita, eo minor eſt unitas, & unio; ſed in Chriſto plura ſunt unita, quam in quolibet alio ente creato; ergo in Chriſto minor eſt unio.

Reſp. diſt. maj. Minor unio cæteris paribus, & ſpectatis regulis naturæ ordinariis, conc. abſolute, & in ordine ſupernaturali, neg. maj. & conſ. quia in hac unione parum attendendæ ſunt regulæ Philoſophiæ naturalis; & hæc unio eo cenſenda eſt major, & dignior, quo mirabilior, & magis in ea relucet Dei ſapientia, & potentia.

Objic. 2. Unio formæ cœlorum cum eorumdem materia eſt magis indiſsolubilis, quam iſta; ergo hæc non eſt major illa. Prob. ant. ex Philoſophia, in qua cœli dicuntur incorruptibiles.

Reſp. neg. ant. utrumque; nam in Philoſophia diximus cœlos incorruptibiles, non ex natura ſui intrinſeca, ſed defectu agentium contrariorum; & forte de facto vel deſtruentur, vel multum alterabuntur, juxta illud: [1] *Cœlum, & terra tranſibunt*, &c.

Reſpond. 2. neg. conſeq. Nam licet ex capite indiſsolubilitatis unio cœlorum eſſet major, ex aliis capitibus iſta eſt major, perfectior, & nobilior, ut patet ex dictis.

Per idem reſpondetur ad objectionem petitam ex maxima diſtantia extremorum, nempe Deitatis ab humanitate; quia quanto magis inter ſe diſtant, eo minus ſunt unibilia; nam e contra hic dicendum, quod inde mirabilior evadit unio iſta.

[1] *Matth.* 24.

CONCLUSIO II.

HÆc *unio poteſt dici maxima in ratione doni, etiam comparative ad lumen gloriæ, & ad viſionem beatam*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quod *unio iſta eſt major quantum ad actum primum, quia per hanc communicatur eſſe perſonæ aſſumentis naturæ aſſumptæ; & etiam modo de facto includit aliam unionem* (ſc. beatificã, quæ fit per lumen gloriæ) *quæ eſt ad actum ſecundum, & operari .... quia beatitudo magis eſt in operatione, & ideo major eſſet quantum ad operationem ....* &c. ..... *& ad Auguſtinum conceditur, quod eſt ſumma gratiæ in iſta unione, quia ſumma gratuita condeſcenſio voluntatis divinæ, quæ fuit principium aſſumptionis*, &c. ergo ex Scoto unio hypoſtatica poteſt dici ſumma in ratione gratiæ, ſeu doni. Et alibi: [2] *Perfectiſſimus illapſus Dei eſt in naturam humanam, ut perſonaliter unitam Verbo; nec tamen ille eſt formaliter beatificus*.

Prob. 2. ex Script. Nam Deus Pater ex ſumma dilectione in nos hoc dedit: [3] *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Et ipſe Filius, *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati*; ſc. non tantum dicit hanc charitatem *maximam*, ſed quaſi *nimiam*. Et ipſe Chriſtus dicit: [4] *Pater meus, quod dedit mihi, majus eſt omnibus*, ſcilicet dedit humanitati meæ Verbum ſuum, & Divinitatem ſuam in unitate perſonæ.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. [5] *In rebus per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quod homo in unitate perſonæ conjunctus eſt Deo*.

Prob. 4. ratione. Donum unionis hypoſtaticæ vel comparatur ad donum luminis gloriæ, quo elevamur ad unionem beatificam per viſionem, & fruitionem Dei, vel ad donum gratiæ ſanctificantis, quo unimur Deo per innocentiam, & charitatem, & ſanctitatem, & filiationem adoptivam cum jure ad hæreditatem æternam; ſed his omnibus præſtat unio hypoſtatica; ergo,

[1] 3.*d*.2.*q*.1.*B*.*n*.10. [2] 4.*d*.49.*q*.2.*E*.*n*.10.
[3] *Jo*.3. [4] *Jo*.10. [5] 13.*Trin*.19.

ergo, &c. Prob. min. Nam primo prius, & majus eſt, quod datur ad eſse primarium, & ſubſtantiale, quam quod datur ad eſse accidentale, & operari: ſed unio hypoſtatica datur humanitati Chriſti ad eſse primarium, & ſubſtantiale, & ad actum primum; illa vero alia dona, ſc. lumen gloriæ, & gratia ſanctificans datur ad eſse ſecundarium, accidentale, & operari; ergo, &c. 2. quia in unione hypoſtatica fundatur jus ad illa alia dona, non ſolum de facto, quia Deus cum Filio ſuo *omnia dona nobis donavit:* Et eum [1] *vidimus quaſi unigenitum a Patre plenum gratiæ, & veritatis*: Et, *In ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*, &c. ſed etiam de lege ordinaria illa omnia debentur humanitati Chriſti; nam ex vi unionis hujus Chriſtus naſcitur ut Filius Dei non pure adoptivus, ſed etiam naturalis; ergo & cum jure hæreditatis in omnibus Dei bonis.

Objic. 1. Per lumen gloriæ, & unionem beatificam homo conjungitur Deo in vita æterna, & fine ultimo fruitur, non autem præciſe, & formaliter per hypoſtaticam; ergo illa majus eſt donum. Prob. conſ. Quod propius nos unit ſummo bono, & ultimo fini, majus eſt donum, quam quod habet tantum rationem medii ad finem illum; ſed unio hypoſtatica habet tantum rationem medii reſpectu viſionis beatificæ; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & min. prob. Nam in ſententia Scoti Chriſtus *eſt primogenitus omnis creaturæ*: Deus eum prædeſtinavit primo, & propter ſe, & homines propter Chriſtum; & ſic ipſe eſt finis immediatus noſtri, non autem medium, nec propter noſtram beatitudinem, ſaltem in carne, præſcindendo a paſſibilitate. Qui putant Chriſtum non fore venturum, ceſsante motivo redemptionis, videant quid ad argumentum reſpondeant.

Objic. 1. Finis eſt nobilior medio ad ipſum; ſed unio beata eſt finis, & unio hypoſtatica eſt medium ad illam; ergo eſt majus donum. Prob. min. ex Scoto: *Deus vult primo aliquam naturam habere ſummam gloriam, & ſecundo voluit naturam illam eſſe in perſona Verbi*; ergo unio hypoſtatica eſt volita, & data ut medium ad unionem beatam.

Reſp. diſt. maj. In ratione finis, & medii, conc. in ſe: abſo-

[1] *Jo. 1.* [2] *Coloſſ. 2.*

abſolute, neg. maj. & conſ. Nam Scotus non hæc dicit ad præſens intentum, ſed tantum ut doceat, Chriſtum eſſe prædeſtinatum independenter a præviſione peccati; ſed in præſenti conſideratione certum eſt, quod plus eſt homini, quod ſit una realiter perſona cum Deo, quam quod fruatur Deo in beatitudine; quia iſtud bonum ſequitur ex illo.

Objic. 3. Quod datur ad agere, & operari vitaliter, majus eſt, quam quod datur ad eſſe, & pati; ſed donum beatitudinis datur ad agere, & operari, ſcilicet ad videre intuitive Deum, & illum perfecte amare, & eo frui; unio autem iſta datur pure ad eſſe, & humanitas ſe habet ibi mere paſſive circa unionem; ergo illa longe majus eſt donum.

Reſp. 1. neg. min. Nam ſubſiſtentia ex Scoto [1] reſpicit quidem eſſe, & actum primum, ſed ordinatur etiam ad ſecundum, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ſi non elicitive, ſaltem ex conditione, quatenus nulla natura agit, niſi ſit ſubſiſtens, & ultimate completa. Unio igitur iſta major eſt quantum ad actum primum. Unde

Reſp. 2. ex Scoto diſt. maj. Majus eſt quoad actum ſecundum, conc. quoad actum primum, neg. maj. & conſ. Nam ſufficit nobis, quod hæc unio ſit majus donum quoad eſſe per illam datum.

Objic. 4. Omnis alia creatura eſt capax unionis hypoſtaticæ, non autem beatificæ; ergo iſta eſt nobilior, & major. Patet antec. Nam ſola creatura rationalis eſt beatificabilis. Prob. conſeq. nam eſt ſingularius donum, & pertinet ad creaturas nobiliſſimas; ergo, &c.

Reſp. neg. conſeq. utramque; nam in aliis creaturis unio hypoſtatica non traheret ſecum jus ad beatificam, ſicut trahit in creatura rationali; ſicut animalitas in homine eſt nobilior, quam in equo propter nobiliorem differentiam, & eſſentiam. Has objectiones ſumpſi ex Patre Macedo, [2] qui majoritatem tribuit unioni beatificæ.

QUÆ-

[1] *d 2.ci.* [2] *Coll. 2. diſſ. 2. ſect. 6.*

QUÆSTIO V.

An aliqua gratia præceſſerit hanc unionem in natura.

SEnſus eſt, an humanitas fuerit immediatè unita Verbo, ut nuda ab omni ornatu, & diſpoſitione gratiæ; ſanctitatis, aut alterius doni, vel qualitatis ſupernaturalis phyſicæ, aut moralis, & hoc tam de poſſibili, quam de facto.

CONCLUSIO.

LIcet non repugnet, ſed potuerit præcedere in natura humana Chriſti aliqua diſpoſitio phyſica, & prævia ad receptionem unionis cum Verbo, tamen de facto nulla præceſſit, ſed immediate recepta eſt in ejus ſubſtantia. Eſt communis in utraque ſchola.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quia in illo inſtanti naturæ, in quo natura perſonaretur in ſe, ſi non aſſumeretur, in eodem inſtanti perſonaretur in alio, quando aſſumitur; ſed prius naturaliter perſonaretur in ſe, quam haberet habitum gratiæ, quia habitus eſt principium operandi, & per conſequens perfectio ejus, cui competit operari; operari autem eſt ſuppoſiti.*

Prob. 2. quoad 1. par. Nam in hoc nulla apparet implicantia, quin Deus potuiſſet creare animam Chriſti cum gratia ſanctificante, & eam ſic infundere corpori, ex quo humanitas tota conſtans ipſo inſtanti conceptionis, ſeu animationis fuiſſet unita Verbo; ſed tunc præfuiſſet gratia ante unionem cum Verbo; ergo, &c.

Confirm. Nam in reſurrectione anima habebit gratiam ſanctificanttem ante unionem cum corpore, & antequam ſuppoſitentur humanitates ſuis ſuppoſitis; ergo in incarnatione hoc potuiſſet fieri Deo volente.

Prob. 2. p. 1. Nam humanitas fuit unita Verbo eo inſtanti, & ordine naturæ, quo debuiſſet uniri ſuæ ſubſiſtentiæ; ſed hoc debuiſſet fieri in ipſo inſtanti infuſionis animæ, & priori ad infuſionem gratiæ ul-

D 5 lius;

[1] *3. d. 2. q. 6. n. 12.*

lius; ergo ita contigit. Prob. min. Prius eſt naturam omnem in ſe ſubſiſtere, & ſuppoſitari, quam ſuſtentare ullum accidens, vel qualitatem, & prius eſt eſſe abſolute in ſe, ſeu perfici in ſe ſubſtantialiter, quam accidentaliter; ſed omnis natura perficitur ſubſtantialiter per ſubſiſtentiam, ergo, &c.

Prob. 2. quia talis diſpoſitio fuiſſet neceſſaria, vel congrua, & hoc ad eſſe, vel ad operari; ſed neutrum dici poteſt; ergo non eſt aſſerendum. Prob.min.1.non ad operari, nam prius eſt naturam ſuppoſitari, quam operari; nam operari ſequitur eſſe completum, & ſubſiſtens, & actiones ſunt ſuppoſitorum; ergo prius humanitas debuit ſuppoſitari, & uniri Verbo, quam ulli gratiæ, vel ulli qualitati. 2. non ad eſſe accidentale, & ornatum; nam 1. ut dicebamus, prius eſt eſſe ſubſtantialiter, & abſolute, quam eſſe accidentaliter. 2. ipſamet unio hypoſtatica eſt fundamentum, & radix omnium gratiarum, & donorum, quæ in Chriſto ſunt: nec enim Chriſtus fuit plenus gratia, ut eſſet filius Dei, ſed quia erat filius Dei, *Verbum caro factum eſt*. Id primo contigit, cum *vidimus gloriam ejus*, &c.

Prob. 3. Illa diſpoſitio fuiſſet phyſica, aut moralis; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. maj. Non moralis, nam infra patebit, quod nullum in humanitate præceſſerit meritum ad unionem ſui cum Verbo. 2. non phyſica; nam vel qualitas fuiſſet naturalis, vel ſupernaturalis; non naturalis, alioqui non elevaſſet naturam ad unionem, quæ eſt in ſupremo gradu ſupernaturalitatis. 2. non ſupernaturalis, tum quia tam ipſa unio potuit immediatè recipi in humanitate, quam talis gratia, vel qualitas ſupernaturalis, alioqui daretur proceſſus infinitus in illis diſpoſitionibus: tum quia ſemper recurrit ratio de prioritate eſſe naturalis, & ſubſtantialis ad eſſe ſupernaturale: ſed eſſe unionis ad Verbum pertinet ad eſſe ſubſtantiale; unde SS. PP. & Theologi hanc unionem vocant *ſubſtantialem*. 3. quia forma diſpoſitiva phyſica debet eſſe ejuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit, quia debet complete habilitare ſubjectum ad eam recipiendam; ſed non videtur poſſibilis ulla talis diſpoſitio ad unionem hypoſtaticam cum Verbo divino; ergo, &c.

Prob. denique, quia omnis talis gratia, ſeu qualitas, ſuper-

ſupernaturalis media, & diſponens aſſeritur abſque neceſſitate; ergo, &c. ant. patebit ex objectionibus.

Objic. 1. cont. 1. par. Diſpoſitio phyſica debet eſſe ejuſdem ordinis, & ex natura ſua concors cum forma, ad quam diſponit, ita ut iſtam attrahat ex quadam neceſſitate; ſed ne quidem de potentia abſoluta dabilis eſt talis diſpoſitio ad unionem hypoſtaticam cum Verbo: quid enim cogere poſſet Deum ad talem unionem? ergo nec de potentia abſoluta poſſibilis eſt diſpoſitio ad illam, ſaltem phyſica.

Reſp. neg. abſolute maj. Nec enim diſpoſitiones omnes ad formas ſubſtantiales ſunt ſubſtantiales, & maximè in his, quæ pendent a cauſis liberis, & multo minus de diſpoſitionibus non ultimis, adhuc minus de diſpoſitionibus moralibus; aut congruis; noſtra autem concluſio non eſt ſolum de ultimis phyſicis, ſed maximè de moralibus, aut de non ultimis, & de congruis, quæ ex quadam decentia, aut convenientia poſſent præcedere in anima, ut moveret Deum ad ſibi concedendam hanc dignitatem.

Objic. cont. 2. par. Omne ſubjectum debet proportionari formæ, quam recipit; ſed humanitas Chriſti de ſe non erat proportionata huic unioni cum Verbo; iſta enim eſt ſummi ordinis ſupernaturalis, illa vero ordinis purè naturalis ſine aliqua gratia ſupernaturali; ergo humanitas ad hanc unionem diſponi debuit per aliquam ſupernaturalem qualitatem, ſeu gratiam.

Reſpond. diſt. maj. Proportionari in ratione receptivi, & receptibilis, conc. in ordine naturalitatis, aut ſupernaturalitatis, neg. maj. & conſ. alioqui nec poſſet anima recipere gratiam ipſam propter eamdem improportionem, ut diximus, & daretur proceſſus in infinitum.

Objic. 2. Unio beatifica cum Deo requirit in anima lumen gloriæ, per quod elevetur ad attingendum Deum intuitive; ergo a fortiori unio hypoſtatica, quæ eſt altioris ordinis.

Reſpon. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia lumen gloriæ non datur ſolum ad eſſe, ſed potius ad operari; quando autem potentia debet operari ſupra ſe, debet elevari, ſed quando ſe habet pure paſſive, elevatur per ipſammet formam, ſeu gratiam, ſeu lumen,

ſeu unionem, alioqui numquam ſubjectum naturale, v. g. anima poſſet recipere ullam ex his formis ſupernaturalibus.

Objic. 3. Deus non unitur ulli animæ, ne quidem moraliter, niſi mediante aliquo dono gratiæ; ergo multo minus potuit uniri humanitati phyſice, & hypoſtatice ſine aliquo tali dono.

Reſp. diſt. ant. niſi mediante dono concomitanti, & quod eſt ipſa formalis unio, conc. ſine dono antecedenti, & prævio, neg. ant. Nam cum unitur per charitatem, & gratiam ſanctificantem animæ infantis baptizati, aut Angelis in ipſorum creatione, non aliam prærequirit diſpoſitionem, quam ipſum donum gratiæ. Aliud eſt in adultis peccantibus, qui debent diſponi per actus pœnitentiæ, quibus tolluntur diſpoſitiones contrariæ, ſc. peccata.

Nulla ergo alia diſpoſitio requiſita fuit in illa humanitate præter potentiam obedientialem, in qua eſt eſſentialiter ad Deum ad ſuſtentari, & compleri per ſubſiſtentiam ejus increatam, & hoc impletum eſt hoc ipſo, quod Deus noluit ipſam ſubſiſtere per ſe ipſam, ſeu per propriam ſubſiſtentiam, ſed per ſubſiſtentiam Verbi.

Dixi autem, *nulla diſpoſitio phyſica, & prævia, & præcedens*, nam de concomitante nullus dubitat; certum eſt, quod in humanitatem Chriſti cum unione ad Verbum venit omnis plenitudo gratiæ, & veritatis, & ut docet Doctor Seraphicus: [1] *Concedi poteſt, quod anima unitur ipſi Verbo mediante habitu gratuito, quia non decet ipſam uniri Verbo, niſi aſſimiletur habitu perfectæ Deiformitatis; unde anima Chriſti non tantum fuit grata in inſtanti unionis, ſed etiam glorificata ſuper omnes animas beatas.*

Certum etiam eſt, quod ipſa unio fuit pure gratuita, & ſumma omnium gratiarum.

QUÆ-

[1] 3. d. 2. a. 3. q. 2.

QUÆSTIO VI.

De connexione unionis hypoſtaticæ cum Beatifica, & gratia ſanctificante.

DOctor ſubtilis cum magiſtro ſic dubium proponit: *Utrum naturam humanam uniri Deo hypoſtatice, & non frui includat contradictionem.* Quod idem eſt, ac quærere, an iſtæ duæ uniones ſint eſſentialiter, ſeu neceſſario connexæ, ita ut implicet eas ſeparari, & Deum poſſe ſibi aſſumere naturam, quæ non ſit beata, & quidem quæſtio procedit de natura rationali, quæ ſit capax beatitudinis, nam ſi unio fieret cum natura irrationali, fruſtra hoc quæreretur, non enim eſſet capax viſionis, nec fruitionis Dei in ſe, & propter ſe.

Quæſtio autem poteſt agitari tam de facto, quam de poſſibili, videlicet an de facto anima Chriſti habuerit unionem beatificam ab inſtanti conceptionis, ſeu unionis hypoſtaticæ? & an potuerit eam non habere ſtante unione hypoſtatica.

CONCLUSIO I.

A*Nima Chriſti fuit beata ab inſtanti conceptionis: ita ut non prius tempore fuerit unita verbo, quam habens viſionem, & fruitionem beatam.* Eſt receptiſſima quoad 1. p. non autem quoad ſecundam, quam tenent Scotiſtæ.

Prob. ex Scoto, [1] qui probat impeccabilitatem Chriſti ex beatitudine. *Dico, quod Chriſtus in* 1. *inſtanti unionis ejus Deo fuit beatus, & beatitudo abſtulit ſibi omnem peccabilitatem*, &c.

Prob. 2. eadem pars ex communi PP. & Theologorum conſenſu, contra quem hoc non poſſet negari ſine temeritate: *Non ſic eſt de anima Chriſti diſputandum, ſicut de quolibet Angelico ſpiritu, vel humano: quis poteſt eſſe particeps Dei, niſi verus Deus, qui eſt Chriſtus? ſicut ergo Chriſtus ſingulariter habet, ut ſit Deus verus, ſic totam divinitatem ſuam ſingulariter novit, & plenam habet notitiam divinitatis ſuæ*, &c....

ergo

[1] 3. *d.* 12. *A.* 11. 2.

ergo humanitas Chriſti potiebatur viſione beata, quam participabat a Deitate, ſeu a Verbo.

Confir. 1. ex Chryſoſtomo, [1] *Subſtantiam Dei nemo vidit.... qualis eſt, niſi ſolus eius unigenitus, qui certam notionem, viſumque, & comprehenſionem habet, qualem filium de patre habere par eſt, ſicut enim cognoſcit me Pater, inquit, & ego cognoſco Patrem*, ſc. intuitive.

Confir. 2. ex Euthymio, qui ponderans hæc verba Chriſti, [2] *Pater diligit filium, & omnia dedit in manibus eius*, ſcribit, *Tamquam Deus omnia habebat, ex vi generationis æternæ: hoc tamen etiam dedit ei, ut homini .... ſolent namque patres diligere filios, eiſque tradere, quæ ſua ſunt.*

3. Ex Divo Bernardo, [3] *Mihi ſufficit ſcire, & credere Dominum I. ex quo cum Deo in unam aſſumptus eſt perſonam, fuiſſe perfectum Deum; ac per hoc perfectam ſapientiam, perfectam juſtitiam, perfectam beatitudinem .... & quidquid de eo ſecundum ſubſtantiam dici poteſt, de eo etiam potuiſſe dici, etiam cum in utero fuiſſet matris non ambigo*; ergo ex his, & aliis PP. quos longum eſſet recenſere, Chriſtus ex ipſo inſtanti, & ex vi unionis cum Verbo habuit unionem beatam.

Prob. 3. Nam unio beatifica fuit poſſibilis in Chriſto ſine inconvenienti, & hoc ab inſtanti conceptionis ſuę; ergo hæc illi tribuenda eſt: ant. patet: quia nulla poteſt afferri implicantia, ut patebit ſolutione objectionum. Prob. conſ. ex Scoto: [4] *In commendando Chriſtum malo excedere, quam deficere a laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*. Et loquens de gratia: *Probabile eſt dicere, ſecundum magiſtrum, quod Deus tantam gratiam ei contulerit, quantam potuit*; ergo ſi potuit ei conferre unionem beatam, non illi defuit.

Prob. denique, nam Deus dedit ei eſſe filium Dei; ergo & beatitudinem, cui enim dat, quod eſt majus, non negat, quod eſt minus, & maxime ſi congruat dono majori. Confirmatur ex ipſomet Chriſto: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Et Euangeliſta; *Sciens, quod omnia dedit ei Pater*. Alii multa loca Script.

[1] *in Jo. hom.* 14. [2] *Jo.* 3.
[3] *Hom. in oct. Epiph.* [4] 3. *d.* 13. *q.* 4. *H.* 9.

Script. in probationem hujus veritatis citant, ſed non videntur ſatis urgentia; ideo mitto illa, contentus Theologorum, & PP. conſenſu.

Quod autem id habuerit ab inſtanti conceptionis, & non prius unam, quam aliam, patet. 1. quia ſicut ex eo inſtanti adſuit illa dignitas filii Dei naturalis, ita non debuit differri hæc gloria. 2. concedunt omnes, quod ex tunc data eſt illi ſumma gratia, & alia omnia dona; uno verbo *theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*; ergo & iſtud donum. 4. quia non poteſt aliud aſſignari tempus vitæ mortalis ejus, in quo id potuerit habere potius quam in hoc inſtanti; ergo &c.

Objic. 1. ex Script. Nam ante paſſionem dicitur, quod Apoſtolis nondum erat [1] *datus ſpiritus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Et ipſe petebat a Patre: *Clarifica me Pater apud temetipſum* &c. Et, (1) *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* ergo ante reſurrectionem Chriſtus non habuit unionem beatam.

Reſp. neg.conſ. Nam licet hoc primum dictum ſit ante paſſionem, non tamen intelligitur de hac glorificatione, ſed de illa, quam conſequutus eſt per aſcenſionem, ſine qua non erat venturus Spiritus S. *Niſi abiero, Paraclitus non veniet*. 2. & 3. intelliguntur de clarificatione, & glorificatione corporis, & nominis apud homines, qualis erat gloria, quam ipſe procuraverat Patri coram hominibus. *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*.

Objic. 2. Chriſtus ſibi meruit gloriam ſuam, & beatitudinem; ergo eam non habuit cum unione hypoſtatica, nec ab inſtanti conceptionis ſuæ; nam præmium non præcedit meritum, & iſtud non fuit completum, niſi per mortem Crucis; *propter quod Deus exaltavit illum*.

Reſp. diſt. ant. meruit gloriam corporis, & nominis, con. gloriam animæ, & viſionis, ac fruitionis Dei, neg. ant. nam iſtam habuit ex congruentia dignitatis, & per quamdam appendicem unionis hypoſtaticæ.

Inſt. Glorioſius eſt Chriſto, quod beatitudinem habuerit ex merito, quam gratis; ergo credendum eſt, quod eam prius meruit.

Reſp.

[1] Jo.7. (2) *Luc.24.*

Reſp. diſt. ant. ſi aliunde non habeatur ex quadam convenientia, conc. ſi ſic habeatur, neg. ant. ex convenientia autem unio beatifica debebat comitari hypoſtaticam, ut dicebamus, ut qui tam intime uniebatur in dignitate, & ſubſtantia, uniretur etiam ſumme per operationem facultatum animæ ſuæ, & qui aliquo jure nativitatis erat filius, eodem jure frueretur hæreditate, & communicaret in omnibus bonis paternis.

Objic. 3. Unio beatifica erat incompatibilis cum libertate neceſſaria ad meritum, & ad patiendum, & moriendum: ſed Chriſtus vere meruit, & paſſus eſt; ergo non habuit illam unionem. Prob. maj. nam impaſſibilitas eſt una ex dotibus beatitudinis; & beati non habet ſufficientem libertatem ad meritum; amant enim Deum neceſſario, & ad hoc determinantur per viſionem.

Reſp. diſt. maj. & prob. ejus de via ordinaria, & ſecluſo miraculo, conc. de potentia Dei abſoluta, & cum miraculo, neg. maj. & prob. nam per miraculum gloriæ ſuavitates continebantur in parte ſuperiori animæ Chriſti, ne impedirent triſtitias, & dolores partis inferioris. Et idem eſt de libertate; ſed de hac infra, cum de impeccabilitate, & merito dicemus.

CONCLUSIO II.

UNio beatifica non erat eſſentialiter, vel neceſſario connexa cum hypoſtatica; ſed verbum potuiſſet aſſumere naturam etiam rationalem non beatam. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Prius ex ratione prioris poteſt eſſe ſine poſteriori ſine contradictione, & hoc quando nulla eſt neceſſaria connexio eorum: aliter non ſalvaretur prioritas unius ad aliud.* Patet ex definitione ejus 5. metaph. ſed natura perſonabilis prius naturaliter perſonatur in eo, quam operetur; & hoc quando perſonatur in ſe; quia operatio eſt ſuppoſiti præexiſtentis; & in natura intellectuali eſt perſonæ; ergo quando perſonatur in alio, ut humanitas in verbo, prius naturaliter perſonatur in eo, quam operetur.

Prob. 2. ex præcedenti; nam ſi nulla formalis au-

ctor-

[1] 3. *d.* 2. *q.* 1. *C. n.* 3.

ctoritas Scripturæ, aut Concil. cogit dicere, Chriſtum de facto habuiſſe unionem beatificam ante reſurrectionem, ſequitur eam non eſſe neceſſario connexam cum hypoſtatica.

Prob. 3. ex allato argumento Scoti. Quando duæ res ſic ſe habent ad invicem, ut una ſit natura ſua prior alia, & diverſæ rationis ab illa, illæ poſſunt eſſe ſine ſe invicem; ſaltem prior poteſt exiſtere ſine poſteriori; ſed talis eſt unio hypoſtatica cum beatifica; ergo illa poteſt eſſe ſine iſta. Prob. min. nam prius eſt, naturam perſonari, ſeu conſtitui in ſuo eſſe ſubſtantiali, & ſubſiſtenti, quam operari; nam agere eſt ſubſiſtentis, & prius eſt eſſe, quam agere; ſed unio hypoſtatica complet humanitatem Chriſti ſubſtantialiter, & in ratione ſubſiſtentis; & unio beatifica illam conſtituit, & complet in ratione operantis per viſionem quoad intellectum, & quoad fruitionem in voluntate: ergo &c.

Quod autem ſit diverſæ rationis patet; quia unio hypoſtatica eſt paſſio, qua natura ſumitur, & dependet a verbo; beatifica vero eſt actio ſupponens illam paſſionem, ſeu perſonationem.

Item illa ponitur a ſolo Deo; ad iſtam vero ponitur etiam active ab humanitate, quæ agit per intellectum videntem, & per voluntatem amantem, ſeu fruentem. 3. per illam natura perficitur, & ſiſtit in ſe ipſa; per iſtam vero quaſi tranſit extra ſe; & tendit in objectum viſum, & amatum. 4. per illam ſubſiſtit in ſolo Verbo in una ſola perſona; per iſtam vero unitur toti Deitati immediate, & totis tribus perſonis, quas nolunt adverſarii poſſe videri ſeparatim, nec eſſentiam ſine illis; ergo hæ duæ uniones ſunt diverſiſſimæ, & ſeparabiles, non autem connexæ, ſaltem neceſſario; ita ut implicet, unam eſſe ſine alia.

Prob. denique: quia nulla poteſt afferri implicantia, quod humanitas ſubſiſtat in Verbo, & quod careat viſione beatifica; nec etiam quin Verbum poſſit aſſumere naturam non beatificabilem, v. g. naturam irrationalem; ergo nec implicat unionem hypoſtaticam ſeparari a beatifica: ant. patebit ſolutione objectionum.

Objic. 1. Unio hypoſtatica exigit neceſſario lumen gloriæ; ergo & viſionem beatam; nam implicat, animam

nimam habere illud lumen, & non habere viſionem beatam; alioqui eſſet, & non eſſet beata.

Reſp.neg.ant. ſaltem de exigentia neceſſitatis: nam ex convenientia, congruentiaque non parva id verum eſt; ſed non de tanta neceſſitate, ut non poſſint ſeparari de potentia Dei abſoluta.

Reſp.2.neg.conſ. Nam ſicut poteſt eſſe in anima habitus fidei, & charitatis ſine actibus illis correſpondentibus, non video, cur lumen gloriæ non poſſet eſſe ſine actu videndi, aut fruendi.

Inſt. Intellectus eſt potentia naturalis, ita ut non poſſit non videre objectum præſens; ſicut nec oculus non poteſt non videre lucem præſentem; ſed Deus eſt intime præſens intellectui naturæ ſibi unitæ hypoſtatice; ergo hæc non poteſt Deum non videre, quandiu illi ſic unitur.

Reſp. diſt.maj. objectum naturaliter concurrens ad ſui viſionem, con. objectum voluntarium, neg.maj. & conſ. nam eſſentia Dei eſt objectum voluntarium reſpectu potentiarum extra ſe exiſtentium, nec movet neceſſario niſi proprium intellectum; ad extra vero non movet, nec videtur niſi volens.

Objic.2. Natura non eſt ſeparabilis a ſuis proprietatibus; ſed unio beata eſt proprietas hypoſtatice; ergo &c. Prob. min. nihil enim magis eſt proprium filio, quam videre, & frui patre, & natura ſua. *Nemo novit filium, niſi pater, neque patrem, niſi filius*; ſed per unionem hypoſtaticam Chriſtus eſt filius Dei: ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam beatitudo non eſt proprietas inſeparabilis ab hac unione; alioqui hæc non poſſet fieri in natura irrationali.

Objic.3. Si poſſet hæc humanitas non eſſe beata, poſſet peccare, & damnari; ſed hoc eſt abſurdum: nam diceretur, Deus peccat, damnatur &c. ſicut dicitur, Deus moritur, patitur, &c.

Reſp.1. neg. maj. Nam impeccabilitas Chriſti non venit præciſe ab unione hypoſtatica, ut dicemus infra.

Reſp.2. neg. min. nam abſolute loquendo, humanitas Chriſti non eſt impeccabilis, ut videbimus.

QUÆSTIO VI.

De ſupernaturalitate, & ſubſtantialitate hujus unionis, & quomodo dicatur ſupernaturalis, & ſubſtantialis.

NE quidquam remaneat explicandum circa naturam, & qualitates unionis hypoſtaticæ, videndum ſpecialiter, quo ſenſu dicatur ſupernaturalis: quandoquidem aliquando a Patribus dicta ſit *naturalis?* Et quo ſenſu dicatur ab iiſdem, & a Conciliis *ſubſtantialis?* cum dixerimus, eam eſſe in ſua entitate accidens de tertio genere relativorum: & ut ab hoc incipiam, ſit

CONCLUSIO I.

QUamvis unio hypoſtatica ſit in entitate accidens; tamen abſolute dicenda eſt ſubſtantialis. Eſt communis quoad hanc partem, quoad primam autem probata eſt ſupra.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Iſta unio extremorum nec conceditur eſſe eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis.* Damaſc. c. 49. *Subſtantialem inquirimus unionem, ſc. veram, non ſecundum phantaſiam · ſubſtantialem autem, non ut duabus naturis perficientibus unam compoſitam naturam* &c.

Prob. 2. ex Concil. Lateran. ſub Mart. 1. ubi jubemur confiteri, *proprie, & ſecundum veritatem duabus, & in duabus naturis ſubſtantialiter unitis unum, eumdemque eſſe Dominum J. C. ... & proprie, ac ſecundum veritatem naturarum ſubſtantialem unionem;* ergo &c.

Prob. 3. Nam ſi hæc unio diceretur accidentalis, daretur occaſio errandi cum Neſtorio, quaſi Verbum, & homo in Chriſto non unirentur in unitatem veram, & realem, & propriam perſonæ, ſed moraliter, & ſecundum affectum, eſſentque in eo duæ reales perſonæ, ſicut duæ reales naturæ; ſed hoc eſſet hæreticum; ergo dicenda eſt unio ſubſtantialis, quia definit in veram, & realem unitatem ſubſtantiæ, ſeu per-

[1] 3. *d.* 7. *q.* 1. *D. n.* 7.

perſonæ Verbi, de qua illæ duæ naturæ prædicantur *in quid*, non autem *in quale*; nam dicitur, *Chriſtus eſt Deus*, & *Chriſtus eſt homo* &c.

Objic. 1. omnis unio, in qua extrema uniuntur mediante accidente, eſt accidentalis; ſed iſta eſt talis per nos; ergo &c. Prob. maj. *propter quod unumquodque tale*, *& illud magis*; ſed hæc unio, & compoſitum iſtud eſt propter relationem, quæ eſt accidens; ergo a fortiori ipſa eſt accidens.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. *propter unumquodque tale*, ut per veram cauſam, conc. ſin minus, neg. maj. ad min. neg. iſtud dici unum propter hanc unionem, ut per veram cauſam; nam, ut diximus in phyſicis, unio in compoſito non habet rationem veræ cauſæ, ſed eſt ipſa cauſalitas, ſeu id, per quod cauſæ cauſant, & faciunt compoſitum, velut per quandam conditionem: unde, licet unio inter corpus, & animam, aut inter materiam, & formam ſubſtantialem, ſit entitative accidens, ſeu relatio extrinſecus adveniens, non minus compoſitum eſt ſubſtantiale, & ideo unio dicitur ſubſtantialis.

Objic. 2. Quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubjecti corruptione, eſt accidentale; ſed hæc unio eſt talis; non enim deſtrueretur humanitas Chriſti, nec Verbum, quamvis divinitus ſepararetur, & poſſent ſeparari; ergo eſt accidentalis.

Reſp. diſt. maj. accidentale reſpectu ejus, a quo poteſt ſeparari ſine ejus deſtructione; conc. reſpectu ejus, a quo non poteſt ſeparari; neg. maj. & min. non enim hæc unio poteſt abeſſe a Chriſto ſine ejus deſtructione; quamvis poſſet abeſſe a perſona Verbi, & ab humanitate ſeorſim ſpectatis ſine illorum deſtructione.

Collige igitur primo, quod hæc unio dicitur *ſubſtantialis*, non ex ſua entitate propria, quaſi ipſa in ſe ſit de genere ſubſtantiæ; ſed quod ſit realis, phyſica, & intrinſeca unio humanitatis cum perſona Verbi; non moralis, & extrinſeca per affectum, & gratiam, qualis eſt inter duos amicos, aut inter hominem juſtum cum Deo per gratiam ſanctificantem, ut dicebat Neſtorius. 2. quia per illam perſona Verbi reddit naturam illam vere, & realiter ſubſiſtentem in ſua divina hypoſtaſi, & perſonaliter. 3. quia cum

ipſa facit unicam realiter perſonam, quæ eſt Chriſtus Dominus. Reliquas objectiones dedimus ſupra.

CONCLUSIO II.

Licet in aliquo ſenſu hæc unio dici poſſit naturalis: tamen abſolute dicenda eſt ſupernaturalis in ſubſtantia. Eſtcommunis.

Prob.1. ex Scoto, (1) qui concedit, *quod eſt ſumma gratia in iſta unione*, juxta illud Auguſtini; *in rebus per tempus ortis ſumma gratia eſt, hominem fieri Deum*, quod repetit in 4. ſent. ubi docet nullum opus Dei fuiſſe magis gratuitum; ergo abſolute loquendo, unio hypoſtatica eſt ſupernaturalis, & gratuita, quam ullum aliud opus Dei temporale.

Prob.2. nam ſupernaturale dicitur prout opponitur naturali, quatenus ſuperat vires omnes agentium creatorum intra ordinem naturæ, ut alias diximus. Et iſtud duplex eſt. 1. *quoad ſubſtantiam*, quod ita ſuperat omnes vires agentis, ut intra totum ordinem agentium naturalium, ſeu creatorum quomodocumque diſpoſitorum, & completorum, etiam ſuppoſito concurſu Dei generali, non poſſit ab eis produci. 2. dicitur *quoad modum*, quod poſſet quidem produci ab aliquo agente creato ſecundum vires ſibi proprias; ſed non in illis circumſtantiis, in quibus producitur: v. g. ſanitas paralytici ex ſolo contactu, vel verbo; nam ille morbus poſſet quidem remediis phyſicis curari; ſed non ſimplici contactu, aut verbo. Hoc igitur utroque ſenſu unio hypoſtatica dicitur *ſupernaturalis*; quia per nullam potentiam creatam poſſet impediri, ne natura individua creata ſuppoſitetur propria ſubſiſtentia, & facere, ut ſuppoſitetur per ſubſiſtentiam alienam, & maxime per ſubſiſtentiam Verbi, & ſic uniatur hypoſtatice Dei Verbo, & naturæ divinæ, ita ut in Verbo divino ambæ naturæ non ſint niſi una perſona.

Confir. Nam conditiones omnes ſupernaturalitatis quoad ſubſtantiam ſunt 1. ut res non ſit debita ullo jure naturæ. 2. ut non ſit quoad produci in poteſtate ullius agentis creati. 3. ut diſpoſitiones ejus ultimæ non poſſint poni ab ulla cauſa naturali creata; ſicut

[1] 3.*d*.2.*q*.1.*C*.*n*.4.4.*d*.1.*q*.1.*fin*.

cut ponuntur a genitoribus diſpoſitiones ad animam rationalem. Hæc conditio fere coincidit cum prima. 4. ut elevet creaturam ad eſſe gratuitum, & ſupernaturale gratiæ, & gloriæ &c. ſed hæc omnia concurrunt in unione hypoſtatica, ut patet, & magis patebit ex dicendis; ergo eſt ſupernaturalis in ſubſtantia.

Dixi autem (*licet in aliquo ſenſu dici poſſit naturalis*) 1. quia id poteſt dici, prout *naturale* opponitur violento: unio enim illa non eſt in natura contra naturam, ſed tantum ſupra inclinationem ejus innatam; nihil enim illi detrahit, nullam vim facit; ſed ſumme perficit, & dignificat: principium quidem hujus unionis eſt extra illam; ſed nullam habet ad hoc repugnantiam; ſed potius eſt in potentia obedientiali ad illam. 2. dici poteſt *naturalis*, prout *naturale* opponitur morali, vel apparenti, vel putatitio; & ſignificat quid phyſicum reale, verum, & proprium; & hoc ſenſu dicta eſt ab aliquibus Patribus naturalis, dum agebant contra Neſtorium, & alios hæreticos, qui volebant, hanc unionem eſſe moralem, apparentem, metaphoricam, & putatitiam. 3. dici poteſt *naturalis*, prout *naturale* opponitur libero, ſaltem quoad effectum uniendi: nam in hoc ſenſu ex natura ſua determinatur ad effectum ſuum formalem, qui eſt unire humanitatem Verbo divino; ſed reſpectu cauſæ ſuæ efficientis, ſc. Dei, non eſt *naturalis*, ſed liberrima, & pure gratuita; nam pendebat ex mera liberalitate, & gratia Dei hanc unionem concedere.

Objic. 1. Quod convenit rei a nativitate, dicitur naturale; ſed hæc unio eſt hujuſmodi reſpectu humanitatis; ergo illa eſt naturalis, & propria.

Reſp. diſt. maj. quod convenit opera agentis ordinarii, & naturalis, conc. opera agentis increati, & ſupra vires totius naturæ, neg. maj. hæc unio non tantum facta eſt immediate a Deo, ſed nequidem ulla diſpoſitio exigitiva illius cauſata eſt per ullum agens, ſicut cauſatur organizatio, & aliæ diſpoſitiones, quæ exigunt infuſionem animæ rationalis; unde licet iſta infuſio, quæ a ſolo Deo fit per creationem, dici poſſit naturalis ex hoc capite; id dici non poteſt de iſta unione.

Objic. 2. Unio reſultavit in natura ex aſſumptione paſſiva ejus a Deo; ſed reſultantia eſt naturalis; ergo

go & unio. Prob. maj. nam hoc ipſo, quod Deus voluit hanc naturam non ſubſiſtere de ſe, ſed per ſubſiſtentiam Verbi, impedita eſt ſubſiſtentia creata, & reſultavit ibi unio ad Verbum; nam relationes non producuntur; hæc autem unio eſt relatio per nos; ergo &c.

Reſp. neg. maj. nam eodem actu, quo voluit impedire ſubſiſtentiæ creatæ exiſtentiam, voluit unionem, & dependentiam ejus ad Verbum, & ſubſiſtentiam ejus per illud, & quidem directe, & poſitive. Unde ibi habes duo miracula; 1. impedimentum, & negationem propriæ ſubſiſtentiæ, & 2. unionem cum divina.

Inſt. Unio animæ cum corpore reſultat naturaliter ex infuſione ejuſdem in corpus; ergo & unio humanitatis Chriſti ex privatione propriæ ſubſiſtentiæ.

Reſp. neg. conſ. & paritatem; nam anima eſt forma debita corpori conſequenter ad organizationem, & alias diſpoſitiones naturaliter introductas in corpus. In incarnatione autem nulla talis diſpoſitio naturaliter poſita eſt ab ullo agente creato ad ſubſiſtentiam Verbi, nequidem poſito impedimento ad propriam, ſed hoc fuit ex pura Dei gratia, & voluntate, qui ſibi naturam illam voluit aſſumere, & unire.

Objic. 3. Illa unio pertinet ad conſtitutionem Chriſti; ergo eſt illi naturalis. Prob. conſ. nihil enim eſt magis naturale alicui, quam quod ingreditur intrinſecam conſtitutionem ejus.

Reſp. diſt. conſ. eſt naturalis Chriſto adæquate ſumpto pro tali compoſito, & in facto eſſe, conc. per ordinem ad humanitatem, & ad compoſitum in fieri, neg. conſ. loquimur de unione non in facto eſſe, & comparative ad totum Chriſtum per ipſam conſtitutum; nam ibi includitur ipſa, quæ non eſt ſibi ſupernaturalis, ſed reſpective ad unita per ipſam, & maxime ad humanitatem.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De ſubjecto unionis hypoſtaticæ , & ejus unitate : an illa immediate ſubjectetur in partibus eſſentialibus , vel in toto.

ALiter proponi ſolet, an Verbum immediate, vel mediate aſſumpſerit partes humanitatis? & quidem tam integrantes, quam eſſentiales; & etiam humores, maxime ſanguinem? Seu an unica realiter unio fundata in tota humanitate? An plures partiales in ſingulis partibus, verbi gratia in anima, corpore, & tota in ſingulis partibus integrantibus corporis?

Suppono autem 1. ex Philoſophia, de mente Scotiſtarum, quod totum eſſentiale, ſc. compoſitum phyſicum ex materia, & forma ſubſtantiali, diſtinguitur realiter ab illis partibus ſimul ſumptis, & unitis.

2. Ex Metaphyſica, quod unio rei alicujus ad perſonam poteſt eſſe multiplex, ſc. vel per modum *perſonationis*, quando fundatur in tota aliqua, & completa eſſentialiter natura intellectuali; aut *ſuppoſitationis*, quando fundatur in natura totali irrationali: aut *hypoſtaticitatis*, ſeu ſimplicis *ſuſtentationis*, quando fundatur in aliqua re incompleta, ſeu quæ habet rationem actus, aut potentiæ: v. g. in materia, & forma: in corpore, & anima, vel in aliqua forma accidentali. Hæc enim omnia diſtinguit Scotus. [1] Unde unio totius humanitatis ad Verbum dicitur *perſonatio*. Et hæc valde notanda ſunt ad intelligentiam mentis Scoti, & ſuorum, qui non bene inter ſe conveniunt in hac quæſtione.

Denique ſupponimus ex dicendis, Verbum aſſumpſiſſe veram carnem.

CONCLUSIO I.

VErbum divinum aſſumpſit tam corpus, quam animam, & totam humanitatem, & quidem immediate. Ita Scotiſtæ inſignes.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui contra tenẽtes, quod corpus aſſum-

[1] 3.*d*.2.*q*.1.*l*.*n*.13. [2] 3.*d*.2.*q*.2.*n*.2.

aſſumptum fuit mediante anima, & tota humanitas mediantibus partibus, ſic impugnat: *Quia hinc videtur ſequi, quod Chriſtus non fuit primo homo...quia primo aſsumpta non eſset natura humana, ſed pars naturæ humanæ* &c. Unde ſequitur, quod Verbum primo, & immediate aſſumpſit totam humanitatem, ſaltem in unione *perſonalitatis*.

Prob. 2. quoad 5. p. de corpore, & anima: quia ſi unio non eſset ſubjectata in corpore, vel in anima, illa pars non diceretur unita Verbo: non enim poteſt dici unita, niſi habeat unionem: ſed conſ. eſt falſum; ergo in utroque eſt unio. Min. patet: nam ſola anima, aut ſolum corpus non faciunt hominem. Prob. maj. nam ſi in ſola anima eſset unio, hæc eſset ſpiritualis, & ſic non poſset unire corpus, quod eſt materiale, & ſi unio eſset in ſolo corpore, eſset materialis, & ſic non poſset unire animam; ergo niſi unio eſset in utroque, una ex illis partibus non eſset unita Verbo.

Prob.2. Nam ex fide tenemus, quod in triduo mortis tam corpus, quam anima Chriſti manſerunt unita Verbo juxta illud Damaſcen. *quod ſemel aſsumpſit, numquam dimiſit*; ergo unio hypoſtatica tam ſubjectatur in corpore, quam in anima; ergo ſunt duæ uniones reales: nam idem realiter accidens non poteſt eſse ſimul in duobus ſubjectis realiter ſeparatis, ut erant tunc anima, & Corpus Chriſti.

Prob. 2. p. de tota humanitate. Nam Chriſtus eſt verus, & integer homo, & quidem primo; ergo unio hypoſtatica eſt in tota humanitate, & hæc unio diſtinguitur realiter ad illis duabus. Prob. hæc conſ. nam hæc unio totius humanitatis ceſsavit per mortem, non vero illæ duæ, & hæc reſtituta eſt per reſurrectionem: illæ vero remanſerunt eædem, quæ erant ante mortem, & in morte.

Confir. Nam ſi prius unio hypoſtatica eſset in corpore, vel in anima, quam in tota humanitate, Chriſtus non eſset primo homo, ſed vel anima, vel corpus: quia primo uniretur corpori, vel animæ; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo &c.

Prob. denique tota concl. Nam corpus, & anima Chriſti, & tota humanitas eo modo, & ordine uniuntur ſuppoſito Verbi, quo fuiſsent unita propriis ſubſiſtentiis, & perſonalitati, ſi ſibi relicta eſsent; ſed

ſibi relicta fuiſſent unita immediate propriis ſubſiſtentiis partialibus, & tota humanitas fuiſſet immediate perſonata per propriam perſonalitatem; ergo eodem modo, & ordine uniuntur Verbo.

Objic. 1. Si unio eſſet in corpore, & anima, & in toto, eſſent plures uniones; ſed hoc eſt falſum, & contra mentem SS. PP. & DD. qui numquam loquuntur, niſi de unica unione hypoſtatica; ergo unio eſt in ſola anima, & non in corpore.

Reſp. diſt.maj. & min. plures uniones partiales, con. maj. & neg. min. plures totales, neg. maj. & conſ. nam neque Patres, neque boni Theologi negant plures uniones partiales, licet unicam ſc. totalem, non curantes de partiali pluralitate, de qua non diſputarunt.

Inſt. SS. Patres numquam cogitarunt de diverſis ſpecie unionibus: alioqui dicerentur abſolute plures: ſed uniones corporis, & animæ differrent ſpecie; una enim eſſet materialis, & alia ſpiritualis; ergo illa pluralitas eſt contra mentem Patrum.

Reſp. diſt. maj. numquam cogitarunt explicite, & formaliter, con. implicite, & virtualiter, neg. maj. nam, ut dicebam, licet hæc non examinaverint ſcholaſtici, & quoad voces: tamen id aperte colligitur ex verbis eorum: v. g. cum dicunt poſt Evangeliſtam, quod *Verbum caro factum eſt*, quod *induit mortalitatem* &c. ſatis aperte indicant, quod unitum eſt realiter carni; alioqui non ſic loqueretur poſitive, & proprie Evangelium. Anima non eſt caro.

Inſt. 2. Unio corporis ad Verbum non ſubdividitur in plures alias partiales ſecundum diverſitatem, & multitudinem partium heterogenearum, v. g. oſſis, nervi &c. ergo nec unio totius humanitatis debet ſubdividi in duas partiales corporis, & animæ. Prob. conſ. nam eadem eſt ratio de iſtis partibus, & de illis cum proportione; nam iſtæ partes ſubſiſtunt, ſicut & illæ.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. diſparitas eſt, quia omnes iſtæ partes conſtituunt unum corpus organicum, quod non eſt unibile ad animam, nec per conſequens in ſpecie poteſt ſubſiſtere ſine illis, & ſicut ſine illis non ſubſiſteret in ſe, ita nec ſine illis ſubſiſtit in Verbo, nec illi unitur.

Reſp.

Reſp. 2. neg. poſſe ant. quid enim abſurdi, vel inconvenientis, quod etiam iſtæ partes ſuo modo, & ordine, & proportione ſubſiſtant in Verbo, ſicut ſubſiſterent in ſe, ſi ſibi relinquerentur?

Objic. 2. de corpore dicunt SS. PP. illud fuiſſe aſſumptum a Verbo mediante anima; ergo in eo non eſt proprie unio. Prob. ant. nam ex Damaſcen. & aliis, *Verbum aſſumpſit corpus per ſpiritum*, id eſt per animam, quæ eſt ſpiritus. Et Auguſt. *Si viſibilia munda viſibilibus immundis contingi poſſunt, & non inquinari, quanto magis inviſibilis, & incommutabilis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus ſuſcipiens toto homine aſſumpto ..... liberavit?* ergo Verbum non aſſumpſit corpus immediate, ſed mediante anima.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. vel ſic diſt. utrumque: mediante anima tamquam medio *quo*, tranſeat, tamquam medio *quod*, neg. ant. & conſ. medium *quod*, ut ſæpe diximus, eſt illud, quod in ſe 1. aſſumitur, & per illud aſsumitur aliud. Sicut homo 1. ſumit quantitatem, & mediante quantitate ſumit albedinem: medium *quo* eſt illud, quod eſt ratio ſumendi aliud, quamvis ipſum non prius ſumatur; ſic anima poteſt dici medium *quo* aſsumptionis corporis; quia illa fuit ratio Verbo ſumendi humanitatem; ſed illa non prius fuit aſſumpta; ſed potius corpus prius aſsumptum fuiſset primitate ordinis; quia exiſtentia, & perfectio corporis præſupponitur creationi, & infuſioni animæ.

Damaſc. autem clarius docet aſsumptionem immediatam corporis æque, ac animæ dicens, quod *Deus omnia aſſumpſit, corpus, animam intellectivam, & rationalem: totus enim totum aſſumpſit me*, &c. Unde cum dicit corpus aſsumptum per ſpiritum, hoc intelligit de medio *quo*. Auguſtinus vero nihil aliud intendit, quam quod Verbum aſsumpſit veram carnem abſque periculo ſe inquinandi, contra illos, qui propter tale periculum ſordium negabant Verbum ſumpſiſse veram carnem, quod legenti patebit.

Inſt. Verbum illud immediate aſsumpſit, & ſuppoſitavit, quod fuiſset primo ſuppoſitatum propria ſubſiſtentia; ſed anima fuiſset prius, & immediatius ſuppoſitata, ſi ſibi fuiſset relicta; ergo &c. mai. patet,

nam Verbum ſupplet ſubſiſtentiam propriam. Prob. min. nam perſona definitur naturæ intellectualis incommunicabilis exiſtentia; ergo 1. & immediate afficit animam, quia per illam ſolam humanitas eſt natura intellectualis.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam licet humanitas per animam ſit intellectualis, non tamen eſt perſona ſine corpore, & perſonalitas cadit in totam humanitatem compoſitam ex utroque: Iſta eſt de Verbo, quod *caro factum eſt*, & ſic *homo factus eſt* ſc. per unionem carnis, & animæ. Nam homo ex utroque conſtat.

Objic. 3. ex Scoto: [1] Verbum aſsumpſit immediate totam humanitatem, & per eam partes ejus. ergo partes eſsentiales humanitatis non ſunt unitæ Verbo immediate. Prob. ant. *In iſta paſſiva aſsumptione naturæ humanæ ad Verbum nullum fuit medium quod inter Verbum, & ipſam naturam, ſed tota natura fuit hic immediate aſsumpta, & id probat*, &c. ergo &c.

Reſp. diſt. ant. aſsumpſit totam naturam unione perſonationis, con. unione ſimplicis ſuſtentationis, neg. ant. & conſ. Nam Scotus ibi loquitur de unione totius naturæ quoad perſonationem, quia ſola natura perſonatur per ſe immediate, quia perſonatio non cadit niſi in naturam completam: non autem loquitur de unione per ſimplicem ſuſtentationem, quæ unio cadit immediate in partes eſsentiales.

Inſt. 1. Si hoc eſset verum, darentur tres uniones reales in Chriſto; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. prob. min. non ſunt ibi tria unita; ergo nec tres uniones.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam, ut ſuppono ex dictis in Phyſica, in Chriſto ſunt corpus, & anima, & tota humanitas cauſata per unionem naturalem corporis, & animæ: & hæc tria vere uniuntur Verbo per tres uniones realiter diſtinctas, quarum una eſt in corpore, alia in anima. 3. in humanitate tota, prout diſtinguitur a ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis.

Inſt. 2. Unio totius humanitatis ad Verbum eſt cauſa unionis partium ejuſdem naturæ cum eadem perſonaliter; ergo immediatior eſt unio totius naturæ,

[1] *Ibid. A.4.*

ræ, quam partium ejus, quæ non uniuntur, niſi mediante toto. Prob.conſ. nam omnis cauſa eſt prior ſuo effectu.

Reſp. diſt. ant. eſt cauſa finalis, & in ordine intentionis, con. cauſa efficiens, aut formalis, vel materialis, neg. ant. & conſ. prob. nam in executione potius unio partium eſt cauſa unionis totius naturæ, ſicut partes illæ ſunt cauſæ materiales, & formales, & intrinſecæ humanitatis, ita ſunt cauſæ, & unionis ejus cum Verbo, ſicut eſſent cauſæ perſonationis ejus in ſe ipſa, ſi ſibi relinqueretur.

Conſtat igitur, quod in Chriſto ſunt tres uniones ad Verbum in tribus ſubjectis unitis, & realiter diſtinctis, ſc. unio partialis, & materialis, quæ ſubjectatur in corpore; & alia partialis ſpiritualis, quæ ſubjectatur in anima, & iſtæ duæ ſunt ſimpliciter ſuſtentificantes, & tertia totalis, quæ ſubjectatur in tota humanitate, prout diſtinguitur a ſuis partibus, & dicitur perſonalis, quia per illam perſonatur a perſona Verbi.

QUÆSTIO IX.

De unione aliarum partium humanitatis, & maxime de unione ſanguinis: an iſte uniatur immediate Verbo.

NOn dubitatur de ſingulis membris perfecti, & veri corporis humani, quæ faciunt tum ad integritatem perfectam, tum ad pulchritudinem ejus. Unde dicitur *ſpecioſus forma præ filiis hominum*. Aſſumpſit ergo Verbum carnem, oſſa, nervos, venas, & alias hujuſmodi partes ſolidas corporis noſtri, quæ informantur anima; ſed dubitatur de partibus fluidis, quæ non cenſentur animatæ. Vide interim, quæ diximus in Philoſophia de ſanguinis vita.

Gravis olim ante annos circiter 300. & 200. fuit de unione ſanguinis ad Verbum controversia inter PP. Dominicanos, & noſtros; non quidem circa unionem ſanguinis immediatam ad Verbum in Chriſto vivente, ſed in triduo mortis, quia noſtri ſuſtinebant unionem illam ceſsaſſe in ſanguine effuſo illo triduo; iſti vero hanc volebant unionem perſeveraſſe etiam

per illud tempus, & acriter aſſerebant ut articulun fidei: & circumferebatur decretum quoddam Clem VI. quo jubebantur aſſertores unionis diſſolutæ pali nodiam canere, inter quos erat Guardianus Conventus noſtri Barchinonenſis. Decretum vero non extat, ſed dicitur fuiſſe vivæ vocis oraculum. Hoc contigit circa an. 1351. Lis autem ex illo tempore ſopita revixit circa an. 1462. prædicante B. Jacobo Piceno, ſeu de Marchia, in quem inſurrexit Inquiſitor Lombardiæ, Jacobus Brixienſis Dominicanus, & quæſtio utrimque ardenter agitata coram SS. Pontif. Pio II. qui rem indeciſam reliquit, & tandem anno 1464. moriturus ſevere prohibuit, ne alterutra pars adverſam cenſuraret, & ne tam Dominicani, quam Minores deinceps diſputarent ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervatæ, cui prohibitioni obediemus, ut decet.

Reſtat ergo quærendum, an in Chriſto vivente, aut redivivo ſanguis fuerit immediate unitus Verbo, & an idem ſit dicendum de aliis humoribus, etiam excrementitiis, & fluxis.

CONCLUSIO I.

IN *Chriſti corpore totus ſanguis fuit immediate unitus verbo hypoſtatice, idem eſt de aliis humoribus*. Eſt communis, imo a plurimis contraria notatur erroris, aut ad minus temeritatis, ſed de cenſuris nihil ad nos, & de illis non conveniunt plurimi.

Prob. 1. ex Scoto, qui licet hoc dubium explicite non agitet: tamen ex ejus verbis non obſcure colligitur: nam fatetur, quod [1] *Chriſtus vere quando fuit mortuus, aliquam entitatem non habuit, quam habuit vivus; nec tamen depoſuit naturam, quam aſſumpſit quantum ad partes eſſentiales;* nam illa entitas, quam Verbum depoſuit, non poteſt aliter intelligi, quam de ſanguine, quem in flagellis, & cruce effudit, & ſi hunc depoſuit, ergo illi antea uniebatur, & cum illum reſumpſit, iterum illi unionem permiſit. An autem illum vere depoſuerit, cum effuſus eſt, id credidit Scotus; ego autem non diſputo propter prohibitionem: Idem colligitur ex alio textu,

[1] 3.*d*.2.*q*.2.*I*.*n*.39.

tu, in quo dicit, quod [1] *corpu poteſt accipi, ut omnia illa includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum, ſive ſint partes animatæ, ſive ſint alia non formaliter animata, ut humores, & ſpiritus, & hoc modo ſanguis eſt aliquid corporis*. Et ſic cum Verbum aſſumpſerit omnes partes veri corporis humani organici, & integri, ſumpſit & ſanguinem, ſine quo non erat corpus integrum, nec organicum ad vivendum.

Prob. 2. quia id videtur colligi ex Clemente VI. extra [2] *Unigenitus*: ubi dicit, quod *una gutta ſanguinis modica propter unionem ad Verbum ſuffeciſſet pro redemptione totius generis humani*. Sic loquens videtur tribuere ipſi ſanguini tantum valorem propter unionem dicti ſanguinis ad Verbum: nam ſi reſpiceret ad dignitatem perſonæ offerentis, eodem modo loqueretur de gutta lacrymæ, aut ſudoris, aut de unica voce orationis. Item in Concil. Calcedon. approbatur Epiſtola S. Cyrilli, in qua illud Joannis, [3] *Verbum caro factum eſt*, ſic vertit, *carnem, & ſanguinem aſſumpſit*.

Adduci poſſent, ut ſolet, plura loca Script. quibus tribuitur efficacia redẽptionis noſtræ valori ſanguinis Chriſti; ſed quia hæc poſſunt etiam tribui merito, ac dignitati perſonæ offerentis, omitto illa.

Prob. 3. Nam Verbum aſſumpſit veram humanitatem ſimilem noſtræ ſecundum verum, & integrum corpus cum omni ſubſtantiali integritate naturaliter requiſita ad operationes, & paſſiones naturales, ut patet ex præcedenti; ſed ad hanc integritatem pertinet ſanguis cum aliis humoribus; ergo vere aſſumpſit ſanguinem, ſicut & alios humores, & partes veri corporis naturalis. Prob. min. ex Philoſophia; nam ſanguis pertinet ad partes ſimiles corporis animalis, inquit Ariſt. & ut ſcribit Seneca, *Sanguis eſt quaſi pars noſtri, & in numero eſt eorum, quibus totum corpus efficitur*.

Confir. ex Damaſc. [4] *Corpus omne ex quatuor elementis conflatur, animantium corpora ex quatuor humoribus*. Et S. Auguſtin. [5] *Quatuor humoribus na-*

[1] *4.d.8.q.1.C.n.9.*
[2] *De pœnit. & ren.* [3] *Act* 1.
[4] *5.Hiſtor.an.2.2.Sin.12.* [5] *Epiſt.*146.

turam carnis temperari, etiam medicinæ diſciplina teſtatur. Iſti, & alii Patres, & Philoſophi loquuntur in rigore phyſico.

Confir. 2. ex Apoſt. qui docet, quod Chriſtus participavit ſanguini, & carni eiſdem cum aliis filiis Adæ. [1] *Quia ergo pueri participaverunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem*, ubi ait Chryſoſt. [2] *Vides ubi ſit ſimilitudo, nempe ſecundum carnem*, & addit: *hæc dico ad confuſionem eorum, qui negant eum aſſumpſiſſe verum corpus ſimile noſtro.* Quod etiam notat Nazianz. dicens: *Verbum caro factum eſt, non putative, ſed vere, quia aſſumpſit corpus ex carne, & oſſibus, & ſanguine conſtans.*

Prob. 3. Ex prædicta controverſia inter Minores, & Dominicanos coram SS. Pontifice: nam utrique fatebantur ſanguine fuiſſe aſſumptum, & unitum Verbo, vivente Chriſto, & lis tota erat de unione, an duraſſet in triduo mortis, & Papa ſolum prohibuit de hoc diſputare; ergo cenſuit unionem illam durante vita eſſe extra dubium, & ab omnibus admittendam. Et certe ſi fuiſſet licitum negare illam unionem ſanguinis ante mortem, & poſt reſurrectionem, quanto magis in triduo mortis, quando ille ſanguis erat extra corpus: nunc ridicula, & vana fuiſſet altercatio? ergo ex illa altercatione, & ſerio examine Pontificis in Congregatione Cardinalium, & Conſultorum, & decreto ſolide colligitur certitudo unionis ſanguinis cum Verbo extra tempus mortis Chriſti.

Prob. 2. p. de aliis humoribus, ſc. pituita, bile, & flegmate, & ſpiritibus; nam eodem modo ſunt partes viventis, quo ſanguis, licet non ad eoſdem uſus: licet de illis non loquantur PP. nec Script. quia miſcentur, & quaſi confunduntur cum ſanguine, nec minus neceſſarii ſunt ad conſtitutionem humanitatis; ergo eos Verbum aſſumpſit ſicut ſanguinem, & alias partes.

Objic. 1. Sanguis non eſt pars corporis, ſed alimentum ejus; nulla eſt in illo ſenſatio, & per nos non animatur; ergo non eſt de integritate naturæ humanæ, ſicut nec alii humores; ergo nec unitus per ſe Verbo.

Reſp.

[1] *Hebr. 2.* [2] *Hom. 4. ibi.*

Reſp. diſt. ant. non eſt pars eſſentialis, con. integralis, neg. ant. & conſ. nam eſt pars integralis, & quidem neceſſaria, ut corpus animetur, & vivat, & ſentiat, quod ſufficit, ut ſit pars valdè notabilis, & neceſſaria corporis naturalis, & per conſequens quòd fuerit unitus, nec tantùm, vel totus eſt alimentum, ut convertatur in ſubſtantiam viventis, alioqui poſt reſurrectionem non eſſet neceſſarius, quia tunc nulla eſt nutritio.

Objic. 2. Si ſanguis, (& idem eſt de aliis humoribus) uniretur Verbo immediatè, & per ſe, diceretur, *Verbum factum eſt ſanguis*; *eſt ſanguis vel bilis*, &c. ſicut dicitur, *factum eſt caro*, *& eſt caro*, *vel corpus*; ſed illa non dicuntur apud Patres, & Theologos; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam in rigore eodem modo, & ſenſu id diceretur de ſanguine, & aliis partibus, quo id dicitur de carne; quod autem de facto id non dicatur, id facit uſus vocum, non ſenſus, nec ratio.

Inſt. Cùm dicitur, *Verbum caro factum eſt*, caro ſumitur pro humanitate; ſed hoc dici non poteſt de ſanguine; ergo nec quod Verbum eſt ſanguis. Prob. min. nam ſanguis eſt diverſæ naturæ ab humanitate; ergo ſi hoc diceretur de ſanguine, diceretur falſum, quia Verbum non aliam naturam ſumpſit, quàm humanitatem.

Reſp. neg. min. nam ſicut caro ſupponit ibi pro humanitate per ſynecdochen, in qua ponitur pars pro toto, ita & cum id diceretur de ſanguine; ille enim atque eſt pars humanitatis heterogenea.

Inſt. 2. Non dici poteſt Verbum aſſumpſiſſe aerem; ergo nec ſanguinem, quia non minus aer eſt de corpore, & neceſſarius, quàm ſanguis.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus, & diſparitas eſt, quia ſanguis eſt pars interna humanitatis, & carnis; aer verò eſt corpus purè externum, & ſeparatum: nec enim requiritur ad ejus intrinſecam conſtitutionem, ſicut ſanguis.

Objic. 3. ex. Concil. Trident. [1] *Corpus*, ſive *caro ponitur ſub ſpecie vini*, *& ſanguis ſub ſpecie panis cum anima*, *& divinitate*, *non immediatè*, *& vi verborum*,

[1] *Seſſ.* 13. *c.* 3.

rum ; ſed vi naturalis connexionis , & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini . . inter ſe copulantur ; ergo id non fit propter unionem immediatam verbi ; ergo illorum unio cum Verbo non eſt immediata , ſed tantum mediata ex mente Concilii .

Reſp.neg.conſ.utramque , imò contrarium ſequitur ex illis verbis , aut nimis probarent . Nam ſicut eodem modo loquitur de poſitione carnis ſub ſpeciebus vini , quo de poſitione ſanguinis ſub ſpeciebus panis , ſequeretur vel eamdem eſſe unionem ſanguinis , & carnis , vel neutrum uniri cum Verbo immediatè . Nam utraque illa poſitio eſt propter concomitantiam, & connexionem ; ergo ſicut eſt reciproca , & ſimilis connexio carnis,& ſanguinis , ita & poſitionis ratio , & unionis cum Verbo .

Objic. 4. Si unio ſanguinis cum Verbo tam immediata eſſet , quàm unio carnis , jam certa eſſet perſeverantia unionis utriuſque etiam in triduo mortis ; ſed conſequens eſt contra Scholam Minoriticam ; ergo &c. min. patet ex dictis de controverſia inter Dominicanos , qui propugnabant perſeverantiam unionis ſanguinis effuſi cum Verbo , & Minores , qui aſſeverabant ceſſationem *illius* unionis in morte . Prob. maj. nam ſi unio carnis , & ſanguinis cum Verbo æqualis eſt ; utraque debuit æquè durare , & Verbum debuit æquè utramque retinere : nec potior eſt ratio , cur unam tunc dimiſerit , quàm aliam partem .

Reſp. ingenue hanc rationem mihi videri ſatis probabiliter ſuadere , quòd vel unio ſanguinis non fuit niſi mediata , vel perſeveravit ſaltem quoad partes ſanguinis,quas Chriſtus reſumpſit reſurgendo . Nam, ut dicit objectio , ſi unio ſanguinis, & carnis erat ęquè immediata ; non video , quomodo non debuit æquè perſeverare , & ita ſentiunt inſignes Scotiſtæ , [1] ut notat Maſtrius , qui putat controverſiam non fuiſſe de interruptione unionis totius ſanguinis effuſi per mortem , ſed tantùm de illis particulis , quas Chriſtus reſurgens, & aſcendens in cœlum forte reliquit in cruce , in clavis , in ſudariis , & ſindone , & aliis inſtrumentis paſſionis .

Dixi autem ab initio , nos non attendere ad cenſuras , quibus aliqui notant opinionem contrariam de unio-

[1] *Diſp.*1 *.n.*172. *& n.*200.

unione ſanguinis ſolum mediata; nam, ut monent aliqui etiam ex noſtris, rationes, quibus nititur aſſertio noſtra de unione immediata, non ita ſunt convincentes, ut videatur omnino certa, & excedere fines majoris probabilitatis, quam verè habet ſupra contrariam, maximè propter gravitatem, & multitudinem Theologorum utriuſque Scholæ, qui ſtant pro unione mediata.

Porrò mihi videtur, quòd ſive admittatur tantùm mediata, ſive immediata, nihil, aut parum refert ad eſſentiam redemptionis, & valorem ſatisfactionis; nam quoad hoc deſumenda eſt ex charitate, ex merito, & dignitate Chriſti offerentis; aliquem quidem valorem habet ex intrinſeco pretio rei oblatæ, ſc. ſanguinis, qui pretioſior eſt ex majori unione cum Verbo vel immediata, & per ſe, vel mediata ratione carnis, & totius humanitatis. Sufficit, ni fallor, quòd tam phyſicè, quàm moraliter fuit corpus, ſanguis, & vita hominis Dei, ſeu perſonæ divinæ. Eſſentialis autem valor, & meritum ſacrificii, & oblationis petitur non tam ex materia rei oblatæ & immolatæ, quàm ex dignitate, & affectu offerentis, & ad valorem rei oblatæ, unio mediata, vel immediata in æſtimatione prudentum parum minuerent, vel augerent. Quæ ſub cenſura dixerim, & ſalvo meliori judicio.

Quæres: *Quid abſolutè dicendum de unione ſanguinis effuſi, & ſeparati à corpore per mortem.*

Reſp. 1. rectè à multis diſtingui inter ſanguinis partes, quas reſumpſit Chriſtus reſurgens, & illas particulas, quas potuit relinquere vel cum pulvere, in quem decidit, vel in linteis, aut aliis inſtrumentis. Nam probabilius eſt unionem illarum partium perſeveraſſe in triduo mortis, quàm iſtarum.

Ratio diſparitatis clara eſt: Nam, quia illæ erant reſumendæ, minor erat ratio ſeparationis à Verbo, nec ſolvenda videbatur unio, quæ brevi reparanda erat, nec minor erat ratio, nec difficultas hanc conſervandi, quàm unionem carnis: tam facilè potuit Verbum utramque conſervare, ſc. carnis, & ſanguinis, & animæ.

Quoad illas verò, quas non erat reſumpturus, ſi modò & à tempore reſurrectionis eas dereliquit, ita

& potuit ab inſtanti effuſionis dimittere. Dico *ſi dimiſit*, nec enim certum mihi eſt, ſed valdè probabile, quod eas dimiſerit. Nihil de hoc habemus in Script. vel traditione.

Quæres 2. *an de facto remanſerint aliquæ reales, & veræ particulæ ſanguinis Chriſti in terris poſt ejus reſurrectionem.*

Reſp. id valde probabile, & piè credi ex variis hiſtoriis, quibus narratur, aliquas ejus reliquias reperiri pluribus in locis, v. g. Neapoli, Mantuæ, Romæ, & Taurini, & Veſuntione in ſacratiſſima Sindone, in qua corpus ejus fuit involutum in tumulo, in Sudario Veronicæ, in clavis Crucis, in ſpinis coronæ, in columna flagellationis &c. Et denique habetur etiam pellicula præputii exciſi per circumciſionem.

CONCLUSIO II.

P*Robabile eſt partes minutiores heterogeneas, & excrementitias, ut dentes, ungues, capillos, &c. non fuiſſe unitas verbo unione immediata, & particulari.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, qui dictum Damaſ. *quod* [1] *ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit*, explicans ait, *hoc eſſe verum de partibus principalibus corporis, quæ concurrunt ad perfectionem hominis, ut ſunt partes heterogeneæ, ſc. cor, caput, manus, & hujuſmodi*, quas ſc. immediatè, & per ſe, & actualiter ſibi univit: non autem de aliis minutioribus, quas non aſſumpſit, niſi mediatè, & potentialiter, & per accidens, ut ſunt ungues, capilli, dentes, &c. ut explicat Vulpes: [2] *& tales dimiſſæ ſunt, ut ſi inſcidit ſibi ungues, vel capillos, & de partibus carnis, & aliis*, ſcil. minutioribus, quæ conſumptæ ſunt per calorem nativum, dum aliæ per nutritionem ſucceſſerunt.

Prob. 2. nam Verbum aſſumpſit humanitatem in ipſo inſtanti conceptionis ejus in utero Mariæ, & talis ibi formata eſt, qualis formatur in aliis: ſed natura in eo inſtanti non formatur cum illis partibus;

v. g.

[1] 3. *d.* 6. *q.* 2. *D. n.* 8.
[2] *diſp.* 7. *a. n.* 7.

v. g. cum capillis, & unguibus: nec iſta pertinent ad primariam, & ſubſtantialem conſtitutionem, &. integritatem corporis; ergo illæ primò, & per ſe non uniuntur Verbo, ſed ſecundariò, & mediante tota natura in ſubſtantiali ſua integritate, qualis eſt in infuſione animæ. Maj. patet; nam in eo ſtatu, & inſtanti unita eſt Verbo, & perſonata ab illo, in quo debuiſſet perſonari propria ſubſiſtentia, ſi ſibi relicta eſſet; ſed in eo inſtanti, & ſtatu fuiſſet perſonata, in quo infunditur anima, & in quo in corpore non ſunt regulariter illæ partes minutæ, & excrementitiæ; ergo &c. min. etiam patet: nam in fœtibus capilli, & ungues creſcunt in utero poſt aliquod tempus conceptionis, & dentes extra uterum poſt aliquod tempus à nativitate; ergo &c.

Prob. 3. nam ſi partes illæ excrementitiæ dicerentur aſſumptæ per ſe immediatè, & unione ſpeciali, idem diceretur de omnibus aliis humoribus ſuperfluis, & excrementis, quæ formantur in corpore humano; ſed hoc eſt falſum, & abſurdum; ergo.

Objic. ex Scoto textum citatum, in quo de unguibus, capillis, & dentibus loquitur, ſicut de partibus heterogeneis, ſc. de corde, de capite, & manibus, & de partibus carnis; ſed iſtæ omnes partes fuerunt unitæ immediatè, & per ſe; ergo & capilli &c.

Reſp. neg. maj. Nam Scotus ponit duas claſſes partium, ſc. partes principales corporis, *quæ concurrunt ad perfectionem hominis, ut cor, caput &c.* Et certè numquam credam, quòd in illa claſſe poſuerit Scotus ungues, capillos &c. ſed de iſtis ibi loquitur, ut oſtendat eas excipi ab illo axiomate Damaſceni: quia cùm ſcinduntur, ceſſant uniri, & in tali caſu dimiſſæ ſunt à verbo, non autem caput, nec brachia, nec cor; alioqui dici poſſet etiam quoad partes illas principales falſum eſſe axioma ex Scoto, quod nequidem ſomniavit, imò expreſsè dicit contrarium: *Principales partes ſemper fuerunt unitæ*; ergo aliter loquitur de capillis &c. quàm de capite &c. Et cenſet, illas minùs principales non fuiſſe ſemper unitas, bene verò principales; quod miror P. Maſtrium non conceſſiſſe P. Vulpio, cum quo ſentit etiam noſter Laurea.

Inſt. Scotus docet eas partes fuiſſe dimiſſas: ergo fue-

fuerunt aſſumptæ, & unitæ; & quidem hoc dicit, ut excipiat eas ab illa regula Damaſceni.

Reſp. diſt. conſ. Aſſumptæ mediatè, & per unionem ſecundariam, con. per ſe, & immediatè, & primariò, neg. conſ. Nam, ut dicantur dimiſſæ ſufficit, ut fuerint aliquo modo unitæ, & aſſumptæ; non autem eſt neceſſe, ut fuerint unitę per ſe, ſicut illæ partes principales; ſicut dimittebat ſputum, ſudores, & alia excrementa, quæ tamen nullus dicet fuiſſe unita per ſe, & immediatè.

Inſt. cum Maſtrio; capilli, ungues &c. pertinent ad integritatem, & perfectionem hominis; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Ad perfectionem ſecundariam, & accidentalem, con. ad ſubſtantialem, & primariam, neg. ant. quoad illam partem; quoad vitam autem, id concedo de dentibus, ſed non de aliis, ut dictum eſt in Philoſophia; ſed neg. conſ. quoad hoc; nam de particulis illis ſufficit, quòd uniantur mediatè ratione totius, & partium principalium.

Objic. 2. Sudor, & lacrymæ fuerunt immediatè unita Verbo; ergo & à fortiori dentes: nam iſtæ partes ſunt notabiliores, & magis permanentes, & ſolidæ. Prob. ant. Nam exprimebantur ex principalioribus; ergo ſimul cum illis uniebantur.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. exprimebantur ut excrementa, con. ut partes ſubſtantiales, neg. ant. non enim ſunt de integritate ſubſtantiali corporis.

Inſt. Si haberemus iſta, vel aliquod iſtorum, adorarentur; ſed hoc dici non poſſet, niſi fuiſſent unita Verbo; ille enim cultus non debetur niſi Deo, & pertinentibus ad ipſum per aliquam unionem; ergo fuerunt unita. Prob. ant. Nam illa omnia fuerunt intimiora, quàm Crux, clavi, linteamina, & alia prorſus extrinſeca, quæ adorantur; ergo &c.

Reſp. diſt. min. Nam fuiſſent unita, vel pertinentia aliquo modo, con. unita immediatè, & per ſe, & unione particulari, neg. min. Nam ad talem eis cultum exhibendum, & quidem relativè, ſufficit qualiſcumque unio, vel contactus, vel pertinentia, ut patet de Cruce, & ſimilibus inſtrumentis paſſionis, & quæ propius contigerunt corpus Chriſti. De ſanguine autem major eſt ratio, quia pertinet ad conſtitutionem ſubſtantialẽ corporis, ut animetur, & vivat.

Inſt.

Inſt. In ſputo, & ſaliva Chriſti erat virtus divina Verbi; ergo & unio. Prob.ant.cœcos illuminabat ea.

Reſp.neg.ant. abſolute, nec inde probatur unio vera:nam quando Chriſtus liniyit oculos cœci luto facto ex ſaliva, lutum erat extra ipſum, & tam poterat illuminare cœcum ſine luto, quam cum luto.

Objic. SS. PP. ut Ambroſ. [1] & Athan. (2) impugnabant hæreticos, qui volebant Deitatem,& carnem eſſe unicam ſubſtantiam, dicentes, quod ſi hoc dici poſſet, etiam diceretur Verbum fuiſſe converſum in carnem, ſanguinem, capillos, oſſa &c. ergo putarunt capillos, & ſimiles partes eodem modo fuiſſe unita Verbo, ſicut carnem ipſam; ſed caro fuit unita immediate; ergo & iſta.

Reſp. neg. ant. non enim hoc dicebant PP. ex propria ſententia, ſed ex ſententia hæreticorum illorum: *Cum iſti dicant, quia Verbum in carnem, capillos, ſanguinem, & oſſa converſum eſt*, ait Ambr. & in eodem ſenſu loquitur Athan. exprobrans illis hanc impietatem, quod aſſererent, *Verbum in carnem, in oſſa, in pilos, imo prorſus in corpus --- abiiſſe, mutata priori natura*: ergo nihil cogitabant de comparatione partium illarum quoad unionem.

Pro coronide, obſerva Thomiſtas, ut probent ſanguinem fuiſſe immediate unitum, & aſsumptum, illum diſtinguere in viventibus: unum *verum*, & *proprium*, qui habet veram formam ſanguinis, & dicitur abſolute, & ſimpliciter *ſanguis*, ſeu *ſanguis vitalis*, & iſtum dicunt vere, & immediate unitum Verbo, alium, quem vocant *nutrimentalem*, qui ſc. nondum habet talem formam, ſed eſt in via ad illam, & eſt vel in principio tranſmutationis, vel in progreſsu, in quo incipit rubeſcere, iſte nondum eſt animatus, ſicut ille primus, & dicitur *ſanguis nutrimentalis*. Primum dicunt animatum, & unitum Verbo, non autem ſecundum. Hæc notaſse ſufficiat; nos, qui nullum ſanguinem putamus vivere, hanc diſtinctionem non curamus.

QUÆ-

[1] *Incar.6.* [2] *Ep.Epict.*

QUÆSTIO X.

Iterum de ſubjecto unionis. An Verbum de facto aſſumpſerit ſolam humanitatem ſine ſubſiſtentia; an vero hominem, ſeu naturam ſubſiſtentem, & perſonatam, aut ſaltem an potuerit id fieri? Et an eadem perſona poſſet aſſumere duas humanitates?

JAm pro 1. p. ſoluta eſt quæſt. quando diximus, hanc unionem factam fuiſſe in Verbo, ſeu in perſona, non in natura, ita ut ex illa unione conſtituatur Chriſtus conſtans ex duabus naturis diſtinctiſſimis & impermixtis, divina ſc. & humana, in unitatem perfectiſſimam perſonæ, quæ eſt Verbum divinum. Et ſic patet, quod de facto iſta unio ſubiectatur in ſola natura humana ſine perſonalitate creata, ſed ſubſiſtit in ſola perſona divina, nec id vacat repetere. Ideo de poſſibilitate ſola reſtat agendum.

Quærimus ergo 1. An ſola natura creata ſuppoſitata potuerit uniri hypoſtatice Verbo, vel alteri perſonæ divinæ. 2. An duæ, vel plures humanitates completæ, & ſingulares poſſint hypoſtatice uniri eidem perſonæ divinæ? Ut autem hæc melius capiantur, iuvabit videre in metaphyſica, quę diximus de ſubſiſtentia, & perſonalitate: quid importet ſupra naturam ſingularem, completam, & in quo conſiſtat?

CONCLUSIO I.

N*Atura perſonata perſonalitate creata non potuit uniri hypoſtatice Verbo, vel alteri perſonæ divinæ, ſaltem retenta propria illa perſonalitate.*

Prob. ex Scoto, (1) *quia cum ſit contradictio, naturam actualiter dependere ad perſonam extrinſecam, & non dependere; naturam autem aliquam aſſumi, eſt, ipſam actualiter dependere hac dependentia ſpeciali, contradictio eſt, ipſam aſſumi, & habere perſonalitatem propriam*, &c.

Prob. 2. ex eodem. Implicat aliquam naturam dependere, & non dependere a ſuppoſito alieno; ſed illa

(1) 3. d. 5. q. 2. C. n. 4.

illa natura, quę uniretur Verbo hypoſtatice cum propria ſua perſonalitate creata, dependeret, & non dependeret a ſuppoſito alieno; ergo talis unio implicat contradictionem. Prob.min.1. dependeret a ſuppoſito Verbi: nam illi uniretur hypoſtatice; quod nihil eſt aliud, quam ſic dependere. 2. non dependeret, quia ex Metaphyſica ſubſiſtere, ſeu perſonari, eſt exiſtere incommunicabiliter, & per ſe, ſeu independenter ab alieno ſuppoſito; ſed illa humanitas eſſet ita de ſe perſonata; ergo non dependeret, nec dependere poſſet a ſuppoſito Verbi. Min. ſupponitur; maj. prob. ex definitione perſonæ; eſt enim naturæ intellectualis incommunicabilis exiſtentia; ergo perſonari per propriam ſuam perſonalitatem eſt exiſtere per ſe, & independenter ab alieno ſuppoſito, & quidem in ratione ſuppoſitantis, ſeu terminantis illam dependentiam. Denique ſubſiſtere eſt in ſe ſiſtere ſine alio; eſt ultimo terminari ſubſtantialiter, & perſonari a Verbo & in Verbo, & per Verbum ſubſiſtere, & ultimo terminari, non autem in ſe, nec per ſe; ergo implicat humanitatem aliquam in ſe ipſa perſonari per propriam perſonalitatem, & perſonari, ſeu ſubſiſtere in Verbo, ſeu per Verbum.

Dices: Scotus ipſe non putat hoc argumentum valere in illorum ſententia, qui tenent, ſubſiſtentiam conſiſtere in formalitate, ſeu in modo poſitivo, ut Thomiſtæ plurimi, & Neoterici; ergo non convincit in omni ſententia.

Contra: nam etiam illi, qui tenent ſubſiſtentiam eſſe quid poſitivum, non negant, quin ille modus importet eaſdem negationes communicabilitatis, & dependentiæ, in quibus nos ponimus totam ejus eſſentiam; ergo idem argumentum valet in omni ſchola; nam omnes volunt, quod ſubſiſtere eſt in ſe ſiſtere, & non ad aliud pendere, vel tendere.

Certe, in ſententia noſtra de negatione, multo efficacior, & clarior eſt implicantia, nam petitur ex formali ratione ſubſiſtentię creatæ: apud alios vero petitur ex proprietate modi poſitivi, in quo ponunt ſuam ſubſiſtentiam, & ut monet Scotus, videant illi, quomodo ſalvent illam impoſſibilitatem, quam nobiſcum admittunt.

Prob.2. Nam ſi humanitas fuiſſet aſſūptibilis cum pro-

propria perſonalitate, de facto ſic fuiſſet aſſumpta; id enim convenientius fuiſſet, quam illam ſumere ſpoliatam ulla ſua proprietate; & de facto Verbum in homine aſſumpſit omne id, quod decuit; ſed conſ. eſt falſum in fide, qua docemur contra Neſtorium unicam in Chriſto eſſe perſonam, & humanitatem in ſolo Verbo ſubſiſtere; ergo &c.

Confir. nam ſi hoc fieri poſſet, non habuiſſent Patres tantum fundamentum damnandi Neſtorium, qui duas in Chriſto perſonas aſſerebat.

Dixi in concl. *ſaltem retenta illa propria perſonalitate*. Non enim video implicantiam, quin potuiſſet, aut poſſet Deus velle hominem jam in ſe ſubſiſtentem, & perſonatum uniri alicui perſonæ divinæ, amittendo propriam perſonalitatem, quam habet; & ita potuiſſet fieri in Chriſto. Ratio eſt, quia non minus eſt poſſibile Deo ſpoliare naturam perſonalitate, quam habet, quam impedire, ne habeat, quando producitur completa in omni ſubſtantiali, & ſpecifica, & ſingulari integritate; ſed iſtud potuit impedire, & de facto impedivit; ergo & illud facere potuiſſet, ſc. ſeparare ſubſiſtentiam creatam a natura jam perſonata.

Objic. 1. Omnis creatura eſt in potentia obedientiali abſoluta, & omnimoda ad Deum; ſed humanitas cum ſua perſonalitate eſt creatura; ergo eſt in illa obedientia; ergo Deus poteſt velle, ut humanitas aliqua cum ſua perſonalitate uniatur perſonæ divinæ, & per utramque ſubſiſtat.

Reſp. diſt. maj. In his, quæ non implicant contradictionem, con. in his, quæ ſic implicant, neg. maj. & conſ. nam hæc unio implicat contradictionem, ut patet, & ſicut implicat eſſe hominem, & non rationalem, vel riſibilem, ita implicat ſubſiſtere, & non ſubſiſtere in Verbo in ratione ſuppoſitantis.

Objic. 2. Non magis implicat perſonam ſic uniri Verbo, quam naturam non perſonatam; ſed iſta poteſt ſic uniri; ergo & illa. Prob. maj. tam perſona debet poſſe curari, quam natura; ſed hæc debet poſſe aſſumi, ut curetur; ergo & perſona.

Reſp. neg. 1. maj. & 2. min. Nam, ut dictum eſt, unio naturæ, ſeu incarnatio non fuit neceſſaria ad redemptionem abſolute, & ſimpliciter, ſed tantum

ſecun-

ſecundum quid. Et ſi natura non potuiſset curari, niſi fuiſſet unita cum ſua perſonalitate, non potuiſset curari. Sed re vera cum perſonalitas ſit pura negatio, & non ens; ita & in ſe non eſt curabilis, ſed in natura, cujus eſt.

Objic. 3. Non implicat unio hypoſtatica unius perſonæ humanæ, ſeu unius hominis cum alio; ergo nec unius perſonæ humanæ cum Verbo.

Reſp. neg. ant. vel ſic diſt. unius hominis cum alio, unione morali, quæ non faciat, ut ſint unus realiter, & phyſice homo, con. unione reali, & phyſica, quæ faciat, ut ſint una realiter perſona, neg. ant. Neſtorius negabat unionem moralem in Chriſto, quæ non impediret dualitatem phyſicam perſonarum hominis, & Verbi; ſed tam ipſe, quam nos, negaſset unionem; qua fieret unica phyſice perſona ex duabus perſonis.

Objic. denique. Verbum aſsumpſit humanitatem eſsentialiter completam,& ſingularem: ergo & perſonatam. Prob. conſ. Nam talis natura per ſingularitatem fiebat incommunicabilis; ergo & perſonata.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. Incommunicabilis pluribus inferioribus naturis, quarũ quælibet ſit ipſa, con. incommunicabilis alteri, ut ſuppoſito, per quod ſubſiſtat, & ultimate compleatur, ſeu terminetur, neg. ant. primam incommunicabilitatem natura ſpecifica accipit ab individuatione, ſecundam a perſonalitate propria, vel aliena, & talem habet humanitas Chriſti a Verbo, quam non habet a ſe.

CONCLUSIO II.

H*Umanitas poſset uniri tribus perſonis divinis mediante ſubſiſtentia abſoluta.* Eſt Scotiſtarum, & Thomiſtarum.

Prob. ex Scoto. [1] *Poteſt intelligi primus terminus iſtius unionis eſſe perſona, aut eſsentia ſubſiſtens communis tribus. Primo modo non videtur, quod una natura poſſit ſimul aſsumi a tribus perſonis &c. Si vero intelligatur 2. modo, quod primus terminus unionis ſit ipſa natura in tribus per ſe ſubſiſtens, videtur poſſibile, quod una natura aſsumatur a tribus, quaſi mediante una eſsentia exiſtente in tribus.* Suppono autem ex tra-

[1] 3.*d*.1.*q*.2.*A*. & *B*.*n*.6 & 7.

tractatu de Trinitate, dari talem ſubſiſtentiam abſolutam, & tres relativas.

Prob. 2. ex eodem. Nam in hoc nulla apparet repugnantia; ergo non debet dici impoſſibile. Prob. ant. 1. ſolutione objectionum. 2. quia eſſentia ita ſubſiſtens eſt in ſe omnino independens, & infinita; ergo nihil impedit, quin poſſit terminare dependentiam alterius naturæ finitæ, æque ac ulla alia perſona divina; nec ulla ratio diſparitatis afferri poteſt.

Confir. Nam ſi perſona aliqua, *v. g.* Verbum, poteſt complere, & ultimo terminare talem dependentiam naturæ; ergo a fortiori poterit eſſentia per ſubſiſtentiam abſolutam. Prob. conſ. nam eſſentia ſic ſubſiſtens eſt in ſe abſolutiſſime infinita; ſubſiſtentia autem relativa, ſeu perſona de ſe formaliter, & præciſe ab eſſentia non eſt quanta poſitive; ergo illa multo magis poteſt perficere, & ultimo complere naturam aliquam creatam, quam perſona ulla divina.

Loquor autem de poſſibili; nam de facto diximus ſupra, quod unio iſta terminatur ad ſolam ſubſiſtentiam relativam Verbi; alioqui Verbum non potius diceretur unitum, quam Pater, aut Spiritus ſanctus.

Prob. 2. p. 1. ex D. Anſelmo. (1) *Plures perſonæ nequeunt unum, eumdemque hominem aſſumere in unitatem perſonæ; quare in una perſona tantum hoc fieri neceſse eſt*; & alibi: *Filio incarnato non eſt neceſse alias quoque perſonas incarnari, ſed impoſſibile*: ergo ex Anſelmo, non poteſt natura creata immediata uniri tribus perſonis divinis.

Prob. 2. ex Scoto. (2) Non poteſt idem effectus pendere a duabus cauſis totalibus, & adæquatis; ergo nec eadem natura a tribus perſonis divinis, ita ut a ſingulis non aliter, nec plus dependeret, quam ab unica, & ſicut jam de facto dependet; terminatur a Verbo. ant. ſupponitur probatum ex phyſica. Prob. conſ. nam ſingulæ perſonæ complerent, & terminarent dependentiam naturæ illius non plus, nec minus, quam unica, v. g. Verbum; ſed unica, ſeu Verbum terminat totaliter dependentiam humanitatis, ergo ita eſſet de pluribus; & ſic dependentia, unio, & relatio

[1] 2. *cur. Deus ho. c. 9. Incar. c. 4.*
(2) *Ibid.*

tio illa dependeret a pluribus terminis, ſeu cauſis totalibus, & adæquatis.

Prob. 3. Nam ſi humanitas poſſet immediate uniri tribus perſonis, poſſet etiam uniri Verbo cum ſua propria perſonalitate; ſed hoc implicat, ut probatum eſt; ergo & illud. Prob. maj. nam ideo non poteſt aſſumi cum propria perſonalitate, quia per iſtam eſſet, & non eſſet de ſe perſonata; eſſet, & non eſſet incommunicabilis; ſed idem eſſet in caſu immediatæ unionis cum tribus; ergo &c. Prob. min. nam ut perſonata eſt unita, & uni deberet fieri incommunicabilis, & ut unita aliis eſſet illis communicabilis, & communicata; ergo eſſet, & non eſſet perſonata per illas.

Objic. 1. contra 1.p. rationes, quibus impugnatur ſubſiſtentia abſoluta, & communis in eſſentia, & diſtincta formaliter a relativis: ſed ſolutæ ſunt in tract. cit. de Trinit. nec placet repetere.

Objic. 2. ex Scoto.[1] Ideo hæc unio terminatur ad perſonam, & non ad eſſentiam, quia illa eſt incommunicabilis, non iſta; ergo natura creata non poteſt ſic uniri eſſentiæ divinæ per ſubſiſtentiam abſolutam.

Reſp. neg. conſ. quia Scotus hoc dicit, non ut probet impoſſibilitatem talis unionis, ſed tantum ut neget id ita factum; quia ſic non potius diceretur Verbum eſſe incarnatum, quam Patrem, aut Spiritum S.

Inſt. ex eodem, [2] humanitas non poteſt exiſtere per exiſtentiam Verbi; ergo nec ſubſiſtere per ſubſiſtentiam abſolutam, ſeu eſſentialem. Prob. conſ. nam iſta ſubſiſtentia non diſtinguitur ab exiſtentia; ergo humanitas non poſſet ſubſiſtere per ſubſiſtentiam abſolutam, quin exiſteret per exiſtentiam abſolutam eſſentiæ divinæ.

Reſp. neg. conſ. utramque, quia natura præſupponitur exiſtere per propriam exiſtentiam, quando aſſumitur, & unitur; non enim poteſt uniri, quod non eſt; ſeu prius eſt eſſe, quam uniri. Hæc etiam ſubſiſtentia dat ſupra exiſtentiam quandam independentiam, ut per ſe exiſtentiam independentem ab omni complemento extra ſe, & a ſe realiter diſtincto, quales non ſunt perſonæ tres, in quibus ſubſiſtit relative.

Objic. 3. Concilia, & Patres non agnoſcunt aliam unio-

[1] 3.*d*.1.*q*.1. [2] *d*.6.*q*.1.

unionem creaturæ cum Deo, quam in eſſentia, vel perſona; ſed unio ad ſubſiſtentiam abſolutam ad neutram pertinet; ergo iſta non placet Eccleſiæ: min. patet; nam hæc unio terminaretur ad ſubſiſtentiam abſolutam, ut diſtinctam formaliter ab eſſentia, & perſonis. prob. maj. nam in Conc. Tolet. 1. dicitur, *Solus filius formam ſervi accepit in ſingularitate perſonæ, non in unitate divinæ naturæ; in id, quod proprium eſt filio, non quod commune Trinitati*. Et S. Anſelmus dicit, *Verbum non aſſumpſiſſe hominem in unitatem naturæ, ſed in unitatem perſonæ*; ergo non niſi duas uniones agnoſcunt.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam ex eo, quod non loquantur niſi de illis duabus unionibus, de quibus agebatur, non ſequitur, quin aliæ ſint poſſibiles, de quibus coram eis non erat quæſtio; agebant cum Eutychianis, qui volebant unionem eſſe factam in natura, ut diximus, & cum Neſtorianis, qui negabant unionem in perſona.

Inſt. ex tali unione reſultaret unitas naturæ, vel perſonæ; ſed neutrum dici poteſt; ergo non eſt poſſibilis unio in illa ſubſiſtentia abſoluta; maj. patet; nam illud compoſitum eſſet quid unum ſingulare, & per conſequens unum in natura, vel in perſona. Prob. min. 1. non in natura, quia ex natura divina, & humana non poteſt fieri unica. 2. non in perſona, quia in extremis unitis non eſſet formaliter ulla perſonalitas.

Reſp. neg. maj. & diſt. rationem ejus; eſſet quid unum in ratione naturarum, quarum una dependeret, & terminaretur per aliam, con. in ratione unius ſuppoſiti, ſeu perſonæ, neg. ant. nam nihil aliud inde reſultat, quam unio, & communicatio quædam duarum naturarum ſive compoſitione, quatenus natura divina per illam ſubſiſtentiam abſolutam terminaret dependentiam, & unionem, ratione cujus non egeret compleri, & terminari per quidquam aliud extra illam, quia illa mediante ſubſiſteret, & perſonaretur per unam ex perſonis divinis ipſi realiter identificatis; ſicut eſſentia ipſa divina per ſubſiſtentiam abſolutam ſic completur in ſe, ut non egeat ullo complemento extra ſe; nec per quidquam realiter a ſe diſtinctum.

Inſt.

Inſt.2. quia unio hypoſtatica facta eſt in perſona, ex ipſa reſultat unitas perſonæ in duabus naturis; ergo deberet reſultare unitas naturæ ex iſta unione, quia fieret in naturis, ſeu de natura humana ad divinam.

Reſp. diſt. conſ. Unitas naturæ immediata, & quoad ſubſiſtentiam abſolutam, qualis eſt poſſibilis, con. unitas ſuppoſiti, vel compoſitionis, vel confuſionis, vel converſionis unius in aliam, neg. conſ. quia hæc non eſt poſſibilis inter illas naturas. Reſultaret ergo unitas ſubſiſtentiæ naturalis, qua fieret, ut utraque natura non egeret ſubſiſtere, & compleri per quidquam extraneum eſſentiæ divinæ,& illi ſubſiſtentiæ abſolutæ, in qua immediate fieret illa unio, ſed iſta ſubſiſtentia mediante natura utraque perſonaretur ultimo per perſonam divinam, ad quam eadem unio terminaretur, & ultimate.

Igitur talis unio non eſſet immediate hypoſtatica, ſed quaſi naturalis, quatenus fieret immediate inter naturas; ſed mediate eſſet hypoſtatica, quia ultimate, & mediante natura, & ſubſiſtentia abſoluta naturæ divinæ terminaretur ad unam perſonam divinam; quandoquidem humana non poſſet perſonari per omnes tres, ſicut divina, ut dictum eſt, & magis dicetur.

Objic.4. Humanitas cum illa unione ad ſubſiſtentiam abſolutam haberet propriam perſonalitatem; ſed per nos hoc eſt impoſſibile; ergo & illud. Prob. maj. nam iſta unio non faceret, ut humanitas eſſet perſonata, ſeu exiſtens incommunicabiliter, ſeu illi non conferret totum, quod habere debet a propria perſonalitate: ergo non impediret reſultantiam hujus hypoſtaſis in humanitate.

Reſp.neg.maj. & diſt.ant. prob. non faceret, ut eſſet perſonata immediate, con.mediate, neg. ant. & conſ. Nam, ut dicebamus, hoc ipſo, quod per hanc unionem humanitas dependeret immediate ad ſubſiſtentiam communem, hæc dependentia terminaretur mediate ad unam perſonam,per quam ſuppleretur totum officium propriæ hypoſtaſis.

Inſt. ergo ultimo perſonaretur, & uniretur tribus perſonis divinis æque primo, & æque mediate; ſed hoc eſt cõtra nos: ergo,&c.prob.maj.quia tres perſonę æque

æque primo identificantur eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ abſolutæ, & non eſſet potior ratio de una, quam de alia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. ſeu ſubſ. & conſ. prob. Nam vel delectus, & determinatio perſonæ ſic uniendæ penderet a voluntate Dei, quæ libere agit ad extra; vel quia datur ordo originis inter illas perſonas, uniretur primæ, vel tertiæ, & ubi ſemel eſſet unita uni, fieret per illam incommunicabilis aliis.

Objic. 5. Hæc ſubſiſtentia eſſet perfectio in Deo; quia omnis entitas abſoluta, & poſitiva in Deo eſt perfectio; ſed nulla perfectio abſoluta Dei poteſt ſic uniri creaturæ, vel terminare immediate ejus unionem; ergo nec illa: prob. min. alioqui enim idem diceretur poſſibile de ſapientia, potentia, &c. ſed hęc non ſunt ſic unibilia, nec communicabilia; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ma. prob. & ratio eſt, quia Dei perfectiones attributales, ut ſapientia &c. communicantur creaturis non per modum termini ſuſtentantis, ſed per modum qualitatum, ſeu formarum; & hæc communicatio, & unio repugnant entitatibus divinis, & infinitis.

Objic. denique. Quod eſt communicabile, non poteſt terminare, & ſuſtentare naturam nec propriam, nec alienam; ſed ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ *Dei* non eſt incommunicabilis; nam communicatur tribus perſonis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. communicabile alteri diſtincto, ut ab eo perficiatur, & compleatur, con. alicui diſtincto, quod compleat, neg. maj. & conſ. hæc ſubſiſtentia, ut ſæpius dixi, eſt incommunicabilis omni entitati creatæ, & diſtinctæ realiter ab eſſentia, & non communicatur rebus extraneis, niſi ut terminet, & compleat eas.

Inſt. Si terminaret, & compleret humanitatem illam, non poſſet ulterius communicari, ſuſtentari, & perſonari: ſed conſ. eſt falſum, & contra nos, nam perſonatur per unionem ulteriorem ad perſonas; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Si terminaret ultimate, con. ſi non ultimate, neg. maj. & min. ultimata enim terminatio pertinet ad perſonas.

CON-

CONCLUSIO III.

H*Umanitas, ſeu natura creata non poteſt uniri immediate tribus perſonis divinis.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] ubi ait: *Non videtur, quod una natura poſſit ſimul uniri tribus perſonis;* loquitur de divinis.

Prob. 2. ex Anſelmo: [2] *Plures perſonæ nequeunt unum, eumdemque hominem aſſumere in unitatem perſonæ; quare ex una perſona tantum hoc fieri neceſſe eſt;* & alibi dicit: [3] *Filio incarnato non eſt neceſſe alias quoque perſonas incarnari, ſed impoſſibile.* Quid clarius?

Prob. 3. cum Doctore; non poteſt idem effectus pendere a duabus cauſis totalibus, ut patet ex phyſica; ergo nec natura uniri, & pendere a pluribus perſonis, a quibus ſingulis totaliter ſuſtentetur: ſed ſi natura immediate uniretur tribus perſonis divinis, penderet ſimul a tribus perſonis, a quibus ſingulis ultimo terminaretur, & ſuſtentaretur; ergo talis unio eſt impoſſibilis. Prob. ſubſumpt. ſingulæ perſonæ darent illi naturæ eſſe perſonale, ſeu exiſtere incommunicabiliter; ſed talis perſonalitas, ſeu talis exiſtentia eſt effectus totalis unionis hypoſtaticæ; ergo ſingulæ perſonæ totaliter ſuſtentarent, & ultimo complerent illam naturam. maj. patet ex metaphyſica, nam totus effectus perſonalitatis eſt ultimo complere, & terminare naturam, & dare illi exiſtentiam incommunicabilem. Prob. etiam min. nam unio perſonalis, ſeu hypoſtatica nihil aliud præſtat, nec plus, aut minus præſtare poteſt, quam perſonare, ſeu ultimo terminare, alioqui non eſſet hypoſtatica, nec perſonalis.

Hinc evaneſcit illorum effugium, qui putant tres perſonas illas poſſe attemperare ſuum concurſum ad ſuſtentationem, ita ut nulla ſit cauſa, ſeu terminus totalis ſuæ ſuſtentationis: nam ſi ſingulæ non perſonent totaliter, & ultimate, nulla dici poterit vere, & formaliter perſonare; quia formalis perſonatio conſiſtit in ultima terminatione, qua natura redditur prorſus incommunicabilis.

Prob. 3. ex eodem, nam unibilitas hypoſtatica pluribus

[1] *Ibid.* [2] *lib. cur. Deus ho. c. 9.* [3] *de Incar. c. 4.*

tribus perſonis ſimul arguit infinitatem; ergo non poteſt competere naturæ creatæ, ex dictis de Trinitate; nam ex eo, quod eadem eſſentia divina ſine ſui multiplicatione, aut diviſione ſit perfecte una in tribus perſonis, arguitur ejus infinitas; ſed idem fieret de illa natura creata, ſi uniretur, & eſſet ſimul in iiſdem tribus perſonis; ergo &c.

Confirm. Nam ſi una forma poſſet ſimul informare, & perficere plures materias, argueretur infinitas ejus, quia ſicut poſſet perficere duas, vel 20. aut centum, ita & infinitas; ergo idem, & eodem modo diceretur de illa natura, ſi poſſet uniri pluribus perſonis; natura enim ſe habet ut forma in ſuppoſito.

Prob.4. Natura creata non poteſt uniri perſonæ divinæ retenta propria perſonalitate, ut patet ex 1.concl. ergo neque pluribus perſonis. Prob. conſ. quia per unionem ad Verbum natura humana Chriſti non minus terminatur, & completur ultimate, & incommunicabiliter, quam fieret per propriam ſubſiſtentiam creatam: ſed iſte effectus incommunicabilitatis reddit impoſſibilem unionem hypoſtaticam perſonæ creatæ cum divina; ergo idem eſſet, & quidem a fortiori, hoc ipſo quod perſonaretur a Verbo, ſc. non poſſet ulterius communicari, & perſonari a Patre, vel Spiritu S.

Nec dicas diſparitatem eſſe, quia perſonalitas creata negat perſonalitatem in alio, non autem perſonalitas Verbi, quæ jam eſt in alio; nam hoc gratis, & fruſtra omnino dicitur: quia natura non minus eſt perſonata per unionem ad Verbum, quam per unionem ad ſuam perſonalitatem creatam; ergo non minus ultimo completur, & terminatur incommunicabiliter per ſubſiſtentiam Verbi, quam per propriam. Nam effectus, ſeu ratio formalis perſonationis eſt illa ultima terminatio; ita ut, ſicut propria perſonatio facit, ut natura incommunicabiliter ſubſiſtat in ſe, ita perſonalitas Verbi vel in quovis alio facit, ut incommunicabiliter ſubſiſtat in illo.

Objic. 1. Perſonæ divinæ non ſe excludunt ab eadem eſſentia increata; ergo nec ſe excluderent ab eadem creata; ergo poſſent eam aſſumere; eſt enim par ratio.

Reſp. neg. conſ. & paritatem; nam 1. natura divina

eſt

eſt infinita, & ſic communicari poteſt pluribus perſonis ſine ſui diviſione; non ſic humana, quæ eſt finita. 2. Divina non diſtinguitur realiter ab illis perſonis; humana diſtinguitur realiter tum a Verbo, tum a propria ſubſiſtentia. 3. divina per ſe ſubſiſtit, & potius communicat ſuum eſſe perſonis, quam ab eis recipiat; non ita eſt de humana reſpectu Verbi, a quo dependet in ſubſiſtendo, & operando.

Objic. 2. Humanitas indifferens eſt ad unionem cum quacumque perſonarum; ergo poteſt uniri tribus tam ſimul, quam diviſive. Prob. conſ. nam poteſt Deus eam applicare ſimul tribus, & nolle eam conſervare ſine unione, & dependentia ad omnes ſimul; & in illo caſu non eſſet potior ratio, cur uniretur, & dependeret ab una, quam ab alia, ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. nam Deus velle non poteſt objectum impoſſibile, qualis eſt illa applicatio, & unio propter rationes implicantiæ allatas.

Inſt. Unio naturæ ad unam non tolleret potentiam obedientialem ad alias; ergo poſſet obedire, & uniri omnibus. Probat. conſ. per potentiam obedientialem poterat uniri Patri, ſicut unita eſt filio; at per unionem filii non tollitur illa potentia ad Patrem; ergo &c. Prob. min. nam unio hypoſtatica nihil aufert, vel mutat de intrinſecis eſſentialibus in natura aſſumpta; ſed illa potentia obedientialis eſt intrinſeca, & eſſentialis, ſicut ratio naturæ; ergo &c.

Reſp. diſt. 1. ant. & maj. prob. ad alias in ſenſu diviſo, ſeu ad alias habendas diviſive, conc. ſimul, & copulative, neg. ant. & maj. nam quia natura creata eſt eſſentialiter finita, non eſt in potentia obedientiali ad plures uniones perſonarum ſimul, & copulative habendarum, potentia vero ad illas habendas diviſive ſemper remanet.

Inſt. 2. Illa incommunicabilitas perſonalitatis eſt de ratione perſonæ ut ſic, vel perſonæ tantum creatæ: non 1. alioquin eſſentia divina in perſona Patris non communicaretur filio, ſeu perſonæ filii, quod falſum eſt, & hæreticum; non 2. alioqui perſonalitas Verbi, quæ eſt divina, non impediret communicationem, & unionem cum perſona Patris, & Spiritus ſancti; ergo nihil implicat eandem naturam uniri tribus perſonis.

Reſp. eſse de ratione perſonæ, ut ſic; & neg. primam prob. nam, ut diximus, eſsentia divina, cum ſit infinita, poteſt communicari pluribus perſonis ſine ſui diviſione; & hoc non ratione perſonalitatis, ſed infinitatis ſuæ; quod dici non poteſt de natura creata, & finita; ſic incommunicabilitas communis eſt perſonæ creatæ, & increatæ, quantum eſt de ratione perſonæ.

Objic. 3. Si repugnaret, plures perſonas ſimul terminare unionem unius naturæ, id veniret vel ex ipſa natura, vel ex ipſis perſonis: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ex ipſa natura; hoc enim eſt illi indifferens terminari ab una, vel a pluribus, ut patet in natura divina; & natura creata ſemper eſt in potentia obedientiali ad Dei voluntatem. 2. non ex perſonis; quia perſonæ divinæ non ſibi repugnant in eadem eſsentia.

Reſp. neg. min. totam; nam repugnat utrinque. 1. ex natura creata propter ſuam finitatem, ratione cujus ſufficienter terminatur per unam perſonalitatem. 2. ex parte perſonæ, quæ ex ſua formalitate, ſeu ratione formali importat incommunicabilitatem totalem, & ultimatam terminationem naturæ ſingularis completæ.

Objic. 4. Idem numero accidens poteſt poni in pluribus ſubjectis, & idem corpus in pluribus locis, & plura corpora in eodem loco, &c. ergo & eadem natura in pluribus perſonis. ant. patet ex phyſica; conſ. vero prob. quia non eſt major ratio, & difficultas in perſonatione, quam in ſubjectatione, vel locatione.

Reſp. neg. conſ. & ratio diſparitatis eſt, quia accidens eſt in pluribus ſubjectis, & corpus in pluribus locis vel inadæquatis, ſicut anima in pluribus corporis partibus; vel ſubjectis, & locis adæquatis per replicationem formæ, aut corporis; & ſic in illis caſibus non currit implicantia dependentiæ unius rei a pluribus cauſis totalibus, & adæquatis, ut diximus in phyſica; nam ſic locatum, & accidens eſt virtualiter, ſeu æquivalenter multiplex quoad præſentias, quarum una non excludit aliam.

CON-

CONCLUSIO IV.

N*Onimplicat plures naturas creatas uniri hypoſtatice eidem perſonæ divinæ*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nam cum aliqua natura poſſit habere dependentiam ejuſdem rationis cum iſta, & etiam cum iſta; quia non eſt repugnantia reſpectu naturarum; actualis enim dependentia unius naturæ non repugnat dependentiæ alterius naturæ; nec eſt repugnantia ex parte Verbi; quia per hoc non ponerentur in eo, niſi plures relationes rationis, vel nulla relatio rationis; ſed tantum, quod terminet plures relationes ad ipſum ..... nulla eſt igitur cauſa impoſſibilitatis, vel incompoſſibilitatis aſſumptionis alterius naturæ, etiam iſta natura manente unita.*

Prob. 2. ex eodem; nam hoc non repugnat, nec ex parte Verbi, nec ex parte naturarum: ergo &c. Prob. ant. 1. non ex parte Verbi; quia unio hypoſtatica naturæ ad Verbum non dicit in eo, niſi puram terminationem relationis dependentiæ; ſed eadem perſona poteſt eſse terminus plurium relationum ejuſdem, vel diverſi generis; ergo a fortiori Verbum Divinum poterit terminare plures uniones hypoſtaticas: maj. patet ex dictis; min. prob. nam Deus, & tres perſonæ divinæ terminant infinitas relationes creaturarum: ergo &c. 2. non ex parte naturarum; nam omnes naturæ creatæ ſunt æqualiter in potentia obedientiali, & unius dependentia, & potentia non excludit aliam; ergo æque ſunt unibiles Verbo, & quidem ſimul.

Confir. Nulla enim poteſt aſſignari repugnantia, ſeu implicantia ex alterutra parte; ut patebit ſolutione objectionum; ergo &c.

Objic. 1. Si Verbum aſsumeret duas, aut plures humanitates, eſset, & non eſset duo homines; ſed conſ. implicat contradictionem; ergo &c. Prob. maj. 1. haberet plures humanitates; ergo eſset plures homines. 2. eſset unica perſona: ergo non eſset plures homines.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. quoad 2. p. nam eſset eadem perſona, idem ſuppoſitum in pluribus naturis; eſset unus homo in pluribus humanitatibus, ſic

[1] 3.*d*.1.*q*.3.*A*.*n*.2.

ut eſt unus Deus in tribus perſonis. Igitur Verbum in hoc caſu non diceretur nec unus, nec duo homines, ſed unum ſuppoſitum in duabus, vel pluribus humanitatibus; ſicut Chriſtus dicitur de facto una perſona in natura divina, & humana, & homo Deus. Generaliter autem juxta regulas bonæ Logices, concreta accidentalia enuntiantur pluraliter, aut ſingulariter ſecundum pluralitatem, aut ſingularitatem ſubjectorum; quia ſubjecta in illis principaliter, & directe importantur; at in concretis ſubſtantivis attenditur unitas, vel pluralitas tam ſubjecti, quam formæ, quia per illa importatur directe, & principaliter utrumque. Ita in propoſito, quia humanitas ſola multiplicatur, non vero ſuppoſitum, illud compoſitum non poſſet dici duo homines, ſed unus homo; imo eo magis quia in hac propoſitione, *homo*, dicitur quaſi adjective, & eo minus deberet prædicari pluraliter propter unitatem ſuppoſiti.

Objic. 2. Si hoc eſset poſſibile de duabus naturis ejuſdem ſpeciei, eſset etiam poſſibile de duabus diverſæ ſpeciei, verbi gratia de igne, & aqua; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Prob. min. nam ſic calor, & frigus in ſummo eſſent ſimul, & de ſe mutuo prædicarentur: ſicut dicitur in Chriſto, *homo eſt Deus*, & *Deus eſt homo*; ſed hæc ſunt contraria, & incompatibilia; ergo &c.

Reſp. neg. min. utramque, vel diſt. 2 ſunt contraria, & incompatibilia in eodem ſubjecto, & quidem naturaliter, con. in eodem ſuppoſito, neg. min. & conſ. nam illa unio, & ſimultas inter ignem, & aquam in eodem ſuppoſito non magis repugnat, nec majorem habet contrarietatem, quam Deitas, & humanitas, quæ infinite diſtant quoad eſſentiam, & uniuntur in Chriſto.

Objic. 3. Si Verbum ſumeret duas humanitates, eſſent ibi duo individua; ergo & duo homines dicendi eſſent: patet ant. nam illæ eſſent ſingulares, & completæ ſolo numero differentes: prob. conſ. concretum, & abſtractum formaliter ſunt idem ex Scoto; ſed ibi eſſent duo concreta individua; ergo & duo homines.

Reſp. neg. conſ. & min. prob. Nam licet ibi eſſent duæ humanitates, non tamen duo individua concre-

ta, ſed unum; quia eſset unum ſuppoſitum habens duas humanitates.

QUÆSTIO XI.

Utrum natura creata poſſit uniri hypoſtatice alteri ſuppoſito creato.

Alii communiter proponunt ſic quæſtionem: Utrum ſuppoſitum creatum poſſit aſſumere, ſeu ſuſtentare aliam naturam creatam, ſeu terminare ejus dependentiam; nobis autem perinde eſt, quomodo proponatur, modo ſenſus ſit idem; & hoc quæritur de potentia ordinaria, vel abſoluta: hujus autem quæſtionis utilitas eſt, ut melius intelligatur hoc myſterium, & quid præſtet hypoſtatica unio humanitatis cum Verbo.

CONCLUSIO.

Non implicat naturam creatam de potentia Dei abſoluta uniri hypoſtatice alteri ſuppoſito creato ipſam ſuſtentante formaliter, ſeu terminative.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui licet videatur problematicus, tamen in hanc partem magis inclinat, quia inquit, *ſi nulla ratio impoſſibilitatis inveniatur, quare ſuppoſitum creatum non poſſit ſuſtentare naturam extraneam; Deo tamen efficiente illam dependentiam in natura ſic unita, & ſuſtentata, & in ſuppoſito alterius naturæ, non videtur ponendum hoc eſſe impoſſibile*: ipſe autem ſolvit rationes impoſſibilitatis, quæ ab adverſariis opponuntur.

Prob. 3. Quia in hoc nulla apparet manifeſta repugnantia; ergo non debet negari potentiæ divinæ: ant. patebit ex objectionibus Suares, & Vaſques, qui fatentur difficile eſſe probare implicantiam.

Prob. 3. poſitive: nam 1. natura creata poteſt uniri hypoſtatice perſonæ divinæ; ergo & creatæ. Prob. conſ. nam perſona divina, & creata conveniunt in ratione perſonæ, & formaliter important incommunicabilitatem, *ut quo*. 2. quia non magis repugnat, ſuppoſitum creatum dependentiam alterius naturæ

[1] *d.1.q.4.C.n.4.*

creatæ terminare, & illam ſic complere, quam accidens per ſe ſubſiſtere ſine ſubjecto (quippe eſſentiale eſt accidenti inhærere) quam naturæ ſubſtantiali non exiſtere per ſe independenter ab alieno ſuppoſito; ſed non repugnat accidenti exiſtere per ſe ſine ſubjecto; ergo nec repugnat iſtam non ſubſiſtere per ſe, ſed exiſtere dependenter ab alieno ſuppoſito. Min. patet ex myſterio Euchariſtiæ, &c.

Objic. 1. Terminare dependentiam alterius naturæ per unionem hypoſtaticam, & eam ſuſtentare eſt perfectio in ſuppoſito ſuſtentante; ſed hæc perfectio repugnat ſuppoſito creato; ergo & hæc unio. Maj. ſupponitur certa; nam hæc ſuſtentatio humanitatis Chriſti dicit perfectionem in Verbo, & evidens eſt, quod complere, & perficere naturam alienam, eſt perfectio in perficiente. Prob. min. quia ſubſiſtentia creata eſt finita, & ſi poſſet terminare plures naturas alienas, poſſet infinitas; ergo ipſamet eſſet infinita.

Reſp. neg. maj. abſolute, & rationem ejus: nam illa terminatio, & completio fit per nudam exhibitionem ſuppoſiti terminantis, quæ non eſt niſi laus, & gloria extrinſeca quædam, qualis eſt aliquo modo in objecto viſibili terminante viſionem. Aliud eſt de unione cum Verbo, cujus dignitas divina infinite dignificat actiones Chriſti; extrinſece tamen, quantum eſt ex ratione perſonalitatis, & præciſis aliis donis, & principiis intrinſecis operum ejus, ut videbimus.

Objic. 2. Suſtentare, & complere naturam alienam, eſt virtutis infinitæ; ergo id ſoli perſonæ divinæ tribui poteſt; quia illæ ſolæ ſunt infinitæ.

Reſp. neg. ant. ut patet ex præcedenti reſponſione; falſa eſt etiam ratio conſequentis, ut patet ex tract. de Trinit. ubi dictum eſt, perſonalitates divinas formaliter, & præciſe ab eſſentia non eſſe quantas.

Objic. 3. Suppoſitum creatum deberet elevari ſupernaturaliter ad talem terminationem; ſed talis elevatio implicat; ergo &c. maj. patet; quia de ſe id non poteſt naturaliter. Prob. min. nam Deus non poſſet elevare ſuppoſitum illud, niſi ſupplendo defectum ejus naturalem in genere cauſæ materialis, aut formalis; talis enim terminatio non fit in alio genere cauſæ; ſed Deus per ſe non poteſt ſupplere tales cau-

ſas.

ſas; ergo nec ſic elevare ſuppoſitum creatum.

Reſp. neg. 1. & 2. maj. quia totum miraculum in hoc caſu conſiſtit in volitione, qua vellet impedire reſultantiam propriæ perſonalitatis in natura unienda, & iſtam uniri, & pendere ab illo ſuppoſito, & terminari per illud, ita ut hæc non poſſet exiſtere, nec agere niſi dependenter ab illo.

Objic.4. Modus non modificat, niſi rem, cujus eſt modus, nec negatio afficit niſi ſubjectum, ſeu fundamentum ſuum; ſed apud multos ſubſiſtentia eſt modus, & per nos eſt negatio; ergo non poteſt modificare, aut ſuſtentare naturam alienam.

Reſp. diſt. maj. per efficientiam intrinſecam, & poſitivam, conc. extrinſecè, & per nudam terminationem quaſi extrinſecam, neg. maj. & conſ. nam objectio ſupponit ſubſiſtentiam naturæ aſſumentis aliquid efficere in iſta præter nudam terminationem unionis, & dependentiæ, quod falſum eſt.

Inſt. Natura aſſumens, & ſuſtentans eſſet infinita, conſ. eſt abſurdum, & implicans ſecundum nos: nam implicat natura creata infinita; ergo &c. Prob. maj. Eò perfectior eſt natura, quò plures alias poteſt ſuſtentare, & complere. Sed iſta poſſet complere infinitas alias, ergo &c. Prob. min. nam ſicut poſſet duas ita & infinitas.

Reſp. neg. 1. & 2. maj. quia illa terminatio, ſeu completio nihil ponit, nec dicit virtutis in ſuppoſito terminante, ſeu ſuſtentante per modum termini, ut ſæpe dictum eſt, & ideo non eſt major perfectio in ſubſiſtentia terminante, & complente duas, aut centum naturas, quàm unam; quia nihil ad hoc requiritur virtutis, aut efficientiæ. Nec ipſa perſona Verbi formaliter, & præcisè ut terminans humanitatem Chriſti id facit ratione infinitæ virtutis, ſed ex præciſa ratione perſonalitatis, ſecundum quam nullam dicit perfectionem poſitivam diſtinctam ab eſſentiali, ut dicebamus.

Objic. 5. Illa unio non poſſet fieri, niſi per unionem intrinſecam naturæ ad aliud ſuppoſitum, vel per appoſitionem ejus extrinſecam, vel per illapſum ſuppoſiti in hanc naturam; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non per unionem intrinſecam: nam ipſum ſuppoſitum non eſt unibile naturæ alienæ,

cum tribuat incommunicabilitatem naturæ, in qua eſt. 2. non per appoſitionem extrinſecam: nam per illam non fieret ex illis duabus naturis unum per ſe, ſed unum per accidens. 3. non per illapſum, quia eſt proprius ſoli Deo, non autem naturæ ulli creatæ communicari poteſt; ergo &c.

Reſp. neg. maj. eſt enim inſufficiens enumeratio modorum, quibus fieret illa unio: nam, ut diximus, fieret per hoc, quòd Deus de potentia ſua abſoluta nollet unam naturam in ſe ſubſiſtere, impediendo reſultantiam propriæ perſonalitatis, & volendo, ut hæc dependeret in ſubſiſtendo ab alio ſuppoſito, quod eo ipſo terminaret illam unionem, & dependentiam. Ad hoc autem non intervenit nec intrinſeca unio, nec appoſitio, nec illapſus.

Objic. 6. Per nos ſubſiſtentia conſiſtit in duplici negatione communicabilitatis actualis, & aptitudinalis; ſed illà negatio non poteſt ſuſtentare aliam naturam; ergo &c. Prob. min. quia ſuſtentatio eſt quid reale, & poſitivum; ergo non poteſt eſſe à negatione.

Reſp. diſt. min. non poteſt ſuſtentare poſitivè, con. ultimo terminativè, ita ut illa duplex negatio ſit ultima conditio, & ratio, per quam natura aſſumens ſit capax ſuſtentandi, & complendi aliam, neg. min. & conſ. prob. in eodem ſenſu. Non enim dicimus, quòd ſubſiſtentia in abſtracto, & præcisè ſecundum ſe ſit terminus, *qui*, unionis hypoſtaticæ cum alieno ſuppoſito creato, ſed tantum terminus, *quo*, ſcilicet quatenus ultimò terminando naturam ſuam, & reddendo illam in ſe ſubſiſtentem, ita ut non indigeat ulteriùs communicari ad ſui complementum, ſit capax ſuſtentandi aliam naturam non ſic terminatam, ſed ex Dei providentia privatam propria ſua ſubſiſtentia, ut ab illo ſuppoſito dependeat in eſſe, & operari.

Inſt. 1. Per ſubſiſtentiam ſuam ſuppoſitum illud ſit potiùs incapax aliam ſuſtentandi; ergo &c. Prob. ant. per ſuã illam ſubſiſtentiam ſit incommunicabilis alteri naturæ; ergo & impotens ſuſtentandi aliam. Prob. conſ. non poteſt ſuſtentare aliam, niſi huic uniatur: ſed non poteſt huic uniri, niſi ceſſando eſſe incommunicabilis, & niſi per communicationem actualem; ergo vel ceſſat eſſe ſuppoſitum, vel non poteſt

ſuſtentare. Hic eſt modus apparentioris difficultatis in ſententia ponentium ſubſiſtentiam in negativo.

Reſp. nego 1. ant. & diſt. 2. ſit incommunicabilis naturæ alienæ, per quam perficiatur, aut à qua dependeat, con. quam compleat, & terminet, & quæ ab ipſa dependeat in eſſe, & operari, neg.ant.& conſ. & ſimiliter diſt. maj. & min.3. argum. niſi uniatur terminativè, & in ratione perfectivi, conc. maj. & neg. min. in ratione perfectibilis, & dependentis, neg. maj. & conſ. igitur quia natura aſſumens aliam eſt in ſe ultimo terminata, ideò non eget terminari; nec dependere poteſt ab alia, nec illi communicari indigentia complementi, ſed ſit apta complendi, & terminandi aliam cum ſua ſubſiſtentia, ſeu incommunicabilitate, quam ideò non amittit in illa unione, ſed conſervat, & per illam ſuſtentat aliam, quæ per privationem ſuæ ſubſiſtentiæ ſit unibilis, & indigens ſuſtentari ab illa: ecce, ni fallor, nodum ſatis clarè ſolutum ex mente Scoti, & ſuorum.

Objic. denique. Natura aſſumpta, & ſuppoſitum aſſumens, ſi eſſet poſſibile, deberet undequaque compenetrari, & ſi compenetrarentur tam ſpiritualiter, quàm corporaliter, non poſſent quidquam operari, ſaltem externè, ergo talis unio eſt impoſſibilis. Maj. patet; non enim unirentur in unitatem ſuppoſiti, niſi ſe undique tangerent; & ſibi per omnia intimè præſentes eſſent, & applicatæ; denique niſi eſſent penitùs, & per omnia compenetratæ; ſicut Verbum intimè pervadit totam humanitatem Chriſti. Min. autem prob. nam ut ſingulæ naturæ ſic unitæ poſſent agere, deberent eſſe ab invicem disjunctæ, maximè quoad facultates corporeas: alioqui ſe ſe mutuo impedirent; ergo &c.

Reſp. 1. neg. conſ. nam ſufficeret nobis poſſibilitas talis unionis, de qua diſputamus; ſive autem illæ naturæ ſic unitæ poſſent; aut non poſſent operari corporaliter, nihil ad nos quoad hoc punctum; ſicut corpus Chriſti in Euchariſtia nihil operatur corporaliter.

Reſp.2. neg.2. part. Nam Deus poſſet etiam facere per potentiam abſolutam, ut ambæ naturæ operarentur verbi gratia ſenſationes ſuas, & ſimul moverentur iiſdem motibus; ſicut ſi plura corpora beata

compenetrarentur in eodem loco.

Inſt. Si nihil poſſent agere, niſi miraculosè, f fruſtra eſſet illa unio, imò & violenta, ſi verò poſſent agere ſuas operationes, eſſent ſingulæ perſonatæ, & ſubſiſtentes propriis ſubſiſtentiis; ſed neutrum dici poteſt; ergo utrumque abſurdum eſt.

Reſp. neg. maj. quoad utramque ſequelam. Nam 1. non eſſet fruſtra, quia id fieret ad oſtenſionem potentiæ, & ſapientiæ Dei. 2. nec violenta, quia id fieret ſecundum potentiam obedientialem naturarum. 3. utraque eſſet ſuppoſitata eodem ſuppoſito, & ut talis utraque ageret, ut contingit in Chriſto, ubi humanitas non minus agit cum ſuppoſito Verbi, quàm ſi per propriam ſubſiſtentiam exiſteret.

QUÆSTIO XII.

An quævis natura etiam irrationalis, aut non vivens poſſit uniri Verbo.

AGimus hìc adhuc de ſubjecto unionis hypoſtaticæ, & quærimus, an hæc poſſit eſſe, & ſubjectari in qualibet natura etiam inanimata, ſive totali, ſive etiam partiali, imò & de accidentali; pro quo

Suppono 1. quòd partes compoſiti ſubſtantialis, ut ſunt materia, & forma, ſeu corpus, & anima, quamvis non ſint perſonabiles, niſi in compoſito, & unitæ, poſſunt tamen exiſtere ſeparatæ, etiam materia, ſaltem ſupernaturaliter. Nam anima rationalis exiſtit ſeparata naturaliter; & ſicut in eo ſtatu exiſtunt ſeparatim, quærimus an ſicut tunc habent ſuam ſubſiſtentiam ſibi propriam, ita poſſint uniri Verbo hypoſtaticè, ita ut in eo ſubſiſtant per ſubſiſtentiam illius, non quidem perſonalizantem, ſed ſuppoſitantem, ſeu terminantem eorum dependentiam. Idem etiam quærimus de accidente abſoluto, ſaltem in caſu, quo conſervaretur extra ſubjectum ſubſtantiale, ut accidentia Euchariſtica.

Suppono 2. ut aliàs dictum eſt, quòd accidens habet duos reſpectus ad ſubjectum: 1. *inhæſionis*, ſeu informationis, qui reſpectus eſt illi eſſentialis: 2. *ſuſtentationis*; quatenus dependet à ſubjecto in eſſe, & con-

ſervari; & hi reſpectus ſunt vel *actuales*, quando actu, & de facto accidens ſubjectum informat, & ab eo ſuſtentatur: vel *aptitudinales*, quatenùs accidens eſt aptum inhærere, ſeu informare ſubjectum, & ab eo ſuſtentari, licèt actu non informet, nec inhæreat, ſed exiſtat extra ſubjectum: hi autem reſpectus actuales realiter diſtinguuntur, & ſunt ſeparabiles tum ab accidente, tum inter ſe; nam iſtud poteſt exiſtere, & conſervari extra ſubjectum ſine actuali informatione, & per conſequens ſine actuali ſuſtentatione, ut patet in Euchariſtia. Imò & fortè poſſet inhærere, & informare ſubjectum actualiter, & ſuſtentari, & conſervari independenter ab eodem ſubjecto, quod informat; & in hoc caſu quæritur, an in alterutro ſtatu, ſc. ſeparationis, aut actualis inhærentiæ, ſeu informationis, poſſet uniri Verbo hypoſtaticè, & per ejus ſubſiſtentiam increatam ſuſtentari. His ſuppoſitis, pro intelligentia ſtatus quæſtionis ſit

CONCLUSIO I.

Qualibet natura ſubſtantialis poteſt uniri hypoſtaticè Verbo, ſeu perſonæ divinæ ex potentia Dei abſoluta. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia natura irrationalis non habet entitatem repugnantem tali unioni. nam inquit: *Natura intellectualis eſt aſſumptibilis, quia non habet in ſe entitatem poſitivam repugnantem iſti dependentiæ ſpeciali ad Verbum, ſive communicationem ejus Verbo, ut natura communicatur ſuppoſito. Quidquid autem eſt communicabile, eſt ſic aſſumptibile .... ſed natura non intellectualis non habet perfectiorem rationem ſuppoſiti, quàm natura intellectualis; ergo, &c. Et Verbum videtur ex parte ſua poſſe iſtam dependentiam terminare, cùm ſit independens in ratione ſuppoſiti; & ita poteſt terminare dependentiam hypoſtaticam.* Idem docet de natura lapidis, quamvis non eodem modo, quo natura intellectualis, quæ poteſt perſonari, non autem natura lapidis.

Prob. 2. ex PP. nam Tertull. [2] docet, quòd *licèt ſecundum nos dedeceret Deum de vaca, aut lupa, aut de quovis corpore induto prædicare regnum cœlorum, ſi voluiſſet*

[1] 3. d. 2. q. 1. C. n. 5. [2] de car. Chr. c. 4.

luiſſet . . . ſit ſanè ſtultum, ſi de ſenſu noſtro Deum judicemus; ſed tamen circumſcriptè, quòd ſtulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes. Et Greg. Nyſſen. contra illos, qui negabant decuiſſe Deum ſumere corpus terrenum, ait: *Non fuiſſet tolerabilior turpitudo ſuſcipiendo figuram corporis cœleſtis, quàm terreſtris; quia omnis creatura ex æquo diſtat ab illo, qui eſt altiſſimus, & omnia ei æqualiter ſubiecta ſunt, nec terra eſt remotior à ſuprema ejus dignitate*, &c. ergo ex PP. non plus dedeceret Verbum, aut aliam perſonam divinam terminare unionem hypoſtaticam bruti, vel lapidis, quàm hominis, vel Angeli, &c.

Prob. 3. ratione Scoti; quia in nulla natura ſubſtantiali reperitur quidquam poſitivum repugnans tali unioni; ergo in omnibus eſt poſſibilis.

Confir. Nam natura irrationalis, v. gr. leonis, non eſt magis determinata ad proprium ſuppoſitum, nec minùs in potentia obedientiali ad Deum, quàm humana; ſed hæc potuit privari propria ſubſiſtentia, & uniri Verbo hypoſtaticè; ergo & poſſet alia quævis natura animata, aut inanimata. Cætera patebunt ex ſolutione objectionum.

Objic. 1. Nulla natura irrationalis eſt perſonabilis; ergo nec unibilis hypoſtaticè Verbo. Prob. conſ. quia Verbum eſt perſona, non autem eſt ſuppoſitum; ergo non poteſt dare ulli naturæ, niſi eſſe perſonā, non autem eſſe ſuppoſitum, quale eſt eſſe omnis alterius creaturæ, excepta rationali.

Reſp. neg. conſ. utramque; nam perſonalitas, & ſuppoſitalitas non differunt ex ſe, ſed tantùm ratione ſubjecti; ſi eſt in natura irrationali, hæc dicitur ſuppoſitum, & ſubſtantia; ſi eſt in natura rationali, dicitur perſonalitas, & perſona.

Objic. 2. Si humanitas uniretur hypoſtaticè ſuppoſito lapidis, illa non diceretur perſona; ergo nec lapis dici debet ſuppoſitum, ſi uniatur perſonæ Verbi, aut hominis. Prob. conſ. Ideò illa humanitas non diceretur perſonata, quia non terminaretur ad perſonam, ſed uniretur puro ſuppoſito; ergo nec lapis diceretur ſuppoſitum, quia non uniretur ſuppoſito, ſed perſonæ, ſi uniretur Verbo.

Reſp. neg. ant. utrumque; nam licèt ratione termini unio lapidis diceretur per denominationem extrin-

ſecam, & aliquo ſenſu perſonatio; tamen revera, & quoad ſubjectum unionis, & effectum ejus in ſubjecto, diceretur ſuppoſitatio, & ſuppoſitum, & idem eſſet in caſu unionis humanitatis cum ſuppoſito lapidis; quia ſuppoſitum eſt naturæ ſubſtantialis cujuſcumque incommunicabilis exiſtentia; perſona vero, naturæ intellectualis. Unde quia illa humanitas acciperet eſſe incommunicabiliter ad omnem aliam naturam præter lapidem ſuppoſitantem; ita quoad hoc diceretur perſonari, ſicut lapis diceretur ſuppoſitaria Verbo. Denique altercatio eſt de nomine.

Objic. 3. Natura irrationalis,& inſenſitiva non poteſt elevari ad operationes ſupernaturales virtutum, aut viſionis, aut fruitionis Dei; ergo nec uniri hypoſtatice Deo. Prob. conſeq. alioquin hæc unio eſſe t fruſtra.

Reſpon. neg. conſeq. & antec. prob. Nam unio hypoſtatica formaliter, & per ſe datur ad ſubſiſtendum in ſuppoſito eam terminante; dat autem operari ſupernaturaliter mediantibus aliis donis, & gratiis, quas ſecum trahit in naturam capacem illarum operationum, & donorum: non autem hæc daret aliis naturis incapacibus.

Inſt. 1. Operari ſequitur eſſe, & ipſum eſſe datur propter operari; ſed uniri hypoſtatice Verbo, eſt eſſe ſupernaturale, & divinum; ergo non poteſt dare tale eſſe, niſi naturæ capaci operationum ſupernaturalium.

Reſpond. diſt. maj. ſequitur eſſe eſſentiæ, & capacitatem illius, conc. eſſe perſonæ, vel ſuppoſiti præciſe, neg. maj. & conſeq. Suppoſitatio eſt quidem ultimum complementum neceſſarium, ut natura poſſit operari ut conditio, ſed non ut principium elicitivum talium operationum, & maxime ſi natura de ſe non eſt capax illarum, ut in caſu noſtro. Hoc eodem ſenſu dicitur, quod actiones ſunt ſuppoſitorum, ſc. extrinſece, & denominative, ut alias, & adhuc infra dicetur.

Inſt. 2. Naturæ illæ non ſunt capaces ſanctitatis; ſed unio hypoſtatica eſt eſſentialiter ſanctificans; ergo non eſt poſſibilis in illis naturis.

Rep. diſt. maj. ſanctitatis accidentalis, & formalis, conc. maj. & neg. min. ſanctitatis ſuppoſitalitatis,& di-

gnitatis, neg. maj. & conſ. Sanctitas accidentalis eſt iſta, qua natura fit formaliter munda a peccato, & grata Deo in ordine ad ejus amicitiam, & hæreditatem promerendam, & conſequendam, & hæc non eſt effectus formalis unionis hypoſtaticæ; ſanctitas vero dignitatis, & perſonalis, ſeu hypoſtatica venit ab hac unione, & dignificat naturam ex eo, quod pertineat ad Deum, & elevat ad dignitatem ſummam, ad quam poſſit elevari creatura, & hanc ſanctitatem talis unio conferret omni naturæ creatæ.

CONCLUSIO II.

Partes eſſentiales compoſiti ſubſtantialis poſſunt uniri Verbo hypoſtatice.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenus docet, quod *Verbum in triduo mortis potuit dici habere animam, & corpus; ſed nec fuit anima, nec corpus, nec animatum, nec corporeum, propter dictas cauſas, ſc. quia non habuit totam naturam ſibi unitam, cujus corpus natum erat eſſe pars*, &c. & alibi (2) probat, *quia caro in triduo mortis immediate uniebatur Verbo; quidquid autem Verbum potuit conſervare ſibi unitum immediate, poteſt immediate aſſumere.*

Prob. 2. Quidquid habet ſubſiſtentiam propriam, poteſt ab ea ſeparari, ut per alienam ſubſiſtat; ſed partes ſubſtantiales compoſiti habent ſubſiſtentiam propriam; ergo poſſunt illa privari, ut ſubſiſtant per alienam, ver.gr. per ſubſiſtentiam Verbi. Maj. patet: non enim eſt major difficultas, vel repugnantia, quod totum compoſitum poſſit privari propria ſubſiſtentia, ut ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi, quam partes ejus ſubſtantiales, quandoquidem habent etiam propriam exiſtentiam, & exiſtere poſſunt ſeparatæ. Min. etiam patet: nam in triduo mortis Chriſti corpus ejus, & anima extiterunt ſeparata, & ſubſiſtebant per ſubſiſtentiam ejuſdem Verbi, per quam ante mortem ſubſiſtebat tota humanitas.

Confir. Non magis repugnat, animam, aut corpus ſeorſim a toto uniri hypoſtatice Verbo, quam in ipſo toto; ſed uniuntur in toto; ergo poſſunt & ſeorſim cum proportione.

Objic.

[1] 3. d. 22. R. n. 22. (2) n. 21. d. 2. q. 1. n. 2.

Objic. 1. Partes unirentur Verbo vel ſeparatæ, vel conjunctæ, & exiſtentes in toto; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. 1. non in toto, quia ſic non exiſtunt, niſi exiſtentia totius, & tranſeunt in tertiam entitatem, quæ ipſum totum a partibus diſtinguit; ergo idem eſt de illarum ſubſiſtentia, quæ ſimiliter tranſit in tertiam, & totalem: non 2. quia materia non exiſtit ſine forma; ergo nec ſubſiſtit ſine illa; ergo non ſubſiſtunt, niſi unitæ.

Reſp. neg. min. Nam utroque modo id fieri poteſt, & neg. utrumq; ant. Nam, ut patet in phyſica, non admittimus tertiam entitatem, licet dicamus totum diſtingui a partibus unitis. & 2. falſum eſt, materiam non poſſe exiſtere divinitus ſine forma, & adhuc magis falſum eſt, eam non exiſtere etiam in toto per propriam exiſtentiam partialem, & idem eſt de ſubſiſtentia.

Objic. 2. Quæ non ſunt perſonabilia, vel ſuppoſitabilia, non poſſunt uniri hypoſtatice; ſed partes non ſunt perſonabiles; ergo, &c. Prob. min. Nam ratio perſonæ, & ſuppoſiti pertinet ad totum, non ad partes.

Reſp. diſt. maj. quæ non ſunt unibilia per modum ſuppoſiti, aut perſonæ, conc. per modum ſaltem terminabilis, aut ſuſtentabilis, neg. maj. & conſ. partes ſunt ſuſtentabiles, & terminabiles.

Objic. 3. Hæc non poſſunt incommunicabiliter exiſtere; ergo nec uniri hypoſtatice. Prob. ant. Nam iſtæ partes ſunt adhuc inter ſe unibiles in compoſitionem, & ſuſtentabiles ſubſiſtentia totius; ergo non fiunt incommunicabiles per quamcumque ſubſiſtentiam partis; ergo nec unibiles hypoſtatice, niſi ad ſubſiſtentiam totalem.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. incommunicabiliter per ſimilem ſubſiſtendi modum, conc. per aliam unionem differentem ab ea, per quam ſic terminantur, neg. antec. & conſeq. prob. Materia, & forma terminatæ, & ſubſiſtentes per unionem ſibi proportionatam ſic ſubſiſtunt, & terminantur, ut non dependeant ab alia ſimili terminatione, ſcilicet in ratione materiæ, & formæ; ſed remanent communicabiles, ſeu unibiles ad invicem, & in ordine ad totum in ratione materiæ, & formæ. Sic corpus Chriſti in ſepul-

chro, & anima ejus extra corpus ſubſiſtebant in Verbo, non ſubſiſtentia oppoſita unioni compartium in ordine ad totum, ſed corpus ſubſiſtebat independenter, & incommunicabiliter ad aliud corpus, & anima ad aliam animam, licet eſſent adhuc inter ſe unibilia, & perſonabilia perſonalitate totali Chriſti, ut factum eſt per reſurrectionem.

CONCLUSIO III.

Accidens abſolutum poteſt uniri hypoſtatice Verbo. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Nam ibi, ut probet, quod Verbum aſſumens ſolum corpus hypoſtatice non diceretur corporeum, exemplificat de quantitate, quod non faceret, niſi putaret hanc quoque eſſe unibilem. *Si Chriſtus aſſumpſiſſet quantitatem, & ſolam quantitatem, non diceretur quantus in triduo; quia nihil denominatur quantum, niſi concurrente cum illo proprio ſubjecto quantitatis*, ſcilicet Verbum poſſet habere rationem termini ſuſtentantis qualitatem, aut aliud accidens abſolutum, non vero ſubjecti informationis, ſeu inhæſionis; & ideo in caſu unionis hypoſtaticæ cum Verbo non denominaret illud *quantum*, nec albedo album, quia non ſic denominant, niſi ſubjecta informationis, & inhærentiæ, quod clarius, & magis poſitive docet in quodlibetis; [2] ſcilicet quod *in Verbo poteſt eſſe ſecunda habitudo, ut ad ſuppoſitum ſuſtentans, quia illa non requirit in Verbo, niſi prioritatem per ſe, quæ non repugnat ſibi reſpectu ullius naturæ creatæ*, &c.

Prob. 2. Quia in hoc nulla eſt implicantia, ut patebit ex ſolutione objectionum; ergo non debet dici impoſſibile Deo.

Prob. 3. Si repugnaret Verbo terminare unionem hypoſtaticam, & dependentiam ad ſuſtentari accidentis abſoluti, hoc eſſet vel ex parte Verbi, vel ipſius accidentis; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. 1. non ex parte Verbi, quia habet ex ſe independentiam oppoſitam illi dependentiæ accidentis ad ſuſtentari; ergo poteſt Verbum ex ſe terminare iſtam dependentiam accidentis, & illud ſuſtentare eo modo,

[1] *ibid. Q. n. 22.* [2] *q. 19. N. n. 15.*

do, quo eſt ſuſtentabile. 2. non ex parte accidentis; nam dependentia, ſeu ſuſtentatio actualis, quam habet ad ſubjectum, eſt ſeparabilis ab ipſo æque ac inhærentia actualis, ut patet in myſterio Euchariſtiæ, ubi accidentia conſervantur extra ſubjectum ſubſtantiale, cui neque inhærent, nec ab eo ſuſtentantur; ergo Verbum poteſt ſupplere hanc ſuſtentationem, ſeu terminare hanc unionem, & id non repugnat ex parte accidentis, ſi Deus velit de potentia abſoluta illud ſic ab eo dependere, & illi uniri ſine inhæſione, quia hæc repugnat Verbo, ut dictum eſt.

Confirm. Accidens quoad hanc unionem, ac dependentiam a perſona divina, non minus eſt in potentia obedientiali, quam natura ſubſtantialis ad perſonalitatem, aut ſuppoſitalitatem; ſed natura ſubſtantialis eſt in hac potentia obedientiali; ergo & accidens. Prob. maj. Non minus eſt ens creatum, & ſeparabile a ſubjecto creato, a quo naturaliter ſuſtentatur; ergo &c.

Dixi autem in concluſione 1. *Accidens abſolutum*; nempe quod poteſt exiſtere ſeparatim a ſuo ſubjecto; & ſic excluduntur accidentia relativa, quæ eſſentialiter pendent a ſuis ſubjectis, & terminis in eſſe, & conſervari; hæc enim implicat ſuſtentari per ſuppoſitum extraneum.

Dixi 2. *immediate*; nec enim dubium eſt, quin de facto omnia accidentia, quantitates, & qualitates omnes humanitati connaturales unita fuerint Verbo mediante ipſa humanitate, & partibus, ſeu ſubjectis eorum.

Dixi 3. *hypoſtatice*, ideſt terminative in ratione termini ſuſtentantis eo modo, quo competit naturæ accidentis, non autem *inhæſive*, ſeu informative, quia illa unio repugnat omni perſonæ Divinæ propter ſummam earum ſimplicitatem, & immutabilitatem.

Objic. 1. Accidens non poteſt uniri hypoſtatice niſi ſubjecto, quod informat; ſed non poteſt ſic ineſſe Verbo; ergo nec illi uniri hypoſtatice. Prob. maj. Nam in accidente unio inhærentiæ, & ſuſtentationis identificantur realiter, nec poſſunt ſeparari.

Reſpond. neg. maj. & antec. prob. Nam, ut diximus ab initio quæſtionis, accidens habet duas illas

habi-

habitudines ad ſubſtantiam, & diſtinguuntur, & ſunt ſeparabiles.

Inſt. Tam eſt eſſentiale accidenti ſuſtentari, & terminari a ſubſtantia, quam illi inhærere; ſed dependentia inheſiva ad ſubſiſtentiam eſt eſſentialis accidenti; ergo, &c.

Reſpond. neg.maj. Nam inhærentia aptitudinalis, & radicalis eſt ratio conſtitutiva accidentis, & per hoc diſtinguitur a ſubſtantia; terminabilitas, ſeu ſuſtentabilitas non ſic diſtinguit, ſed potius hanc habet communem cum aliis naturis ſecundum rationem quandam communem, licet quoad modum ſubſiſtendi differat.

Objic.2.Subſiſtere poſt ſubſiſtentiã divinam eſt modus oppoſitus modo ſubſiſtẽdi accidentis; ergo iſtud nõ poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam divinam. Prob. ant. Modus ſubſiſtendi accidentis eſt per informationem inhærentiæ; modus vero ſubſiſtendi perſonæ divinæ eſt omnino per ſe, & omnino incommunicabiliter independenter; ergo, &c.

Reſp.neg.conſ. Nam aliud eſt, quod perſona divina ſuſtentet accidens, ita ut non dependeat ab alio in eſſe, & conſervari; & aliud, quod illa perſona communicet accidenti modum ſuum ſubſiſtendi; iſtud non dicimus, ſed illud.

Objic. 3. Si Verbum aſſumeret accidens, quod illi uniretur hypoſtatice, iſtud poſſet de illo prædicari in concreto, vel in abſtracto, ſicut homo in Chriſto, & ſicut dicitur, *Deus eſt homo*, ita, *Deus eſt albus*, vel albedo, quod eſt falſum.

Reſp.neg.maj. & parit. Nam nullum accidens prædicatur in abſtracto, niſi identice de ſeipſo, nec in concreto, niſi de ſubjecto, cui inhæret; accidens autem iſtud non inhæreret Verbo.

Inſt. Per illam unionem accidens deberet accipere aliquid a Verbo ex vi talis unionis, alioqui talis aſſumptio ex parte aſſumentis, & aſſumpti eſſet fruſtra; ſed accidens nihil poteſt accipere a Verbo ex vi talis unionis; ergo, &c. Prob. min. Si poſſet aliquid accipere, vel eſſet perſonatio, vel ſuſtentatio. 1. non perſonatio, quia accidens non eſt capax perſonationis. 2. non ſuſtentatio, quia hæc eſt actio ad extra, & per conſequens a tota Trinitate.

Reſpond diſt. maj. recipere aliquid per puram terminationem, conc. per efficientiam, neg. maj. & ſimiliter diſt. min. prob. Suſtentatio ſecundum efficientiam, ſeu actionem conſervativam eſt a tota Trinitate, conc. ſecundum puram terminationem dependentiæ, neg. min. Hanc enim haberet a Verbo, per quod redderetur incommunicabile alteri, ut ſuſtentanti, ſicut eſt, cum de facto ſuſtentatur a ſuo ſubjecto. Recte id dici poſſet, ſi voces *album*, *quantum*, *calidum*, &c. eſſent inſtitutæ ad ſignificandum ſuppoſitum, ſeu perſonam terminantem, ſeu ſuſtentantem *albedinem*, *quantitatem*, &c. Sed quia in alio ſenſu uſurpantur hæc, & ſimilia concreta adjectiva, ideo ab his abſtinendum.

QUÆSTIO XIII.

An unio hypoſtatica ſit formaliter productio humanitatis, & unitio ejuſdem: & quomodo diſtinguantur ab invicem. Ubi de exiſtentia propria humanitatis.

IN incarnatione notantur, & concurrunt plura, quæ ſæpius in diſcurſibus minus exactis confunduntur. Sæpe *incarnatio* ſumitur paſſive, & active, ſicut & *unio*. Item *aſſumptio*, & *generatio*, & *creatio*. Nam ut ab his incipiam, 1. Humanitas Chriſti conſtans corpore paſſibili *generatur*, ſeu *formatur* in viſceribus Virginis, & ex puriſſimo ejus ſanguine per operationem, quæ tribuitur Spiritui Sancto. 2. anima ejus rationalis creatur a Deo, & infunditur ejus corpori in ipſo inſtanti completæ organizationis. Et 3. in eodem inſtanti humanitas ſic conſtituta unitur, ſeu aſſumitur a Verbo; & hæc *unio*, ſeu aſſumptio dicitur adhuc *paſſive* reſpectu humanitatis aſſumptæ, & unitæ; & *active* reſpectu Dei volentis, & ordinantis illam aſſumptionem, ſeu unionem in illa natura ad Verbum. 4. hæc actio divina in Trinitate dicetur *unitio*, vel *incarnatio activa*, & reſpectu Verbi dicetur *unio*, ſeu *incarnatio quaſi paſſiva*. Dico, *quaſi paſſiva*, quia propria paſſio repugnat in Deo, & quavis perſona divina. In humanitate autem non dicitur proprie incarnatio, quia hæc non fit caro, ſed eſt ipſa caro;

caro; bene vero unio hypoſtatica dicitur paſſio in ipſa, ſeu terminus formalis, & *ut quo* actionis unitivæ, ſeu unitionis.

Quæritur ergo 1. an generatio, ſeu productio corporis Chriſti, creatio animæ in corpore, & unitio totius humanitatis cum Verbo, a quo perſonatur, ſint actiones reales, & realiter diſtinctæ: an per actionem divinam humanitas accipiat ſibi propriam exiſtentiam; an vero fiat exiſtens per exiſtentiam divinam Verbi, ſicut fit ſubſiſtens per ſubſiſtentiam ejuſdem Verbi.

CONCLUSIO I.

Generatio humanitatis, creatio animæ Chriſti, & unitio ſunt actiones realiter diſtinctæ. Eſt communior contra Thomiſtas.

Prob. 1. Scoto. [1] *Dico, quod incarnationis actioni correſpondet aliqua paſſio, ex quo eſt actio tranſiens; ſed iſta paſſio non ſignificatur per hoc, quod eſt incarnari, proprie loquendo, ſed per hoc, quod eſt uniri, vel aſſumi; nam iſta actio prout tranſit in objectum, tranſit in naturam humanam, & ideo illud, quod correſpondet ſibi,* (ſcil. actioni illi) *ex parte naturæ humanæ eſt paſſio,* &c. ergo incarnatio active, & actio, qua natura unitur Verbo, eſt ipſa unitio, non autem actio præciſe, qua producitur ipſa natura, nec creatur anima Chriſti.

Prob. 2. Nam illæ actiones habent diſtinctos effectus, ſeu terminos; ergo & ipſæ ſunt diſtinctæ. Prob. ant. Nam per generationem producitur corpus, ſeu humanitas, per creationem anima, & per incarnationem activam, ſive per unitionem producitur unio ut terminus formalis, & *ut quo*, & Chriſtus ut terminus *qui*, ſeu totalis.

Prob. 3. Illæ actiones ſunt diverſi ordinis; ergo & diſtinctæ. Prob. ant. Generatio corporis, præciſe a modo, eſt ordinis naturalis in ſubſtantia, ita & creatio animæ. Unitio vero eſt ſupernaturalis in ſubſtantia. Deus creat animam, ut auctor naturæ, Virgo concurrit ad generationem corporis de ſua ſubſtantia naturali, quamvis tota efficientia ſit a Spiritu Sancto; ſed

[1] *d.1.q.1.L.16.*

ſed unitio eſt a ſolo Deo; ergo, &c.

Item non eſt dubium de diſtinctione actionis, qua generatur corpus in utero Virginis a creatione illius animæ, nec iſtarum ab unitione utriuſque ad Verbum, ergo ſunt diſtinctiſſimæ actiones.

Confir. quia ſunt ſeparabiles; nam potuit corpus ſeparatim produci cum matris cooperatione, & anima a ſolo Deo creari abſque eo, quod uniretur Verbo, potuit humanitas ſic formata ſibi relinqui, & adhuc poſſet a Verbo dimitti; ſicut per mortem corpus, & anima conſervabantur ſeparatim; ergo, &c.

Objic. 1. SS. PP. docent humanitatem ſimul fuiſſe productam, & unitam Verbo; ergo per unicam actionem. Prob. ant. ex S. Fulgent. *Ipſa receptio carnis (a Verbo) fuit conceptio Virginalis*. Item docet S. Leo. *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut prius creata poſtea aſſumeretur, ſed ut ipſa aſſumptione crearetur*; ergo aſſumptio carnis, & ejus creatio eſt una actio.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. Una actio unitate temporis, conc. actionis, neg. ant. & conſ. Nam Patres, & Theologi ſic loquentes nihil aliud volunt, quam ſimultatem temporis, non identitatem actionum. Quod patet ex ipſomet Fulgent. *Non eſt igitur aliquod intervallum temporis inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ majeſtatis adventum*.

Objic. 2. Humanitas non prius fuit in ſe, quam unita Verbo; ergo eadem actione. Ant. patet; nam ſi fuiſſet prius genita, B. Virgo non eſſet vera Mater Dei, quia non genuiſſet hominem Deum, ſed purum hominem.

Reſp. neg. conſ. Nam ſimultas temporis non arguit ſemper identitatem actionis, & maxime in hac materia: nam productio humanitatis eſt partialiter in Virgine Matre, & actio unitiva eſt in ſolo Deo. Fateor, quod in Deo omnes actiones ſunt una indiviſibilis volitio, ſed diſtinguimus eas per terminos ab illa volitione productos.

Objic. 3. Actio eductiva formæ ex materia, & inductiva, ſeu unitiva ejuſdem formæ in materia eſt eadem indiviſibilis actio; ergo idem eſt de tota formatione humanitatis Chriſti, & ejus unione cum Verbo. Ant. patet ex Phyſica. Prob. conſ. Nam hæc in incarnatione tam potuerant fieri una actione, quam

eductio, & inductio formæ materialis.

Reſp.1.neg. ant. quia poſſunt ſeparari; nam forma materialis poteſt conſervari a Deo extra materiam.

Reſp.2.neg.conſ.& parit. Nam eductio,& inductio, ſeu unitio in phyſicis ſunt ejuſdem ordinis: non ita eſt in caſu de productione humanitatis, & unitione ejus cum Verbo; illa poterat exiſtere ſine iſta, ſi Deus noluiſſet unire.

CONCLUSIO II.

H*Umanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam ſibi propriam, & diſtinctam realiter ab exiſtentia Verbi*. Eſt etiam communior contra Thomiſtas.

Prob.1. ex Scoto. (1) *Concedo, quod natura iſta, ex quo non eſt tantum in intellectu, neque in cauſa, ſed extra cauſam ſuam neceſſario habet propriam ſuam exiſtentiam actualem, ſicut ſuum proprium eſſe quidditativum; ſed non habet propriam ſubſiſtentiam*, &c. Et hanc veritatem probat multis rationibus.

Prob.2. ex Conciliis, & Patribus, nam in VII. Synodo (2) contra Eutychianiſtas dicitur, quod *veri Catholici cognoſcunt, quod hypoſtaſim cum proprietatibus ſubſtantiam dicimus ab eo, quod eſt ὑφιςάναι, hoc eſt ſubſiſtere; φύσιν vero, ideſt naturam per ſe exiſtentem*; ſc. ſicut ſunt duæ naturæ in Chriſto, ita & duæ exiſtentiæ, non autem duæ hypoſtaſes. Et Damaſcenus (3) docet, quod *neque revera natura humana in Deitatis naturam verſa, neque ſubſtantia, exiſtentiaque privata*. Et infra: *Nec ſola cogitatione contemplatam naturam ſumpſit, neque in ſpecie conſideratam, ſed in individuo conſideratam, & in eadem exiſtentem ſpecie*; ſcilicet Verbum ſumpſit naturam individuam, non communem, & vagam, ſed exiſtentem actu.

Prob.3. Chriſtus vere fuit vivens vita humana, & non tantum divina; ergo & exiſtens exiſtentia creata. Patet ant. alioqui non fuiſſet vere mortuus. Prob. conſeq. ex Ariſtot. *Vivere viventibus eſt eſſe*; ſed Chriſtus habuit vivere creatum; ergo & eſſe, ſeu exiſtentiam creatam.

Con-

[1] 3.*d*.6.*q*.1.*n*.4. (2) *act*.3. & 6.
[3] 4.*fid*.3. & 12. [4] 5.*phyſic*.

Confirm. ex eodem, & Damaſceno. Terminus per ſe generationis habet eſſe per generationem: ſed vere Chriſtus ſecundum carnem generabatur ex matre, ut ait idem Damaſc. & omnes fatentur; ergo ab illa generatione accepit exiſtentiam veram.

Prob. 4. aliis argumentis ejuſdem Doctoris. 1. quia ſi humanitas non extitiſſet, non diceretur aſſumpta, quod enim non eſt, non poteſt dici, nec uniri.

2. Unio eſt relatio realis fundata in humanitate, & terminata ad Verbum; ergo ſupponit realem exiſtentiam fundamenti, ſeu humanitatis.

3. Unitio eſt actio totius Trinitatis, aſſumptio vero eſt ſolius Verbi; ergo humanitas exiſtit per actionem totius Trinitatis, & non per ſolam aſſumptionem, ſeu terminationem unionis cum Verbo.

4. Si humanitas Chriſti jam dimitteretur a Verbo, non caderet in nihilum, nec ceſſaret; ergo habet eſſe proprium ſibi, & diſtinctum ab exiſtentia Verbi.

5. Non magis humanitas pendet a Verbo in eſſe, quam accidens a ſubjecto; eſt enim natura ſubſtantialis, & apta per ſe exiſtere; accidens vero ens diminutum, & ineptum exiſtere per ſe; ſed iſtud habet propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubjecti, & in ea poteſt conſervari extra ſubjectum; ergo a fortiori humanitas habet propriam exiſtentiam, per quam poſset eſse, & conſervari ſeparata a Verbo.

6. Omne ens actuale habet eſse in ſe per propriam exiſtentiam; ſed humanitas Chriſti eſt in ſe ens actuale; ergo habet propriam exiſtentiam in ſe.

7. Si humanitas Chriſti exiſteret per exiſtentiam Verbi, uniretur immediate alicui eſsentiali, & communi aliis perſonis; ſed conſeq. eſt falſum, ut patet ex dictis; ergo, &c. Prob. maj. Uniretur primo, & immediate exiſtentiæ divinæ Verbi; ſed exiſtentia, qua Verbum exiſtit, eſt eſsentialis, & communis tribus perſonis; ergo.

8. Si humanitas exiſteret per exiſtentiam Verbi, illa poſset dici exiſtere ubique, ſicut Deus, & Verbum per ſuam exiſtentiam eſt ubique, quod eſt hæreticum, & damnatum contra Ubiquiſtas; ergo.

9. Denique humanitas habet intellectum, & voluntatem diſtinctam ab intellectu, & volũtate Verbi; ergo

& exiſtentiam; nam iſta eſt radix operationum, ſeu volitionum, & intellectionum. Thomiſtæ cenſent exiſtentiam rerum diſtingui realiter ab eſſentia, quod falſum oſtendimus in Metaphyſica.

Objic.1. In VI. Synodo [1] lecta eſt, & approbata epiſtola Sophronii, ubi habetur, quod *humanitas Chriſti in Verbo Dei, non in ſeipſa habet unam exiſtentiam cum Verbo*. Et Damaſc. citatus [2] dicit, *Humanitatem, ſeu carnem in Verbo habuiſſe exiſtentiam*; ergo non ſunt in Chriſto duæ exiſtentiæ, ſed unica, ſc. exiſtentia Verbi.

Reſpondent aliqui, particulam *cum Verbo* non eſſe in textu, ſed additam ab adverſariis; ſed ſufficeret, quod non haberet exiſtentiam in ſe; ideo melius

Reſpon. neg. conſeq. nam in textu vox Græca ὑπάρχειν, ſignificat ſubſiſtentiam æque, ac exiſtentiam; & ideo ſenſus Patrum illorum erat, quod humanitas non habebat in ſe propriam ſubſiſtentiam, ſed ſolam ſubſiſtentiam Verbi, per quam ſubſiſtebat. 2. cenſent, quod exiſtat non in ſe ſeparatim a Verbo, ſed unita Verbo, in quo, & cum quo habet ſemper eamdem exiſtentiam, quam habebat in inſtanti unionis, & quod non prius extitit, quam fuerit unita; ideo ſemper extitit cum Verbo, & in Verbo. Damaſc. autem ſatis clare loquitur ad mentem noſtram in locis citatis, præterquam quod multi dicunt hunc textum non legi in ejus libris.

Objic.2. ex Ariſtotele. [3] Eſſe exiſtentiæ convenit ſuppoſito; ſed in Chriſto eſt unicum ſuppoſitum; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. convenit ſuppoſito per unionem, ut aliquid prius, conc. ut ſit idem cum ſubſiſtentia, neg. maj. Nam cum Ariſtot. non cognoverit ſubſiſtentiam, ut diſtinctam a ſubſtantia, vel exiſtentia, ideo nihil ad hanc rem colligi ex ipſo poteſt.

Objic.3. Si humanitas in Chriſto haberet propriam exiſtentiam, iſta prædicaretur de Verbo, ſicut caro, & humanitas de illo prædicantur; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Prob. maj. Nam tam Verbum aſſumpſiſſet exiſtentiam, quam carnem; ergo tam diceretur exiſtere per exiſtentiam creatam, quam dicitur homo per humanitatem.

Reſp.

[1] *act.11.* [2] *ibid.c.22.* [3] 1.*metaph.*

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. Prædicaretur mediate, & reduplicative ſupra humanitatem, tranſeat, immediate, & ſine addito, neg. maj. & conſ. nam ſicut dicitur Verbum eſt caro, & ut caro moritur, ita diceretur, Verbum exiſtit per exiſtentiam creatam, quatenus homo.

Inſt. Hinc ſequeretur exiſtentiam creatam eſſe perfectionem perſonæ Verbi; ſed hoc eſt abſurdum; ergo, &c. Prob. maj. Nam prædicaretur de illo, ut perfectio ejus.

Reſp. neg.maj. Nec enim prætenditur per illas prædicationes, quod afficiant intrinſece Verbum, ut patet de carne, de morte, ſed tantum quod illa ſibi unierit terminando carnis dependentiam in ſubſiſtendo; ideo potius Verbum perficeret tam eſſentiam, quam exiſtentiam creatam, eas ſuſtentando, & terminando.

Inſt.2. Saltem ſequeretur B. Virginem non eſſe matrem Dei, quia ejus actio non terminaretur ad exiſtentiam Dei, ſed humanitatis; ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq.& conſ. prob. Non ideo dicitur mater Dei, quia ejus actio circa humanitatem Chriſti terminatur ad exiſtentiam Dei; ſed quia ipſa humanitas in eodem inſtanti, quo in illa, & ex illa formatur, unitur Deo Verbo, & ſic concepit hominem Deum. Imo non diceretur vere,& proprie mater Chriſti Dei, niſi concurreret ad ejus exiſtentiam. Sic Judæi dicuntur Deicidæ, quia occiderunt, & privaverunt ſua exiſtentia creata hominem Deum, ſeu illam humanitatem, quæ ſubſiſtebat in Deo.

Objic. 4. Sequeretur Chriſtum non eſſe unum per ſe, ſed aggregatum per accidens; nam humanitas cum unitur Verbo, & fit Chriſtus, eſſet ens in actu, ſicut & Verbum; ſed omne compoſitum ex pluribus entibus in actu eſt ens per accidens; ergo, &c.

Reſpond. neg. maj. & diſt. ſubſ. ex pluribus entibus in actu exiſtentibus, & completis, conc. in actu exiſtentiæ, ſed incompletis phyſice, neg. ſubſumptum. Humanitas ipſa Chriſti componitur ex corpore, & anima, quæ ſunt entia realia, & in actu realis exiſtentiæ; ſed quia ſunt entia incompleta, non minus homo eſt ens per ſe. Ita eſt de Chriſto, quia

humanitas eſt incompleta in ratione ſuppoſiti, in quo completur per ſubſiſtentiam Verbi, ideo non minus eſt ens per ſe.

Adverte tamen, quod humanitas nullo temporis momento extitit ſine unione actuali cum Verbo, alioquin B. V. non diceretur mater Dei, quia non concepiſſet hominem Deum, ſed purum hominem; & humanitas fuiſſet prius perſonata perſonalitate creata, quàm divina, licet extiterit per propriam creatam exiſtentiam. Aliud enim eſt non fuiſſe perſonatam, niſi per ſubſiſtentiam Verbi, quod de fide certum eſt, & aliud non extitiſſe, niſi per ejuſdem Verbi exiſtentiam, quod dici non poteſt in bona Theologia.

Igitur inter unionem, generationem, & creationem non eſt alius ordo prioritatis, & poſterioritatis, quam naturæ, & præſuppoſitionis; ſic generatio corporis prius natura extitit, quam animatio, & utraque unio, ſeu aſſumptio totius humanitatis a Verbo; ſed omnia illa uno temporis momento, & reali ſimultate peracta ſunt.

QUÆSTIO XIV.

De ordine unionis, ſeu incarnationis. An Verbum prius aſſumpſerit partes, quam totum, & e contra.

MOx dicebamus, nullum fuiſſe ordinem temporis, ſeu durationis inter productionem corporis, & animæ Chriſti, & unionem ejus cum Verbo; dicendum reſtat de ordine naturæ, & præſuppoſitionis: & quæritur an Verbum prius aſſumpſerit partes, quam totum compoſitum humanitatis, vel e contra: & hoc vel ordine intentionis, vel executionis; quia communiter dicitur, *quæ ſunt priora in intentione, ſunt poſteriora in executione*.

Suppono autem diſtinctionem medii *ut quod*, ſeu *quod* a medio *quo*, ſeu *ut quo*. Illud eſt, quod revera diſtinguitur ab extremis, inter quæ mediare dicitur, ſicut quantitas inter ſubſtantiam, & qualitatem, quæ in iſta ſubiectatur. Iſtud vero eſt ratio illa formalis, qua agens poteſt agere, vel qua paſſum recipere poteſt

eſt formam: ſic virtus calefactiva eſt medium *quo* productionis caloris. His ſuppoſitis

Quæritur, an in unione hypoſtatica humanitatis, & partium ejus cum Verbo nullum interceſſerit medium: an vero in intentione voluerit prius uniri toti naturæ, quam animæ, aut corpori, & prius animæ, quam corpori; an vice verſa prius voluerit uniri partibus, quam toti.

CONCLUSIO I.

U*Nio hypoſtatica ſubjectatur immediate, & ut quod in tota humanitate tam in executione, quam in intentione, &* ut quo *in anima, ſaltem id aliquo ſenſu dici poteſt.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Poteſt dici, quod in iſta paſſiva aſſumptione naturæ humanæ ad Verbum nullum fuit medium* quod *inter Verbum, & ipſam naturam, ſed tota natura fuit immediate aſſumpta .... ſed loquendo de medio* quo, *poteſt concedi, quod anima eſt medium in iſta aſſumptione, & hoc reſpectu totius, quia eſt formalis ratio hujus naturæ, qua hac natura eſt unibilis, ſicut per ipſum formaliter homo eſt riſibilis, non tantum ut principium effectivum, ſed ut ſubjectum proximum.*

Prob. 2. quoad 1. par. ex Synodo VI. [2] ubi approbata eſt Epiſt. Sophronii, in qua ſcribitur: *Incarnatur Verbum Deus, non præfatæ carni copulatus, vel animæ præ exiſtenti conjunctus; ſed tunc his ad ſubſiſtendum venientibus, quando eis ipſum Verbum, & Deus naturaliter copulatus eſt .... ſimul quippe caro, ſimul Dei Verbi caro animata rationalis,* &c. Et in V. Synodo anathematizatur, *ſi quis ſentit, animam Domini præextitiſse, unitamque Dei Verbo ante incarnationem,* &c. Et Conc. Chalced. dicit, [3] *Ideo Deum natum eſse ex Virgine, & conceptum, quia in utero Virginis, & in ipſa conceptione hominis Deus carni unitus eſt;* ergo ex Concil. humanitas tota immediate, & ſimul unita eſt Verbo.

Prob. 3. ex eodem Doct. Eo ordine unitur humanitas Verbo, & ab ipſo perſonatur, quo in ſeipſa fuiſ-

[1] *d.2.q.1.A.n.5.* [2] *can.2.*
[3] *act.1.*

ſet perſona, ſi ſibi relicta eſſet; ſed ſibi relicta primo, & immediate perſonata fuiſset: ergo & tota immediate unitur Verbo. Prob. min. Nam corpus, & anima in homine non habent aliam perſonalitatem quam totalem; nam iſta ſufficit & tota: ergo neque in Chriſto habuiſsent. Ant patet ex Metaph. & quamvis illæ partes haberent ſubſiſtentias partiales, non tamen perſonalitates: nam perſonalitas in naturam individualiter completam cadit velut terminus ejus ultimus.

Confirm. Nam in triduo mortis, quando in Verbo ſubſiſtebant anima, & corpus ſeparatim, non erat perſona; ergo Verbum non dat eſse perſonæ, niſi humanitati completæ.

Confir. 2. Nam Verbum ſupplet ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem totius humanitatis, non autem corporis, aut animæ, vel utriuſque ſeorſim, quia non ſunt humanitas, nec perſonabiles, niſi ut unitæ; ergo unio hypoſtatica immediate eſt in tota humanitate completa.

Prob. 2. p. Nam per medium *quo* unionis nihil aliud intelligitur, niſi ratio formalis, per quam ſubjectum fit capax recipiendi formam, ſeu unionem, & propter quam Verbum aſsumpſit humanitatem: ſed hæc ratio eſt anima rationalis: ergo anima eſt aliquo modo medium *quo*. Maj. patet ex prænotatis. Min. prob. Nam ratio formalis, & medium *quo* aſsumptionis humanitatis eſt ratio conſtitutiva ipſius humanitatis, ſeu per quam eſt humanitas, & non equinitas; ſed anima rationalis eſt ratio, & forma, per quam hæc natura eſt humanitas; ergo, &c. Et, ni fallor, de hoc non poteſt eſse quæſtio, niſi de nomine.

Objic. 1. cont. 1. par. Eodem ordine communicatur ſubſiſtentia Verbi humanitati Chriſti, quo illi communicaretur propria ſubſiſtentia; ſed hæc illi communicaretur mediante anima, quæ primo in ſe ſubſiſteret; ergo ita fit in Chriſto. Maj. patet; nam ſubſiſtentia Verbi ſupplet pro ſubſiſtentia creata. Prob. min. nam per id humanitas recipit ſubſiſtere, per quod accipit eſſe completum in ſua ſpecie, & individuo; ſed hoc accipit ab anima; ergo & illud.

Reſp. diſt. min. utramque, mediante anima *ut quo*, conc. *ut quod*, neg. min. Nam anima non eſt prius perſona,

ſona, quam exiſtat totus homo, licet prius natura ſit ejus creatio, quam ejus unio cum corpore, & ex illa unione compleatur humanitas, & quam perſonetur ſive propria, ſive Verbi perſonalitate. Denique anima pro nullo inſtanti naturæ eſt perſona, antequam ſit humanitas tota completa in ſuo eſsentiali.

Inſt. In ordine generationis partes ſunt priores toto; omnis enim cauſa eſt prior cauſato; ergo prius ſubſiſtunt, quam totum. Prob. conſ. Prius natura cauſant, ſeu uniuntur, quam ſit totum: ergo prius ſubſiſtunt, alioquin cauſarent.

Reſp. neg. conſ. & parit. Nam in ordine generationis partes ſunt cauſæ totius humanitatis, non autem in ordine perſonationis, in quo partes non ſunt perſona, niſi in toto; nam perſonatio eſt ultimus terminus naturæ intellectualis.

Objic.2. Illud eſt prius alio, a quo non valet ſubsiſtendi conſequentia; ſed hæc non valet ab aſsumptione partium ad aſsumptionem totius; ergo aſsumptio, ſeu ſubsiſtentia partium eſt prior aſsumptione totius humanitatis. Prob. min. Non recte dicitur, Verbum aſsumpſit partes, ver. gr. corpus, & animam; ergo & totam humanitatem, ut patet in triduo mortis, in quo partes uniebantur Verbo, non vero tota humanitas; ergo ab aſsumptione partium non bene infertur aſsumptio totius.

Reſp. diſt. maj. eſt prius ſecundum conſequentiam, conc. ſecundum cauſalitatem, neg. maj. Nam hæc regula non ſemper valet, ut si dicas: eſt ſol; ergo eſt calor; non poteris determinate reciprocari: eſt calor; ergo eſt ſol, quia calor poteſt eſse ab alia cauſa, v.gr. ab igne; ſimiliter potes dicere: totum eſt in loco; ergo & partes; non autem ſequitur, quod partes ſint prius in loco, quam totum. Ita eſt in propoſito, licet non valeat conſequentia a partibus aſſumptis ad aſſumptionem totius, tamen aſſumptio partium non eſt vere cauſa aſſumptionis humanitatis, ſed e contra, quia, ut dicebam, perſonatio immediate cadit in totum, quia eſt ultimus terminus totius.

Reſpond.2. diſt.min. non valet ſecundum aliam diſpoſitionem poſſibilem, conc. ſecundum præſentem, & ut de facto contingit, neg. min. Potuiſſet quidem Verbum ſumere prius partes, ſed id non fecit; quod

probatur ex fundamentis concluſionis.

Objic. 3. Quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; dimiſit aliquando totum compoſitum humanitatis, & retinuit partes; ergo has ſolas immediate aſſumpſit.

Reſp. diſt. maj. nunquam exiſtens dimiſit, conc. ceſſando eſſe, neg. maj. & conſ. Nam illud axioma intelligitur de partibus exiſtentibus, non autem de toto, quod per mortem dimiſſum eſt.

Objic. 4. In ordine agentium quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione; ſed in intentione Dei unio totius eſt prima; ergo in executione eſt ultima, & prius ſunt unitæ partes.

Reſp. ut ſup. diſt. maj. in ordine cauſalitatis, ſive generationis, conc. in ordine perſonationis, neg. maj. & conſ. nam hic agitur de ordine perſonationis, quæ non cadit in partes naturæ perſonabilis, ſed in totam naturam; partes enim, quæ cauſant totum, non ſunt perſonabiles in ſevera perſonalitate.

Quæres, *An humanitas ſtante unione ad Verbum retineat appetitum ad propriam perſonalitatem, ita ut ſit ibi cum aliqua violentia.*

Reſp. neg. 1. quia non datur appetitus poſitivus ad negationem; ſed propria naturæ ſubſiſtentia eſt pura negatio; ergo natura ſemel perſonata perſonalitate Verbi, quæ eſt quid poſitivum, non habet appetitum poſitivum ad propriam. 2. quia violentia ſupponit ſtatum oppoſitum inclinationi naturæ; ſed ſtatus unionis hypoſtaticæ non eſt *contra*, ſed tantum *præter* inclinationem humanitatis, hæc enim eſt in potentia obedientiali ad illam.

Major eſſet ratio dubitandi apud ponentes ſubſiſtentiam naturæ in modo poſitivo ſubſtantiali; ſed de hoc ſatis.

DIS-

DISPUTATIO III.

De cauſis Incarnationis.

POST examinatam naturam hujus myſterii deſcendimus ad cauſas ejus, & maxime agemus de finali, & meritoria, & efficiente; nam de materiali, & formali nihil reſtat dicendum, præter ea, quæ diximus de unione, de extremis unitis, ſcilicet de natura unita, & de termino formali ejus, nempe perſona Verbi.

QUÆSTIO I.

De motivo principali Incarnationis Verbi.

PLura motiva Incarnationis hujus notantur in Scriptura, de quorum primario, & principali dubitari poteſt, an moverit Deum ad illam decernendam; prout de facto eam decrevit ab æterno. 1. eſt gloria ipſius Dei ex manifeſtatione potentiæ, ſapientiæ, miſericordiæ, & aliorum attributorum ejus, quæ ſumme in hoc opere commendantur. Et hoc eſt primum, & generale motivum, ac finis omnium operum ejus, alioqui vileſcerent ejus decreta, & opera, ſi aliunde provenirent. Ideo dicitur *univerſa propter ſemetipſum operari*.

2. Eſſe poteſt ſumma hujus excellentia, quippe Deus non ſolum reſpicit ad bonitatem relativam rerum, in ordine ad fines, quos intendit per illas, ſed etiam ad abſolutam, quam habent in ſeipſis; nam hæc etiam bonitas in ſuo ordine movet Deum ad illas amandas, & volendas. Hoc autem opus eſt ſine dubio præſtantiſſimum, & ſumme decuit Deum.

3. Eſt hominis ſalus, & redemptio. Nam in Chriſto habet Eccleſia caput viſibile, & proportionatum cæteris membris ſuis; homo habet completum beatitudinis ſuæ objectum; quippe non ſola anima gaudebit viſione, & fruitione eſſentiæ Dei, ſed etiam ſenſus ejus corporei gaudebũt viſione humanitatis Chriſti. Habet etiam in illo redemptionem, ut loquitur Apoſtolus, per quam juſtitiæ divinæ injuria per pec-

catum illata copioſe compenſatur, & peccatores a morte æterna peccatis debita liberantur per pleniſſimam ſatisfactionem. Denique in eo habet homo gratiarum omnium fontem inexhauſtum.

4. Eſſe poteſt complementum, ac perfectio univerſi; nam ex hoc opere perficiuntur, & *pacificantur omnia, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt*, ait Apoſtolus, & maxime propter hominem, qui eſt caput omnium, & in quo reformantur omnia, ſicut per peccatum, & lapſum ejus humiliata fuerunt, & aliqualiter depravata, &c.

Quærimus ergo hic, an ſic Deus in decreto æterno Incarnationis ita reſpexerit ad hominis redemptionem per mortem, & ſanguinem Chriſti, ut ſi Adam non peccaſſet, nec per conſequens indiguiſſet redemptore, non venturus eſſet Chriſtus, ſaltem ex vi præſentis decreti.

Dico, *ex vi præſentis decreti*, quo de facto peracta eſt incarnatio; nemo enim dubitat, quin Deus potuerit velle illam, ſive in carne paſſibili, ſive aliter, ex aliis motivis, quæ non deerant ſummæ illius ſapientiæ, ex vi cujus decreti venturus eſſet Chriſtus, ſive Adamo peccante, ſive non peccante. Sed quæſtio hæc procedit ſuppoſito præſenti decreto.

Suppono autem ex tract. 1. quòd licet in Deo omnia uno, & indiviſibili actu voluntatis decernantur, tamen reſpectu ad ejus objecta volita concipitur aliqua diſtinctio, & aliquis ordo prioritatis, & poſterioritatis, non quidem realis, ſed rationis, ſecundum quem aliqua dicuntur prius volita, quam alia; & ſecundum illum ordinem, quem ibi præfigunt Theologi, varie diſcurrunt de prædeſtinatione, & reprobatione tam Chriſti Domini, quam hominum. Hæc repetere non pigebit ad hujus controverſiæ deciſionem.

CONCLUSIO I.

P*Eccatum Adæ non fuit unica, nec principalis occaſio incarnationis Verbi; ideoque, eodem non peccante, adhuc Chriſtus venturus erat*. Ita Scotiſtæ omnes, & alii contra Thomiſtas, & alios plurimos.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Deus priùs vult animæ Chriſti gloriam, quam prævideat Adam caſurum .... Non propter iſtam ſolam cauſam Deus videtur prædeſtinaſſe illam animam ad tantam gloriam, cum illa redemptio non ſit tantum bonum, quantum eſt illa gloria animæ Chriſti. Nec eſt veriſimile ſummum bonum eſſe tantum occaſionatum, ſcilicet propter minus bonum.* Quod & aliis ſolidis rationibus probat.

Prob. 2. ex Script. [2] *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*: LXX. legunt: *Creavit me in initium*, &c. Et, [3] *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, quod de Sapientia incarnata explicant SS. PP. *Quærendum eſt, quis eſt, qui dixit, Dominus creavit me? Et reſpondet, Chriſtus jam homo factus*, inquit Cyrillus: [4] & Auguſt. [5] *Secundum formam Dei ante omnes colles genuit me; ſecundum formam ſervi Dominus creavit me initium viarum ſuarum*. Et Chriſtus in eodem ſenſu dicitur [6] *primogenitus omnis creaturæ*. Et, *in omnibus primatum tenens*: non eſſet autem *primogenitus*, nec *primatum tenens*, ſi non fuiſſet prædeſtinatus, niſi propter nos redimendos; quia ſic nos eſſemus primi in ordine intentionis, & executionis; quia ille eſſet propter nos, & non nos propter ipſum. Et contrarium docet Apoſt. [7] qui hunc ordinem intentionis, & finium aſſignat: *Omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei*; ſcilicet hæc omnia inferiora facta ſunt propter hominem, homo propter Chriſtum, & ipſe propter ſolum Deum, tanquam finem primarium, & principalem. Quod confirmat illud ejuſdem dictum: [8] *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia*, &c. Loquitur autem de Chriſto, [9] *qui multos filios in gloriam adduxit*.

Confirm. ex Cyrillo cit. [10] *Sicut dicunt hæretici, ut nos produceret Deus, filium produxit; erit ipſe propter nos factus, non nos propter ipſum. Cur ergo nobis non aget gratias, qui propter nos?* Et Rupertus: *Religioſe dicendum, reverenterque audiendum, quia propter iſtum filium hominis, ſcilicet Chriſtum, gloria, & honore coronandum, Deus omnia fecit*; ergo Chri-

[1] 3.*d*.7.*q*.3.*B*.*n*.3. [2] *Prov*.8. [3] *Eccl*.24.
[4] 5.*Theſ*.4.& 8. [5] *ſer*. 58.*de verb.Dom*.
[6] *Coloſſ*.1. [7] 1. *Corinth*.3. [8] *Hebr*.2.
[9] *ibid*.3. [10] *in Hebr*.2.

ſtus fuit primo volitus in decretis divinis, non ſolum ante prævisum peccatum, ſed etiam ante decretum Adæ creandi, quandoquidem iſte creandus fuit propter illum.

Confirm. 2. ex eodem Apoſt. docente illum eſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis, & primum omnium prædeſtinatorum, tam primitate ordinis, quam dignitatis. Nam homines [1] *prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui; ut ſit ipſe primogenitus*, &c. & quod in ipſo, & per ipſum hanc benedictionem accepimus. Nam [2] *benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo*, &c. *Quippe prædeſtinavit nos per Jeſum Chriſtum in ipſum*. Per quæ notatur triplex cauſalitas Chriſti circa noſtram prædeſtinationem, ſc. meritoria, & efficiens *per Jeſum Chriſtum*, & finalis *in ipſum*; quod etiam patet ex Cyrillo cit.

Prob. 3. ex SS.PP. aliis præter citatos, & videbis plures apud noſtros; unum autem, aut alterum ſeligam. 1. Rupertus cit. [3] docet, Angelos factos propter Chriſtum. *Rectius dicitur, non hominem propter Angelos, ſed propter quendam hominem Angelos quoque factos eſſe, & cætera omnia*. Quis autem eſt ille quidam homo, niſi Chriſtus? Item Auguſt. docet, [4] quod ſtante Adamo in ſtatu innocentiæ, ibi fuiſſet matrimonii ſacramentum, quod fuit, & fuiſſet figura conjugii Chriſti cum Eccleſia. Nam de homine adhuc innocente dixit Deus: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Quod *magnum ſacramentum*, dicit Apoſtolus, *in Chriſto, & Eccleſia*, ſcilicet *matrimonium figuratum eſt magno illo Chriſti, & Eccleſiæ ſacramento*; ergo prius decernebatur Chriſtus venturus, & cum Eccleſia uniendus, quam decerneretur permiſſio peccati, vel ejus reparatio.

Prob. 4. rationibus Scoti. 1. quia primarius finis omnium operum Dei ad extra eſt gloria ſua; ſed nullum eſt opus glorioſius Chriſto; ergo Chriſtus fuit primo, & principaliter volitus a Deo propter gloriam ſuam; ergo licet homo non peccaſſet, nec fuiſſet redimendus, adhuc Chriſtus erat futurus; quia

vige-

[1] *Rom.* 8. [2] *Epheſ.* 1.
[3] 3. *Trin.* 20. [4] 1. *de nupt.* 32.

vigebat ſemper principalis cauſa finalis.

2. Quia non eſſet glorioſum nec Chriſto, nec Deo, ut tam excellens opus penderet a tam mala cauſa, vel occaſione, ſc. a peccato, & Chriſtus eſſet bonum occaſionatum ex peccato, & ille, qui prævalet omnibus creaturis etiam Angelis, & prædeſtinatis, fuiſſet ultimus in prædeſtinatione; imo deberet illis ſuum eſſe, & prædeſtinationem.

3. Omnis ordinate volens 1. vult finem, & 2. media ad finem, & 3. ex mediis prius vult ea, quæ ſunt propinquiora, & utiliora ad finem; ſed finis primarius, & principalis operum Dei eſt ipſe Deus, & gloria ejus; & inter media, quæ manifeſtant gloriam Dei, Chriſtus eſt ſummum, & propinquiſſimum, & efficaciſſimum medium præ hominum omnium ſalute; ergo Chriſtus primo, & principaliter volitus eſt; ergo ceſſante peccato, & motivo redemptionis, adhuc urgebat primarius, & principalis finis incarnationis Verbi, & efficacia hujus medii ad illum finem.

Confir. hæc ratio: nam Chriſtus ipſe eſt finis omnium creaturarum, ut patet ex Apoſtolo cit. ergo prius ipſe volitus eſt a Deo, quam ulla creatura, vel hominum reparatio, vel peccati permiſſio.

Confir. 2. nam velle ordinatum reſpicit objecta ſecundum ordinem dignitatis, quem habent inter ſe, ita ut quod eſt excellentius, & diligibilius diligatur cum prælatione ad alia; ſed univerſæ aliæ creaturæ non æquarentur uni Chriſto; ergo Chriſtus prius, & magis volitus eſt.

Prob. denique ex aliquot abſurdis, quæ ſequerentur, ſi reparatio peccati fuiſſet unicum motivum incarnationis. Nam 1. diceretur, quod Chriſti exiſtentia eſſet bonum tantum occaſionatum ex occaſione peccati. 2. quod non mediocrem utilitatem ſumeret homo ex ſuo peccato, ſc. honorem, & beneficium Incarnationis, & exaltationem humanitatis ſuæ ad unionem cum Deo. 3. quod Chriſtus ipſe nobis debitor eſſet, ac iniquitati Adæ de ſua exiſtentia, & gloria. Quod horret S. Athan. dicens: [1] *Si Deus volens creatitiam naturam producere, filium in cos uſus procreavit, pro veſtra opinione, ut per eum nos ædificaret: animadvertite, quam audax ſit impietas in verbis*

[1] 3. *contra Arria*,

bis veſtris. 3. *quia apparebit filium propter nos*, *&* *non nos propter filium conditos eſſe*; *non enim nos ejus cauſa creati fuiſſemus*, *ſed ille noſtri*; *adeo ut ipſe nobis*, *non nos illi gratiam debeamus*, &c.

4. Quod præſtantiores eſſemus Chriſto; quia ipſe eſſet propter nos, non nos propter ipſum, ut docet Cyrillus: [1] *Si propter nos factus eſt filius*, *&* *non nos propter filium*, *erimus nos multo ipſo præſtantiores*. Et rationem dat S. Baſilius, [2] quod *propter aliud*, *&* *non propter ſe factum eſt*, *vel eo minus eſt*.

5. Quod neceſſarium fuiſſet Adæ peccatum, ut Chriſtus exiſteret: nam inquit Rupertus poſt Auguſtinum: [3] *Si teſte Auguſtino*, *abſurdum eſſet dicere Adam non peccante generationes hominum non futuras*, *ac ſi propter homines*, *ut naſcerentur*, *peccatum fuiſſet neceſſarium*: *quid de iſto capite*, *&* *Rege omnium electorum Angelorum*, *&* *hominum ſentiendum*, *niſi quod ipſe maxime omnium neceſſarium habuerit peccatum*, *ut homo fieret*? &c.

Objic. 1. Illud eſt motivum Incarnationis, quod nobis innoteſcit ex Script. & Concil., & Patribus: non enim melius ſcire poſſumus conſilium Dei, quam ex ejus revelatione; ſed aliud motivum non declarant Script. Concil. vel Patres, quam redemptionem a peccato; ergo ceſſante motivo redemptionis, & peccato, non veniebat Chriſtus. Prob. min. 1. ex Euangelio, [4] *Sic Deus dilexit mundum*, *ut filium ſuum unigenitum daret*, *non ut judicet mundum*, *ſed ut ſalvetur mundus*. &c. Et ipſe Chriſtus; [5] *Venit filius hominis ſalvum facere*, *quod perierat*. Et Apoſt. [6] *Chriſtus J. venit in mundum peccatores ſalvos facere*; ergo inquit Auguſt. [6] *nulla cauſa veniendi Chriſto D.*, *niſi peccatores ſalvos facere*. *Tolle morbos*, *tolle vulnera*, *&* *nulla cauſa eſt medicinæ* &c. ergo &c.

Reſp. diſt. min. nullum aliud motivum dant Incarnationis prout de facto peracta eſt, con. abſolute, & in ſubſtantia, qualis futura erat præciſo peccato, & decreto redemptionis, neg. min. & conſ. prob. nam de facto venit Chriſtus, ut Redemptor: quia homo de facto egebat Redemptore; ſed veniſſet ut juſtificator, & glorificator ſive Patris ſui, ſive hominum, ſive

[1] 5. *Theſ.* 3. [2] *con. Eunom.* [3] 14. *de civit.* 23. [4] *Jo.* 3. [5] *Luc.* 10. [6] 1. *Tim.* 1.

ve Angelorum, ut de facto etiam venit, & quidem primario, & principaliter, & hoc ſenſu loquitur Auguſt. non enim veniſſet Salvator, niſi fuiſſent peccatores perditi, & ſalvandi.

Inſt. ex Concil.Nicæno, nam in ejus ſymbolo dicitur, quod *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit*; ergo nullum aliud aſſignatur motivum adventus Chriſti, quam ſalus noſtra.

Reſp. diſt. eodem modo conſ. ſc. de facto, & quoad modum incarnationis ſuæ, con.

Inſt.2. ex Patribus, qui excludunt alios fines præter redemptionem: ergo iſto fine ceſſante non veniſſet Chriſtus. Prob. ant.nam, inquit Cyrillus, *Filius Dei, ſi non peccaſſemus, neque factus eſſet nobis ſimilis, neque ſuſtinuiſſet*. Et Irenæus: *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum fuiſſet*, &c. Idem eodem modo docet Aug.cit. & alibi ſæpe, Ambr. l. de Incarnatione, & S. Leo ſer.3. in Pentecoſte. Et Greg.4. Reg. *Si Adam non peccaret, redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere nō oporteret; non enim venit vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*. Vides, quod non limitat de carne paſſibili, ſed abſolute dicit, quod non ſuſciperet carnem noſtram; ergo nullo modo fuiſſet &c.

Reſp.ſemper eodem modo; nam PP. loquuntur de adventu Chriſti, prout de facto peractus eſt, nec curarunt, vel cogitarunt de alio modo poſſibili, vel futuro, tali conditione ceſſante. Imo noſtræ ſententiæ favent aperte, ut vidimus. Dicunt quod factum eſt, non quod futurum erat, aut fuiſſet: nec enim Deus, vel Patres explicant omnia motiva,vel omnes circumſtantias conſiliorum ſuorum, ut cum Chriſtus dicebat diſcipulis, *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam*, ſc. publice, & vobiſcum, ſed occulte, & ſeorſim, *aſcendit ad diem*, poſt ipſos; ſic Samuel veniens ad ungendum David, manifeſtat unum ex motivis ſui adventus, & reticet aliud. Dicit, *jubente Deo ad immolandum Domino veni*, & de facto immolavit vitulum de armento; ſed præterea unxit David,& hoc erat præcipuum motivum ſui adventus.

Objic. 2. Per nos, præciſo peccato,veniſſet Verbum in carne impaſſibili; ergo non veniſſet vi præſentis decreti, quia per illud venit in carne paſſibili.

Reſp.

Reſ. diſt. conſ. ex vi præſentis decreti quoad modum, & circumſtantias, conc. quoad ſubſtantiam, neg. conſ. nam in priore ſigno decreta fuit incarnatio abſolute, & quoad ſubſtantiam præciſe a modo executionis, propter gloriam Dei, & excellentiam operis; in ſigno poſteriori, quo prævifum eſt peccatum, determinatus fuit modus, & circumſtantia paſſibilitatis.

Inſt. Si hoc eſſet, darentur duo decreta Incarnationis, unum quoad ſubſtantiam, & aliud quoad modum; ſed hoc eſt falſum, & ſine fundamento in Script. vel Patribus; ergo & illud. Prob. min. 1mo Script. & Patres unicum aſſerunt decretum de redemptione per paſſionem, ut patet ex textibus citatis.

Reſp. neg. min. & ant. prob. contrarium enim conſtat ex fundamentis noſtræ aſſertionis, nec ullum eſt inconveniens, quod in priori ſigno, in quo non decrevit permittere peccatum, decernat incarnationem Verbi abſolute, & in ſequentibus decreverit permittere peccatum, & illud reparare per idem myſterium, & paſſionem ejuſdem Chriſti determinando circumſtantiam paſſibilitatis.

Inſt. 2. Chriſtus non fuit prædeſtinatus, niſi ut Redemptor, & omnia ejus merita ſunt Redemptoris; ſed, ſi Adam non peccaſſet, non egebat Redemptore, quia non fuiſſet captivus; ergo nec fuiſſet Chriſtus. Prob. maj. nulla alia qualitas, vel meritum tribuitur Chriſto in Script. vel Patribus, niſi Redemptoris; ergo &c.

Reſp. diſt. min. [quidquid ſit de majori] & prob. ejus: non egebat redemptore liberante, con. præſervante, neg. min. nam Adamo non peccante adhuc potuiſſet peccare; & multis egebat auxiliis gratiæ, quæ Chriſtus nobis meruiſſet, & multa alia bona ex ipſo collegiſſemus.

Objic. 3. in illo ſigno, in quo dicitur decreta incarnatio, decreta eſt in carne paſſibili, vel impaſſibili, vel indifferenter, & præciſive; ſed nullum horum dici poteſt; ergo nec debet aſſeri tale decretum. Prob. min. 1. non paſſibili; quia, per nos, Adamo non peccante, veniſſet Verbum in carne impaſſibili. 2. non impaſſibili; quia cum venerit de facto in carne paſſibili, mutatum fuiſſet decretum, & ceſſante peccato, non veniſſet ex vi iſtius poſterioris decreti, ſed prio-

prioris. 3. Denique non indifferenter, & præciſive; quia talis voluntas, & decretum non decet Deum; eſſet enim quædam hæſitatio, & ſuſpenſio in actibus ejus; quod arguit imperfectionem.

Reſp. neg. min. & ad prob. dico, decretum fuiſſe abſolutum in illo priori ſigno, ſeu inſtanti rationis, quo decrevit mittere Verbum ſuum in carnem humanam propter ſemetipſum, & excellentiam operis, & dignitatem Chriſti, & ſanctificationem hominum, & Angelorum, & illud decretum ſic conſideratum præſcindit ab omni circumſtantia, & modo mortalitatis, vel immortalitatis, in ſequentibus vero ſignis, ſeu inſtantibus decrevit permittere peccatum Adæ, & redemptionem per Chriſtum, quem propterea voluit paſſibilem futurum. Ad prob.3. p.d. ant. decretum indifferens, & præciſivum arguit hæſitationem, ex modo noſtro concipiendi, & ex conditione, & ordine objectorum, tranſeat; a parte rei, vel voluntatis, aut intellectus Dei, neg. ant. in actibus Dei non eſt diſtinctio, vel ſucceſſio. Omnia enim uno, ac ſimpliciſſimo actu intelligit, & decernit; totuſque ordo, diſtinctio, & ſucceſſio petitur ex ordine objectorum, & rationis noſtræ, quæ ex ſua limitatione, & debilitate ſic concipit actus Dei, ut ſæpius dictum eſt.

Igitur juvabit repetere, quæ dicta ſunt de ordine decretorum Dei, ut melius hoc argumentum ſolvatur. Certe in omni ſchola, & ſententia hic ordo eſt admittendus, quamvis non omnia illa decreta eodem modo, & ordine diſponant.

CONCLUSIO II.

De facto Verbum incarnatum venit in carne paſſibili, ſeu mortali ex motivo redemptionis hominum a peccato Adæ; tum etiam propter actualia; principalius tamen propter originale.

Prob. 1. ex Scoto docente, [1] quod *nec redemptio fuiſſet facienda, niſi homo peccaſſet, ſed propter iſtam ſolam cauſam non videtur Deus prædeſtinaſſe illam animam ad tantam gloriam*. Et infra docet, (1) quod Chriſtus *meruit omnibus deletionem culpæ, & collationem gratiæ, & gloriæ*; ergo cenſet de facto Verbum,

[1] *Ibid.n.*4. [2] *d.*14.*n.*2.

bum, ſeu Chriſtum veniſſe in carne mortali ex motivo redimendi, & de facto redemiſſe.

Prob. 2. ex Script. nam *Sanguis J. Chriſti emundat nos ab omni peccato ... & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi*. Et Deus [1] *Pater miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*. Et Con. Tolet. VI. *Fatemur filium ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & noſtro arbitrio libero contraxeramus, reſolvenda prodiiſſe*. Hic habes utraque peccata.

Confir. ex textibus, quos adverſarii objiciunt in præcedenti; hæc enim ad minus probant incarnationem eo modo, quo peracta eſt, habuiſſe pro motivo Redemptionem a peccatis tam originali, quam aliis: Ut cum dicitur, quod filius Dei *propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit* &c. Nam ſalus noſtra pendet a remiſſione omnium peccatorum mortalium.

Prob. 2. p. Nam peccatum originale eſt radix omnium aliorum, & prima cauſa ſervitutis, ac mortis omnium filiorum Adæ, & per illud venit in omnes maledictio, & mors; ergo primo, & principaliter decreta fuit iſta incarnatio in carne paſſibili propter originale.

Confir. hoc per ſequentem concl. nam ſi futura erat hæc eadem incarnatio propter ſolum originale, multo magis patet iſtud fuiſſe principaliorem occaſionem ejus.

Objic. Peccatum actuale, ſeu perſonale eſt gravius originali, & culpabilius in nobis; ergo eſt potior cauſa Incarnationis ad Redemptionem. Patet ant. nam illud contrahitur propria malitia, originale vero ex aliena. Prob. conſ. nam gravior miſeria hominum eſt fortius, & principalius motivum miſericordiæ ad ſublevandum miſeros.

Reſp. diſt. ant. eſt gravius intenſive, con. extenſive, neg. ant. & conſ. prob. nam originalis gravitas penſatur ex eo, quod eſt radix omnium aliorum peccatorum, & cauſa malorum omnium, quæ patitur genus humanum. Et in eo *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*.

CON-

[1] 1. Jo. 1. & 2. & 4.

CONCLUSIO III.

Probabile eſt Chriſtum venturum propter ſolum peccatum originale ex vi præſentis decreti, & in carne paſſibili, non autem propter ſola actualia ceſſante originali.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui dans rationem, cur homo redemptus fuerit potius, quam Angelus, ponderat, & comparat ſolum peccatum Adæ cum peccato Angelorum; quaſi illud fuerit principalis, & prima occaſio redemptionis: nam, inquit poſt S. Anſ. *homo peccavit ſuggeſtione Diaboli, quæ fuit alterius rationis, & ſuggeſtione uxoris.*

Prob. 2. prima pars ex Script. & PP. nam dicitur (2) *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*: quod apud Bedam in gloſſa ord. *dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi.* Et Lyranus: *Dicitur peccatum in ſingulari, licet ille Agnus tulerit omnia.* Et Eccleſia memorat præcipue peccatum iſtud exclamans: *O neceſſarium Adæ peccatum*, &c. *O felix culpa*, &c. Et S. Greg. *Si Adam non peccaret, Redemptorem noſtrum carnem noſtram ſuſcipere non oporteret*; ergo &c.

Prob. 3. Tum quia conſtat ex præcedenti, hoc peccatum fuiſſe occaſionem principalem talis Incarnationis; cauſa autem, ſeu occaſio principalis cenſetur illa, qua ſola exiſtente eſſet effectus, & ea ſola ceſſante, non eſſet: Tum quia peccatum originale eſt maxima, & univerſalis miſeria, & radix omnium aliarum, & illo deleto, deletur peccatum totius mundi; ſed Chriſtus venit, ex vi præſentis decreti, tollere peccatum totius mundi, & univerſalem ejus miſeriam; ergo venturus erat propter iſtud peccatum, licet alia non fuiſſent.

Confir. Nam ceſſantibus omnibus aliis peccatis totum genus humanum perierat propter ſolum originale; ergo ideo decreta eſt incarnatio iſta, *ut ſicut per unum hominem mors intrarat in omnes, ita & per unum Chriſtum fieret omnis reſurrectio, & ſalus.*

Prob. 2. pars ex præcedenti: nam in eo caſu ceſſaret motivum principale talis adventus, nempe totius generis perditio, innumeri moriuntur, etiam nunc, ſine

(1) 3. *d.* 20. *q.* 1. *E. n.* (2) Jo. 1.

ſine peccato mortali, ut pueri, & amentes perpetui, & non pauci alii, ceteri vero poſſent emendare peccata per pœnitentiam cum auxiliis gratiæ per Chriſtum, quamvis impaſſibilem.

Confir. Quia tunc etiam ceſſaret notabile motivum miſerendi peccatorum: ſc. quia originale contrahimus culpa, & voluntate aliena, ſc. Adæ, iſti vero in hac ſuppoſitione peccarent propria voluntate; quæ, ex Scoto; potuit eſſe ratio, cur Angeli non ſint redempti.

Confir. 2. Nam ceſſante originali actualia eſſent graviora, & minus condonabilia, quippe venirent non ex infirmitate naturæ corruptæ, neque ex vehementia concupiſcentiæ, ſed ex malitia naturæ integræ. Ideo pauciores caderent, & rariora eſſent peccata; ergo &c.

Objic. con. 1. p. textus ſcript. & Patrum citatos pro præcedenti: nam probant Incarnationem ex vi præſentis decreti, & de facto fuiſſe in redemptionem omnium prorſus peccatorum; ergo ex vi talis decreti non eſſet futura propter ſolum originale. Prob. conſ. non minus perirent homines propter actualia, quam propter originale: ergo non minus egerent redemptione.

Reſp. neg. conſ. utramque ob diſparitates allatas inter peccatum originale, & actualia.

Objic. 2. Dicitur in Symbolo, *propter nos homines*, &c. Item, *Venit filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat*; ſed non minus damnamur propter actualia, quam propter originale; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. de facto, & tamquam motivo totali, & adæquato quoad poſſibilitatem, con. in hypotheſi concluſionis, neg. maj. & conſ. nam ſuppoſito ſolo originali omnes perierant, & ideo Deus haberet idem motivum principale incarnandi, & quærendi, quod perierat.

Objic. 3. Chriſtus principalius veniſſet propter majorem miſeriam; ſed peccatum actuale eſt major miſeria; ergo &c. Prob. min. gravius punitur, ſcilicet pœna damni, & ſenſus, & originale ſola damni; ergo &c.

Reſp. neg. abſolute min. & conſ. prob. non enim miſeria major penſatur ex ſola gravitate pœnæ, ſed

ex

ex aliis damnis, inter quæ maxima ſunt omnia peccata actualia, & eorum ſequelæ, uno verbo miſeriæ omnes, quæ ex originali oriuntur, ut diximus.

Objic.4. Originale non omnibus remittitur, ut patet de tot infantibus, de tot Gentilibus, & Judæis, & aliis, qui moriuntur ſine baptiſmo; ergo illa univerſalitas ſalutis ex originali non magis movit ad Incarnationem, quam ex peccatis actualibus.

Reſp.neg.conſ. Nam ex hoc ant. nihil recte infertur contra concl. ſufficit, quod per incarnationem parata, & oblata ſint remedia tam pro originali, quam actualibus, & culpa eſt eorum, qui pereunt, ſi non utantur.

Objic. cont. 2. p. ex Euangel. Paſtor dimittit 99. oves, ut quærat unam perditam. & S. Chryſoſt. dicit, *unius tantum animæ tantam eſſe jacturam, ut ob eam filius Dei fieret homo;* ergo non tantum propter omnia actualia, & ſola, ſed etiam propter unicum veniret.

Reſp. neg. conſ. tum quia parabola illa per unicam ovem non ſignificat unicam individualiter animam, ſed totum genus humanum in comparatione Angelorum, ut docent plurimi Patres: Tum quia ſic loquitur Chryſoſt. quatenus ſic Deus ſingulos curat, quaſi unicus eſſet curandus, ut ſcilicet ſummum, & infinitum Dei amorem erga ſingulos expendat, non autem prætendit, quod in rigore veniſſet pro uno ſolo homine.

QUÆSTIO II.

De cauſa morali, ſeu meritoria Incarnationis. An Chriſtus meruerit, vel mereri potuerit ſuam exiſtentiam.

CUm quæritur de cauſa meritoria, dubitari poteſt 1. de ipſomet Chriſto, an per aliqua opera antecedentia, vel conſequentia ſuam exiſtentiam, & unionem actualem cum Verbo meruerit, vel mereri potuerit eam, & quidem vel prioritate, aut poſterioritate temporis, aut naturæ: ut autem eam mereri poſſet prius, deberet extitiſſe aliquo tempore, vel natura capax meriti, & perſonalitatis, antequam uni-

uniretur Verbo; ſc. per opera, quæ naturaliter priora eſſent unione hypoſtatica. Ut vero eam mereretur per opera poſteriora, oporteret, ut Deus eum prædeſtinaſſet futurum in tanta dignitate, & ſtatu ex prævisione meritorum ejus futurorum, ſicut dicimus alios homines prædeſtinari ad gloriam ex prævisis eorum meritis.

Rurſus quæri poteſt de merito incarnationis quoad *ſubſtantiam*, quæ eſt ipſa unio hypoſtatica Verbi cum iſta humanitate ſingulariter completa uſque ad perſonalitatem creatam excluſive; vel quoad circumſtantias ejuſdem, ut ſunt locus, tempus, modus, & aliæ circumſtantiæ, quas notant Euangelia, de Annuntiatione Conceptionis ejus, de Virgine Matre concipiente, & pariente, de Angelis, de ſtabulo, de Adoratione Magorum, &c. Tum videbimus de Virgine Matre, & de Patriarchis, & Prophetis.

CONCLUSIO I.

CHriſtus non meruit ullo modo ſuam unionem cum Verbo. Eſt contra Neſtorium, & Fauſtinum, volentes Chriſtum fuiſſe aliquando purum hominem, & tunc meruiſſe aſſumptionem ſuæ humanitatis a Verbo.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Gratuite Deus hoc operatur ex ſumma gratia, quia ſumma gratuita condeſcenſione confert naturæ illud, quod minime poteſt attingere, & quod maxime illam excedit.* Item alibi dicit, (2) quod *in univerſis operibus Dei non fuit aliquod opus meræ gratiæ; niſi ſola incarnatio filii Dei*; quod probat ex Auguſt. (3) dicente, *In rebus per tempus ortis ſummam gratiam eſſe hominem fieri Deum*, loquitur de merito incarnationis quoad ſubſtantiam.

Prob. 2. ex illis Script. locis, in quibus Incarnatio dicitur opus meræ gratiæ, & miſericordiæ ſeu dilectionis Dei, ut cum dicitur, [4] *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Et, *Secundum miſericordiam ſuam magnam ſalvos nos fecit* &c. Et, *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos*, &c.

Prob. 3. ex Patribus, nam inquit Auguſt. [1[*Gratia*

[1] 3.*d*.2.*q*.2.*K*.*n*.15. (2) 4.*d*.1.*q*.1.*M*.*n*.11.
(3) 13.*Tr*.19. (4) Jo.3.

tia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus... hic merita conticeſcant ... quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit, ipſe in nobis membris & ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Et alibi: (1) *Hoc omnino granditer, & evidenter gratia Dei commendatur: quid enim natura humana in homine Chriſto meruit, ut in unitatem perſonæ unius filii Dei ſingulariter eſſet aſſumpta?* Et ſic de aliis.

Prob.4.ratione; nam ſi Chriſtus meruiſſet unionem Verbi, hoc feciſſet vel per opera præcedentia unionem, vel per ſequentia, ut præviſa, intuitu quorum eſſet prædeſtinatus, & unitus; ſed neutrum dici poteſt; ergo nullo modo meruit: prob. min. 1. non per præcedentia; nam *actiones ſunt ſuppoſitorum*, & prius eſt exiſtere, & ſuppoſitari, quam operari; ſed Chriſtus nullo momento extitit perſonaliter ante unionem cum Verbo; ergo illam non meruit antecedenter. 2. non ex præviſis meritis ſubſequentibus; nam hæc omnia Chriſti merita oriuntur ab ejus ſuppoſito, & ſupponunt eum ſuppoſitatum ſuppoſito Verbi; ergo non potuerunt habere rationem meriti ad illam unionem: ant. patet, non enim prævidebatur operari per humanitatem ante ejus unionem, & ſuppoſitationem: prob. conſ. quia *principium meriti non cadit ſub meritum*; ſed illud ſuppoſitum ex humanitate, & perſona Verbi eſt principium meriti; ergo &c. Prob. min. ex Auguſt. *Neque illam ſuſceptionem hominis ulla merita præceſſerunt, ſed ab illa ejus ſuſceptione merita ejus cuncta cœperunt.*

Confir. ex eodem. *Ille homo, ut a Verbo coæterno Patri in unitatem perſonæ aſſumptæ unigenitus Dei filius eſſet, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecumque præceſſit... ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

Confir. 2. Quia meritum præſupponit ſtatum gratiæ ſanctificantis, & iſte ſupponit naturam ſubſiſtentem; ſed humanitas Chriſti non fuit unquam ſubſiſtens, niſi per ſubſiſtentiam Verbi, mediante unione hypoſtatica; ergo nec mereri potuit hanc unionem per ullum opus vel realiter præcedens, vel præviſum.

Objic. 1. ex Script. Unitio divinitatis per unionem hy-

[1] 1. *de præd.*

hypoſtaticam tribuitur meritis ejus: nam illi applicatur iſtud Pſalmiſtæ: [1] *Dilexiſti juſtitiam, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ.* Et illud Apocalypſis: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere divinitatem*, &c. ergo unio hypoſtatica cadit ſub meritum Chriſti.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam illi textus non ſic intelliguntur a Patribus. Quidam per *oleum lætitiæ* intelligunt gloriam Chriſti reſurgentis, ut Hieron. Alii gaudium ex conſcientiæ nitore, ut Ambroſ. Alii particulam *propterea* explicant de cauſalitate finali, non de efficiente, quaſi diceret: *Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ, ut diligas juſtitiam,* ut vertit gloſſa interlin. & Auguſt. Apocalypſis autem loquitur de merito manifeſtationis, & agnitionis divinitatis Chriſti, & cultus, atque honoris inde illi debiti, non autem de ipſa Deitatis unione. Ideo dicitur *accipere honorem, & gloriam*, &c. Imo & Auguſt. in Apocalyp. hom. 4. pro, *divinitatem*, legit *divitias*.

Objic. 2. Chriſti humanitas prius natura exiſtit completa, & ſingularis, quam uniatur Verbo; ergo prius eſt apta operari, & mereri; nam *operationes ſunt ſingularium*, ex Philoſopho; ergo humanitas meruit per operationes priores unione, ſaltem prioritate naturæ.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus. Nam Philoſophus dicit actiones eſſe ſingularium, quia neſciebat ſubſiſtentiam eſſe quid diſtinctum a natura ſingulari completa; neque nos id ſcimus, niſi ex hoc myſterio, ideo dicimus actiones eſſe ſuppoſitorum, & prius eſt naturam ſubſiſtere, quam agat.

Objic. 3. Si quid impediret Chriſtum meruiſſe ſuam unionem cum Verbo, maxime quia *principium meriti non cadit ſub meritum*; ſed hoc non impedit; ergo nihil. Prob. min. omne meritum Patriarcharum, & hominum venit ex Incarnatione, ſeu ex Chriſto; ſed per Chriſtum Patriarchæ meruerunt incarnationem quoad aliquot circumſtantias, ut videbimus, & ſic incarnatio quoad illas circumſtantias cadit ſub meritum ex ipſamet proveniens; ergo principium meriti cadit ſub meritum ex eodem principio veniens; ſi autem incarnatio quoad circumſtantias cadit ſub meritum humanum, potuit & cadere quoad ſubſtantiam reſpectu Chriſti.

Reſp.

[1] *Pſ. 44.* [2] *Apoc. 5.*

Reſp. neg. min. & conſ. prob. atque ſubſumptum. Nam quod Patriarchæ per ſuam fidem in Chriſtum venturum, & ex meritis ejus meruerint accelerationem tanti myſterii, non facit, ut principium meriti, nempe ſanctitas, & dignitas Chriſti ex unione hypoſtatica ceciderit ſub meritum, ſed aliquid, quod eſt illi omnino extrinſecum, ut illæ circumſtantiæ, quas inde mereri potuerunt illi Patres. Unio hypoſtatica eſt principium non tantum effectivum, ſed etiam formale meritorum Chriſti, ideo non poteſt cadere ſub meritum ejuſdem.

Objic. 4. Deus potuit prævidere merita Chriſti futura prius quam decerneret executionem incarnationis, & ex præviſione illa potuit decernere illam, & exequi, ſicut dicimus Deum decernere gloriam, & prædeſtinare ex præviſis meritis Chriſti; ergo Chriſtus potuit eam mereri; ergo de facto meruit, quia in tantum significari debet Chriſtus, quantum poteſt ſine implicantia.

Reſp. neg. maj. vel ſic diſt. potuit prævidere merita ut poſſibilia, con. ut futura, neg. maj. & min. nam Deus non potuit prævidere merita Chriſti, ut futura, prius quam decerneret eum, ut futurum, nec per conſequens antequam decerneret exequi unionem cum Verbo. Diximus in tract. I. medium viſionis futurorum eſſe decreta ipſius, quibus præciſis, non ſunt futura, nec per conſequens objecta viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ.

CONCLUSIO II.

Neque de potentia Dei abſoluta potuit Chriſtus mereri ſuam unionem hypoſtaticam cum Verbo. Hic non conveniunt Scotiſtæ.

Prob. I. ex Scoto, [1] Nam *in illo inſtanti naturæ, in quo natura perſonaretur in ſe, ſi non aſſumeretur* (ſi ſibi relinqueretur) *in eodem inſtanti perſonatur ab alio*, ſc. a Verbo, *quando aſſumitur .... ſed prius naturaliter perſonaretur in ſe, quam haberet habitum gratiæ ad merendum, quia habitus eſt principium ad operandum, & per conſequens perfectio ejus, cui competit operari: operari autem eſt ſuppoſiti*; ergo humani-

[1] *3.d.2.q.2.G.*

tas prius naturaliter haberet rationem ſuppoſiti, quam gratiam, vel habitum aliquem, qui eſt tantum principium operandi. Ex hac doctrina ſubtili, & ſolida.

Prob. 2. Illud meritum eſset ex operibus prioribus, vel poſterioribus unione; ſed neutrum fieri poteſt, etiam de potentia Dei abſoluta; ergo &c. prob. min. 1. de prioribus: omnis natura prius in ſe exiſtit, & ſubſiſtit, quam operetur ad extra, & quidem neceſsario neceſſitate metaphyſica. Deus poteſt quidem ſupplere in naturis defectum propriæ perſonalitatis, at non poteſt facere ut natura agat prius, quam ſubſiſtat propria ſubſiſtentia, vel aliena. *Nam actiones ſunt neceſſario ſuppoſitorum*; ergo nec de potentia abſoluta poſſet humanitas mereri in inſtanti ullo etiam naturæ priori perſonationem per Verbum, aut per ſe ipſam. prob. ant. in illo inſtanti priori, quo ſupponitur agere humanitas, eſſet, & non eſſet ſubſiſtens; ſed hoc implicat; ergo &c. prob. maj. eſſet ſubſiſtens, quia operaretur ad extra, non eſſet autem ſubſtantialiter completa, nec ſubſiſtens, quia illa operatio præſupponeretur ſubſiſtentiæ propriæ, & divinæ.

Confirm. Nam ad proprium meritum de condigno requiritur aliqualis æqualitas operis cum præmio, quia debet fundare aliquam obligationem juſtitiæ ad reddendum præmium, dato opere: Sed nulla poteſt, per ullam potentiam, eſſe æqualitas inter opera humanitatis præciſe a ſuppoſito divino, & unione hypoſtatica, qua homo fit Deus, ſeu qua humanitas elevatur ad Deum in unitatem ſuppoſiti; ergo per opera quomodocumque priora unione non poteſt Chriſtus mereri ſuam unionem cum Verbo.

Prob. jam illa min. principalis quoad 2. p. ex dictis: nam opera poſteriora ſuppoſitatione jam orirentur, & acciperent dignitatem, & valorem a ſuppoſito divino; ergo non poſſent mereri hanc ſuppoſitationem, alioqui principium meriti caderet ſub meritum, & idem eſſet cauſa ſui ipſius.

Prob. 3. contra illos, qui putant hoc fieri potuiſse de potentia abſoluta per opera tempore priora unione, ſeu antequam humanitas uniretur Verbo: nam in illo priori tempore Deus debuiſſet conſervare humanitatem ſine ulla perſonalitate, vel eam permitte-

re

re ſuæ perſonalitati, ita ut in alterutro ſtatu potuiſſet operari; ſed neutrum dici poteſt; ergo nullo modo potuit meritum illud præcedere tempore unionem. Prob. 1. p. min. 1. quia in illo ſtatu humanitas fuiſſet, & non fuiſset completa, & ſubſiſtens; ſed hoc implicat; ergo &c. prob. maj. non fuiſset, ut ſupponitur, fuiſset vero, quia in ſe ſubſtitiſset ſufficienter ad operandum, ſicut de facto ſubſiſtit, nec Deus aliter potuiſset eam ſic conſervare, quam ſupplendo perſonalitatem; ergo fuiſset ſubſiſtens, vel per ſe, vel per aliud. 2. quia in noſtra ſententia ratio ſubſiſtentiæ conſiſtit in negativo, & ſubſiſtentia neceſsario reſultat in natura ſingulariter, & poſitive completa, niſi a Deo impediatur per ulterius complementum, & terminationem, ſc. uniendo illam alteri ſuppoſito, & hoc ipſo, quod impediret reſultantiam perſonalitatis propriæ, ſuppleret per aliam; ergo ſemper illa natura eſset perſonata propria, vel aliena ſubſiſtentia.

Prob. 2. p. min. nam non negamus, quin Deus de potentia abſoluta poſset aſsumere naturam jam perſonatam propria perſonalitate, quam per aſsumptionem deſtrueret; ſed in hoc caſu Chriſtus non meruiſſet ſuam unionem hypoſtaticam; ergo &c. prob. min. illa perſona fuiſset purus homo, & alia perſona a Chriſto; ergo ſic Chriſtus non mereretur ſuam unionem cum Verbo, ſed alia illa perſona hoc illi mereretur; iſtud autem etiam eſt impoſſibile, ſaltem de merito condigno propter infinitam inæqualitatem operis pure humani cum tanto bono, quod non cadit ſub meritum pure humanum, ut dicebamus; ergo abſolute, & per nullam potentiam potuit Chriſtus ullo modo mereri ſuam unionem cum Verbo.

Dices: Saltem potuiſset eam mereri de congruo.

Contra 1. præcedens ratio excludit etiam tale meritum in perſona Chriſti, de qua tamen non procedit concluſio, nam humanitas cum illa ſubſiſtentia ante unionem non eſset Chriſtus, ſed alia perſona pure humana. 2. quia ſi per meritum de congruo nihil aliud intelligitur, quam aliqualis bonitas, quæ moveat Deum ex ſua ſumma bonitate ad tale miraculum, id forte poſset dici, ſed adhuc nimis large ſu-

mereretur nomen meriti, idem enim dici poſſet de quavis creatura rationali cum gratia habituali: at proprie loquendo, talis dignitas, qualis eſt dignitas Chriſti, non videtur cadere ſub meritum, ne quidem de congruo, ſed, ut dicebat Scotus, poſt S. Auguſt. *Summa gratia eſt* (non autem meritum de congruo) *hominem fieri Deum*.

Objic. 1. Deus agens ex potentia ſua abſoluta agit ſupra leges communes naturæ; ſed quod naturæ non operentur, nec mereantur niſi ſubſiſtentes, eſt ſecundum leges naturæ; ergo de potentia abſoluta Dei poſſent aliquæ naturæ operari, & mereri ante ſuppoſitationem; ergo humanitas Chriſti potuit mereri per opera naturaliter, aut etiam tempore præcedentia ſuppoſitationem ejus a Verbo.

Reſp. diſt. maj. ſupra leges phyſicas, conc. metaphyſicas naturæ, neg. maj. & conſ. nam ad min. Emanatio, ſeu reſultantia ſubſiſtentiæ in natura exiſtenti, & ſingulariter completa eſt de legibus metaphyſicis rerum, & maxime in ſententia noſtra ponente rationem ſubſiſtentiæ in negativo. Nam hoc ipſo, quod talis natura non indiget communicari ulteriori complemento ſubſtantiali, nec poteſt de ſe ulterius communicari, eſt eſſe in ſe ſubſiſtens, & ultimo terminatum: nec Deus poteſt hoc impedire, niſi ex ſua abſoluta potentia illam terminet per alienum ſuppoſitum, ut facit in Chriſto.

Inſt. Deus potuit infundere gratiam animæ Chriſti, antequam uniret eam nec corpori, nec Verbo; ſed in illo inſtanti potuiſſet agere, & mereri ex illa gratia; ergo a fortiori in inſtanti unionis cum corpore priori unione hypoſtatica.

Reſp. diſt. min. potuiſſet mereri aliquid creatum, v. g. gloriam, vel gratiam aliquam, & ut perſona pure humana, con. unionem hypoſtaticam, & ut perſona Chriſti ſubſiſtens in Verbo, neg. min. nam nec unio iſta cadit ſub meritum puræ creaturæ, nec illa perſona fuiſſet Chriſti, de quo tamen loquimur.

Inſt. 2. Angeli in ipſo inſtanti ſuæ creationis ſe diſpoſuerunt, aut potuerunt diſponere ad gratiam habitualem, & per illam operari, & mereri; ergo idem potuit Deus conferre humanitati Chriſti in ipſo inſtanti ſuæ formationis, & priori naturaliter unione hy-

hypoſtatica; ergo pro illo inſtanti potuit mereri iſtam unionem.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia Angelus in illo inſtanti ſuæ creationis, & præcedenti naturaliter infuſionem gratiæ ſubſiſtebat, non autem humanitas Chriſti ante unionem, & ideo in illo priori non poterat operari.

Objic. 2. Humanitas poſſet præintelligi operans priuſquam locata, vel durans in loco, vel tempore determinato; ergo & priuſquam ſubſiſtens per ullam determinatam ſubſiſtentiam. Prob. conſ. non eſt magis neceſſaria connexio naturæ cum ſubſiſtentia, quam cum locatione, vel duratione, nec minus diſtinguitur ab ea, quam ab iſtis; ergo.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. non enim dicitur, quod actiones ſunt ubicatorum, vel durantium, bene vero quod ſint ſuppoſitorum: item duratio, & ubicatio ſe habent tantum concomitanter ad operationes, ſubſiſtentia vero antecedenter.

Inſt. Quamvis ſubſiſtentia propria cujuslibet naturæ deberet præcedere actiones, id non eſſet verum de ſubſiſtentia Verbi, quia iſta eſt indebita, illa vero eſt debita; ergo prioritas ſubſiſtentiæ ad operari non impedit, quin humanitas Chriſti poſset operari, & mereri antecedenter ad unionem cum Verbo.

Reſp. neg. ant. & conſ. rationis; nam licet ſubſiſtentia Verbi non eſset debita humanitati abſolute; erat tamen debita pro eo inſtanti temporis, & naturæ, quo ei debebatur ſubſiſtentia propria, quam ſupplebat.

Objic. 3. Gratis dicitur ſubſiſtentiam eſse conditionem ita neceſsariam naturæ, ut agat: ita ut ne quidem per Dei potentiam abſolutam poſſit diſpenſari; ergo Deus potuit ita diſpenſare cum humanitate Chriſti, ut ſe diſponeret ad hanc unionem. Prob. ant. nulla enim in hoc apparet implicantia, ſine qua nihil debet negari omnipotentiæ.

Reſp. neg. ant. utrumque: & implicantia patet ex dictis, quia cum nulla natura ſubſtantialis non ſubſiſtens poſſit operari, ſequitur, quod ſi illa humanitas præciſe a ſubſiſtentia potuiſset, vel poſset operari meritorie, eſset, & non eſset ſubſiſtens, ſeu ultimo terminata.

Inſt. anima ſeparata non eſt ſubſiſtens, nec ultimate terminata, & tamen operatur de facto; nam intelligit, & vult. Item accidentia exiſtunt, & conſervantur ſine ſubjecto in Euchariſtia; ergo ad operari non requiritur neceſsario ſubſiſtentia, ſaltem reſpectu potentiæ abſolutæ.

Reſp. neg. conſ. vel ſic diſt. non requiritur in natura non ſuppoſitabili, con. in natura ſuppoſitabili, neg. conſ. anima autem, & accidentia non ſunt ſuppoſitabilia, ſaltem in ſtatu illo incompleto.

QUÆSTIO III.

An, & quid meruerint antiqui Patres, & B. Virgo circa incarnationem.

JAm diximus incarnationem eſse puram, & ſummam gratiam, ita ut quoad ſubſtantiam, & exiſtentiam, ſeu executionem non cadat ſub meritum, nequidem ipſius Chriſti. Quærimus hic an Patres antiquiores incarnationis executionem meriti fuerint, aut mereri potuerint de illius circumſtantiis, v. g. ut Meſſias ex aliquorum ex illis ſtirpe carnem ſumeret, aut citius veniret, & quidem merito ſaltem de congruo.

CONCLUSIO I.

SAncti Patres non potuerunt mereri niſi ad ſummum aliquas circumſtantias extrinſecas incarnationis Verbi; v. g. incarnationem in tali ſtirpe, aut in tali tempore. Eſt communis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto dicente, [1] ut prædiximus, *quod nequidem ex parte Mariæ non erant bona ejus merita abſolute reſpectu incarnationis, ſed forte accelerationis, ut impleretur illa incarnatio præordinata;* ergo multo minus alii Sancti Patres.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. & PP. nam ubique legimus hoc myſterium eſse puram, & ſummam gratiam. *Apparuit gratia, & benignitas ſalvatoris Dei.* Et, *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos &c. Sic Deus dilexit mundum* &c. Et inter Patres citat Scotus

[1] 4. *d.* 2. *q.* 1. *M. n.* 11.

Scotus Auguſt. dicentem, *in rebus per tempus ortis illa eſt ſumma gratia, quod homo in unitate perſonæ conjunctus eſt Deo.* Et ipſa B.V. agnoſcit, quod *fecit Deus potentiam in brachio ſuo* &c.

Prob. 3. ex præcedenti, quia Chriſtus eſt caput, finis, & primus prædeſtinatorum, & ex ipſo, & per ipſum ſunt merita noſtra; ergo nullus homo potuit ejus exiſtentiam mereri, ut patet ex dictis de motivo primario incarnationis.

Prob.2. p.1. ex Script. in qua legimus Meſſiam oriturum ex ſemine Abraham, & poſt aliquod tempus in conſolationem populi ſui, ut cum dicitur Abrahæ, [1] *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Et hoc *quia feciſti rem hanc*, ſc. volendo ex obedientia immolare filium ſuum. Quod Apoſtolus explicat de Chriſto. Pro acceleratione autem facit illud Danielis: [2] *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum*. Et illud Pſalmiſtæ, [3] *Propter gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*. Hæc de Meſſia venturo explicant multi PP. Et eo ſpectabant orationes aliorum: [4] *Emitte Agnum Domine* &c. Et, *rorate Cœli deſuper*: Et, *utinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes* &c. His, & ſimilibus precibus petebant, non decretum incarnationis, quam ſciebant decretam, & promiſsam, & futuram, ſed accelerationem executionis ejus, & hoc non peterent, niſi crederent id placere Deo, & ſe ab eo aliquid obtenturos. Ut de facto legimus accidiſse apud Malachiam. *Ecce ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator* &c.

Prob. 2. nam illi SS. PP. & Prophetæ crediderunt Meſſiam venturum, & in fide ejus juſtificabantur, & ſine dubio illius adventum ſumme deſiderabant, & enixe petebant, & firmiter ſperabant, ut colligitur ex Script.cit. & aliis.& id Chriſtus ipſe teſtatur de Abraham, quod [5] *exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt*. Et Deus hunc adventum illi promiſerat. [6] *Jusjurandum, quod juravit ad Abraham daturum ſe nobis*; ergo nihil vetat dicere, Deum elegiſse Abraham, ut ex ejus ſemine oriretur Meſſias intuitu aliqualium meritorum ejus, & aliorum vo-

[1] *Gen.22.* [2] *Dan.9.* [3] *Pſal.11.*
[4] *Iſa.16.& 45.& 64.*
[5] *Jo.8.* [6] *Luc.1.*

tis, & precibus, & meritis conceſſiſſe ejuſdem adventus accelerationem.

An autem hæc meruerint vero aliquo merito, an obtinuerint per modum impetrationis, non diſputo. Certum eſt, quod in precibus eſt vera bonitas moralis, & aliqua ratio meriti, quod agnoſcit Eccleſia, cum in collectis, & orationibus immiſcet nomen meriti, ut *petita conſequi mereamur* &c.

Objic. Nullus illorum Patrum fuit ab æterno, vel præceſſit decretum incarnationis, & omnium circumſtantiarum tam extrinſecarum, quam intrinſecarum; ergo nullus eorum potuit quidquam mereri, ne quidem circumſtantias ullas. Prob. conſ. nam meritum debet præcedere præmium.

Reſp. 1. hoc arg. nimis probare, nam idem objici poteſt non tantum contra merita prædeſtinationis, ſed etiam contra omne meritum, & impetrationem etiam de præſenti. Nam omnia opera, quæ dicuntur meritoria, vel impetratoria, ſunt poſteriora decretis æternis de omnibus, quæ Deus facit in tempore.

Reſp. 2. neg. conſ. nihil enim impedit, quin Deus decreverit ab æterno ſumere humanitatem Verbo ſuo uniendam ex ſemine Abrahæ ob præviſa ejus merita, & eſt de fide, quod hoc illi præſtitit, *Quia feciſti rem hanc* &c. ſc. intuitu obedientiæ, & ſacrificii. Idem eſt de aliis Patribus reſpectu accelerationis, & circumſtantiarum temporis adventus Chriſti, ſive id obtinuerint ex meritis rigoroſis, ſive impetratione.

Objic. 2. vel Deus ante præviſionem meritorum Patrum decreverat incarnationem quoad illas circumſtantias, quas dicuntur meruiſſe, vel nullas decrevit poſt præviſa illorum merita quoad hoc; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec debet aſſeri ullum tale meritum. Prob. min. non 1. alioquin diceretur, quod poſt præviſionem meritorum Deus mutavit decretum, quod nemo feret; non 2. nam ſic admittenda eſſent plura decreta circa incarnationem; unum circa ſubſtantiam, & circumſtantias principales, & aliud circa iſtas extrinſecas; ſed hoc etiam gratis diceretur, quia gratis multiplicarentur decreta divina circa idem opus.

Reſp. ad maj. futuritionem, & ſubſtantiam fuiſſe decreta antecedenter ad præviſionem meritorum, & peccati, ut diximus, quoad circumſtantias vero poſ-

ſibi-

ſibilitatis, & ſimilium decreta fuit poſt prævifionem peccati, & meritorum. Ad prob. in contrarium neg. min. nam quid inconveniens eſt dicere, quod plura intervenerunt decreta partialia ſecundum modum noſtrum concipiendi circa idem opus quoad diverſas circumſtantias ejus, ut patet ex dictis de motivo? & id neceſſario fatendum eſt in doctrina Scoti de incarnatione futura, Adamo non peccante.

Dixi autem in concl. (*ad ſummum*) quia, ut verum fatear, non caret probabilitate ſententia negans Patribus abſolute omne verum, & proprium meritum circa hoc opus in omni creatura. Et id videtur Doctor ſentire, dum permiſſive tantum loquitur, ut patet ex ejus verbis.

CONCLUSIO II.

B*Eata Virgo non meruit ſuam maternitatem, ſed tantum circumſtantias aliquot incarnationis, & hoc de congruo*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. nam, inquit, [1] *ſi tempore conceptionis præceſſerunt aliqua merita Mariæ, tamen non erant bona abſolute reſpectu incarnationis, ſed forte reſpectu accelerationis, ut impleretur illa incarnatio prœordinata*; ergo totum meritum, quod habere potuit B. V. circa incarnationem fuit de aliquibus circumſtantiis extrinſecis, non autem de intrinſecis, ut eſt maternitas Chriſti.

Prob. 1. p. quia principalis valor, & dignitas Mariæ fundatur in ipſa dignitate maternitatis, & gratiarum ex vi electionis divinæ ad illam magnitudinem; ſed principium meriti non cadit ſub meritum; ergo nec maternitas.

Confir. Nam tanta dignitas longe excellit omne meritum puræ creaturæ; ergo eam non meruit. prob. 2. nam ex dictis de motivo incarnationis, & de peccato originali, ſicut incarnatio decreta fuit ante prævifionem peccati, ita & ante omne meritum, vel demeritum ullius creaturæ; Chriſtus enim filius ejus *eſt primogenitus omnis creaturæ*; & tam Mariæ, quam ejus filio ſub nomine ſapiētiæ aptātur hæc verba: *Ab initio, & ante ſæcula creata*; & iſtud, *Dominus poſſe-*

[1] *Ibid.*

poſſedit me in initio viarum ſuarum. Et, Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram &c. ergo Deus libere, & liberaliter omnino eam elegit ad maternitatem filii ſui ante præviſa ulla ejus merita, ſaltem quoad ſubſtantiam incarnationis, & maternitatis.

Prob. 2. p. nam SS. PP. imo & Euangelium tribuunt illi aliquale meritum circa iſtud mirabile opus; v. g. circa circumſtantias executionis, ut dicebamus de Patriarchis, & hoc per meritum concomitans. Dicitur, [1] *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi*; ergo ex Euangel. agnoſcitur in Maria meritum aliquod ſaltem circa executionem incarnationis.

Confir. 1. ex illis verbis Chriſti ad fœminam laudantem viſcera, & ubera matris ejus. *Beatus venter, qui te portavit* &c. nam ex Chriſti reſponſo colligitur eam laudabiliorem eſſe ex merito fidei, quam ex dignitate matris. [2] *Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei*; ergo *beatior fuit Maria concipiendo fidem Chriſti, quam carnem Chriſti*, inquit Auguſt.

Confirm. 2. ex verbis Eccleſiæ, & Patrum, nam dicimus cum illa, *Quem meruiſti portare....* Et quod *dignum filii Dei habitaculum fieri meruit*. Et Ambroſ. [3] *quæ digna fuit, ex qua filius Dei naſceretur*. Et Baſil. [4] *digna Unigeniti divinitati conjungi fuit*. Et Epiph. [5] *quæ digna facta eſt habitaculum fieri filii Dei*. Quæ autem eſſet illa dignitas, niſi meriti? quod expreſſe dicit Auguſt. [6] *Talis eligitur Virgo, quæ tantum in ſe haberet meritum, ut Dei filium in ſe ſuſciperet*. Et Fulgent. [7] *ipſum Deum hominem factum & concipere, & parere.... promeruit*. Et Pat. Damian. [8] *Singularis ejus ſanctitas, & gratia hoc promeruit, quod ſuſceptione Dei ſingulariter judicata eſt digna*. Denique ut alios mittam, hoc tribuitur orationibus ejus: *Quomodo illam inacceſſam attigit maieſtatem, niſi pulſando, petendo, quærendo?*

Dices, hæc nimium probare, probarent enim ipſam meruiſſe non circumſtantias, ſed ſubſtantiam incarnationis, & maternitatem.

Contra: non loquuntur de merito rigoroſo, & antece-

[1] *Luc.* 1. [2] *de S. Virgin.* 3. [3] 2. *de Virgin.*
[4] *hom. de human. gen.* [5] *Hær.* 7. *ſerm.* 2.
[6] *nativ. ibid.* [7] *de incar.* 7. [8] *ſer. de aquæ duc.*

tecedenti, ſed de quadam dignitate, quam confert meritum concomitans, & congruum.

Objic. 1. contra 1. p. B. Virgo meruit ſuam beatitudinem, & ultimum gradum gratiæ diſpoſitivum ad maternitatem; ergo & maternitatem. Prob.conſ. nam qui poteſt, quod eſt majus, poteſt & minus; ſed beatitudo eſt ultimus gradus gratiæ, ſicut quid majus maternitate illa; ergo &c.

Reſp.neg.conſ. & diſt. maj.prob.poteſt minus in eodem genere, & linea præmiorum, & effectuum, con. in diverſo genere, neg. maj.& conſ. beatitudo, & generatio non ſunt dona ejuſdem generis, aut lineæ; maternitas divina reſpicit ordinem hypoſtaticum, quem Deus non ſubjecit merito, ſed ſuæ puræ voluntatis arbitrio reſervavit; beatitudinem vero propoſuit ut coronam, & mercedem meritis conſequendam.

QUÆSTIO IV.

De cauſa efficiente Incarnationis.

QUærimus hic de cauſa phyſica, per cujus actionem opus incarnationis, ſeu Chriſtus poſitus eſt in eſſe, prout importat compoſitum ex humanitate, & perſona Verbi mediante unione hypoſtatica talis naturæ cum illa perſona divina. Uno verbo agimus de cauſa efficiente talis unionis: An Beata Virgo influxerit in illam, an perſona Verbi in eamdem aliquem habuerit influxum ſpecialem, vel in productionem humanitatis, aut in conſervationem ejus; idem querimus de Spiritu S.

Duæ igitur cauſalitates, ſeu actiones hic conſiderantur, una circa humanitatem Chriſti, quæ conſiſtit in productione, & organizatione corporis ejus in utero matris, & in creatione animæ ejuſdem: 2. in unitione humanitatis ſic productæ ad perſonam Verbi; ex qua unitione reſultat ille Deus homo.

CONCLUSIO I.

INcarnatio eſt effective, & indiviſim a tota Trinitate, quamvis illud opus tribuatur ſpecialiter

Spiritui ſancto per appropriationem. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto docente generaliter, quod [1] *prima cauſalitas reſpectu creaturarum eſt neceſſario in tribus Perſonis divinis*. Unde manavit iſtud axioma, quod *opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa*; ſed iſtud opus eſt ad extra; ergo &c.

Prob. 2. ex Concil. Later. IV. ut habetur c. *firmiter*, [2] *Tres perſonæ divinæ ſunt univerſorum principium* .... & ad propoſitum, *Unigenitus Dei filius Jeſ. Chriſt. a tota Trinitate communiter incarnatus ex Maria ſemper Virgine, Spiritus S. cooperatione conceptus*. Idem colligitur ex alio Lateran. & Tolet. VI. & ex omnibus Patribus, qui unquam hac de re loquuti ſunt. Nam, inquit Auguſt. relatus in Canone, [3] *ſic enim abſit, ut quiſquam Catholicus dixerit, quod ſuadet Spiritus S. non Dominum ſuadere, & ipſe Dominus ſit, & inſeparabilia ſint opera Trinitatis*. Et hoc patet ex dictis de Trinitate, & creatione.

Prob. 3. ratione: Incarnatio totaliter ſumpta importat productionem Corporis Chriſti in utero Mariæ, creationem animæ in ejus corpore, & unionem totius humanitatis cum Verbo; ſed hæc ſunt a tota Trinitate; ergo &c. prob. min. Perſonæ divinæ operantur ad extra per potentiam, ſapientiam, intellectum, & voluntatem communes omnibus; ergo &c.

Prob. 2. p. ex Script. Nam Mariæ per Angelum dicitur: *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Et, *quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt*. Et, *inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*; ſed hæc non dicuntur niſi per appropriationem, ut patet ex 1. p. qua conſtat, hoc opus eſſe vere a tota Trinitate.

Prob. 2. ex PP. pro quibus ſufficiat S. Bonaventura. [4] *Opus incarnationis eſt manifeſtativum divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis ſecundum diverſas rationes in ipſo repertas; & ſecundum quamlibet earum poteſt appropriari, & attribui tribus perſonis*, &c. quippe, ut diximus, opera, in quibus ſpecialiter elucet potentia, tribuuntur Patri, quæ oſtendunt ſapientiam, appropriantur Filio, qui eſt ſapientia genita, quæ

[1] 2. *d*. 1. *q*. 1. *D*. *n*. 5.
[2] *de SS. Trin*. *c*. 10. [3] 26. *q*. 1.
[4] 3. *d*. 4. *a*. 1. *q*. 10.

quæ bonitatem, & amorem oſtendunt, approprian-tur Spiritui S. qui eſt amor, & donum &c.

Igitur opus iſtud ſingulariter tribuitur Spiritui S. quia in eo nobis donatur Dei filius; quia ibi ſumme elucet Dei bonitas, charitas, & dilectio. Quippe *ſic Deus dilexit mundum*, &c. Et ipſe filius *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati*. Et ut docet Hugo Victor: *concepit Virgo de Spiritu ſancto, non quod de Spiritus S. ſubſtantia ſemen partus acceperit; ſed quia per amorem, & operationem Spiritus S. ex carne Virginis divino partui ſubſtantiam miniſtravit*. Et certe hoc opus fuit non tantum maximum donum, ſed etiam fons omnium donorum, & gratiarum. Unde formatio corporis Chriſti de puriſſimo ſanguine Mariæ, creatio, & infuſio animæ ejus, & unitio totius humanitatis ſic formatæ ad Verbum revera, & proprie loquendo ſunt actiones, & opera tam Patris, & Filii, quam Spiritus S. licet ob rationes allatas dicantur operationes Spiritus S. per appropriationem. *Quod de Spiritu S. diximus, hoc ſimiliter & de patre, & de filio communiter, & indiviſe volumus intelligi*, inquit Ambroſ. [1] *quia ſancta, & inſeparabilis Trinitas nunquam aliquid extra ſe ſigillatim operari noverit*.

Objic. 1. Incarnatio active, & effective ſpectat ad perſonam mittentem, ſicut paſſive ſpectat ad perſonam miſſam, ſeu incarnatam; ſed ſolus Pater eſt perſona mittens; ergo incarnatio active eſt a ſolo Patre. Prob. min. ex pluribus Script. locis, in quibus dicitur, quod Deus Pater *miſit filium factum ex muliere*, &c. Et ipſe Chriſtus ſe miſſum dicit a Patre. *Pater miſit me*: &, *qui miſit me Pater*. Et, *deſcendi de Cœlo, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, Patris*, &c. Et ratio patet ex dictis de miſſione perſonarum divinarum; nam miſſio activa ad extra pertinet ad mittentem, ſeu productionem ad intra.

Reſp. diſt. maj. quoad originem, & miſſionem ad intra, & quaſi authoritativam, con. quoad manifeſtationem ad extra, ſeu quoad ſignum externum, per quod perſona miſſa manifeſtatur, neg. maj. & conſ. ſimiliter diſtincta min. diximus alias, miſſioné temporalem eſſe

[1] In ſymb.

eſſe manifeſtationem ad extra perſonæ productæ, vel producentis ſub aliquo ſigno ſenſibili appropriata tali perſonæ; unde miſſio, ſive incarnatio activa Verbi quaſi authoritativa, & quoad originem pertinet ad ſolum Patrem; ſed effective quoad opus externum, in quo manifeſtatur, eſt a tota Trinitate.

Inſt. Patrem mittere Verbum eſt illud mittere ad ſumendum hominem; ſed ſic mittere eſt incarnare active; ergo &c. Prob. min. nam mittere Verbum ad hominem in ſenſu ſcripturæ eſt illud unire hypoſtatice humanitati; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam mittere formaliter, & authoritative eſt in Patre generare Verbum; materialiter vero, & connotative eſt producere aliquem effectum, in quo manifeſtatur illud Verbum, & iſte effectus, atque manifeſtatio eſt a tota Trinitate.

Objic. 2. Incarnatio fieri non potuit ſine aliquo ſpeciali influxu Verbi; ergo eſt ſpeciali actione a Verbo. Prob. ant. Verbum per incarnationem ſuam ſpecialiter illabitur humanitati; ſed illapſus ille eſt activus; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & min. prob. Nam illapſus ille nihil eſt aliud, quam terminatio unionis, & dependentia humanitatis ad Verbum in ſuſtentari, & compleri ab eo per modum puri termini.

Inſt. Verbum in ſua perſona concurrit aſſumendo humanitatem; ſed ſumere humanitatem eſt agere, & efficere; ergo &c. Prob. min. nam aſſumere eſt ad ſe ſumere; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. aſſumendo per puram terminationem, & ſuſtentationem, con. per effectionem aliquam circa illam naturam, neg. maj. & min. nam hoc ſenſu illud aſſumere eſſet potius quoddam pati, quam agere; ſaltem extrinſece.

Objic. 3. Script. & Symbolum, & Patres, & Eccleſia tribuunt formationem humanitatis Chriſti Spiritui S. ergo hæc perſona ſpecialem habet efficientiam circa hoc opus.

Reſp. diſt. ant. per appropriationem, con. proprie, & effective, neg. ant. ut patet ex dictis ſupra, & in tract. de Trinit.

CON-

CONCLUSIO II.

B*Eata Virgo concurrit active ad generationem humanitatis Chriſti; non autem ad unionem hypoſtaticam, ſeu ad incarnationem Verbi.* Eſt communis quoad 2.p.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſuſtinet concurſum activum in matribus ad generationem prolis, & Mariam eſſe vere Chriſti, & Dei genitricem; ut videbimus ſuo loco. Quod ſic probat: *Omnis cauſa activa habens virtutem reſpectu alicujus effectus, & non præventa ab alio totaliter cauſante illum effectum in eo inſtanti, in quo producitur, poteſt agere ad productionem ejus. Maria fuit talis, ſi omnes aliæ matres ſunt tales, & hoc ut cauſa activa non principalis;* ergo &c. Vide in Philoſophia de concurſu matris, &c.

Prob. 2. ex ſcript. & PP. nam Iſaias dicit, quia *Virgo concipiet, & pariet.* Et Angelus, *concipies in utero, & paries.* Sed hæc verba indicant actionem; ergo &c. & Damaſc. apud Doctorem dicit, quod *Spiritus S. dedit ei* [Virgini) *potentiam ſusceptivam, ſimul autem & generativam; non quod miraculoſe dedit ei hanc fœcunditatem, ſecundum quam cooperabatur* (addit Scotus) *ſed illam habuit naturaliter, quia non fuit ſterilis; ſed abſente viro patre, non erat in poteſtate propinqua generandi; & hanc dedit illi Spiritus S. per miraculoſam formationem corporis organici.*

Prob. 3. Nam Maria tam vere fuit Mater Chriſti, quam aliæ ſuorum filiorum; ſed iſtæ active concurrunt ad generationem ſuorum filiorum; ergo & iſta: maj. patet ex Script. & PP. & Conciliis agnoſcentibus eam, ut veram Matrem Chriſti: Prob. min. ex dictis in Philoſophia: pro quo vide Emin. Lauream (1) citantem medicos.

Confir. Si quid obſtaret tali concurſui, eſſet, quia formatio, & organizatio corporis Chriſti fuit inſtantanea, & ſic ſuperabat vim activam naturalem creaturæ; ſed hæc ratio non obſtat; ergo &c. maj. ſupponitur ex comm. ſententia; nam totum hoc opus dicitur factum in inſtanti; quod ut capias

Nota quod ad iſtam formationem, & organizatio-

(1) *Diſp.* 5. *a.* 4.

tionem naturaliter requiruntur tres motus: primus motus eſt materiæ ſeminalis ex proprio loco ad uterum. 2. motus partium materiæ ad figurationem corporis ſecundum diverſa ejus membra, & ſitum differentem eorum. 3. condenſatio, & ſolidatio ejuſdem materiæ; qui eſt motus a majori ad minorem locum, & etiam alterationis per majorem conſtrictionem materiæ rarioris; & in ultimo inſtanti horum motuum perficitur organizatio, & animatio. Hi autem motus non videntur poſſe eſſe inſtantanei. Prob. etiam min. quod ſc. hæc ratio non impediat concurſum activum Mariæ: nam cum dicitur corpus Chriſti formatum fuiſſe in inſtanti, non intelligitur de inſtanti Mathematico, & indiviſibili, vel phyſico, ſed morali, ſc. pro breviſſimo tempore, quo virtute Spiritus S. facta ſit delatio materiæ, configuratio, & condenſatio ejus, in fine cujus completa fuit organizatio; ſed tunc nihil impedit, quominus B. mater active ad illam concurrerit; nam & aliæ matres, etiam in hoc inſtanti, ſicut & in aliis active concurrunt, & maxime cum virtus activa Mariæ roborata, & quaſi obumbrata fuerit virtute divina: ita diſcurrit Scotus. [1]

Sicut ergo aliæ matres concurrunt ad generationem prolis ſuæ, non tantum quia miniſtrant aliquam materiam, & locum, in quo formatur fœtus; ſed etiam active concurrunt, dum vitaliter attrahunt materiam ad locum debitum, & aptum formationi; illam fovent calore naturali, & organizationi cooperantur: ſic B. V. materiam formationi corporis Chriſti requiſitam ſubminiſtravit, & quidem totam, quod non faciunt aliæ matres, ſic illam materiam fovit, & organizationi cooperatus eſt Spiritus S. qui virtute ſua divina ſupplevit virtutem, & activitatem ſeminis virilis, quod in hac generatione defuit.

Prob. 2. p. ex Script. [2] quæ hoc opus ſpecialiter vocat opus Dei, *Domine opus tuum*. Quod explicant PP. de opere incarnationis, & Maria ipſa dixit, [3] *fecit mihi magna, qui potens eſt*. Et, *fecit potentiam in brachio ſuo*. Et Concilia id ſoli Deo tribuunt; ut Lateran. 1. & 11. Tolet. VI. & XI.

Prob. 2. Nam hæc unio eſt inter extrema infinite diſtan-

[1] *Ibid.* [2] *Abac.* 3. [3] *Luc.* 1.

diſtantia, ſc. inter humanitatem, & perſonam Verbi; ergo cauſa effectiva hujus unionis debet aliquo modo attingere extrema infinite diſtantia, quod repugnat puræ creaturæ.

Confir. Nam cauſa efficiens unionis hypoſtaticæ Verbi communicat humanitati ſubſiſtentiam divinam; ſed hoc repugnat omni creaturæ; nam ſic creatura haberet aliquam actionem in perſonam divinam; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Si B. Virgo concurriſſet active ad generationem humanitatis Chriſti, hic deſcenderet ab Adamo per ſeminalem propagationem; ſed conſequens eſt falſum; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Per ſeminalem propagationem fœmineam, con. maj. & neg. min. per virilem, neg. maj. & conſ. nam Script. & PP. non negant hic alium concurſum activum, quam virilem.

Inſt. ergo corpus Chriſti non eſſet formatum ex puriſſimo ſanguine Virginis, ſed ex ejus ſemine; ſed hoc eſt contra communem ſenſum PP. ergo &c. prob. ſequela; nam B. V. non aliter potuit agere, quam per ſemen; & ſic non fuiſſet Virgo.

Reſp. 1. neg. ſubſumptum. Nam licet diceremus corpus Chriſti formatum a Spiritu S. ex puriſſimo ſanguine, adhuc B. V. concurreret active fovendo ſanguinem illum in utero per calorē naturalem, & communicando illi ſpiritus vitales, & cooperando organizationi, & aliis diſpoſitionibus ad animationem.

Reſp. 2. neg. min. Non enim unquam fuit mens Patrum, vel Eccleſiæ decidere, an materia, ex qua Spiritus S. formavit corpus Chriſti, fuerit ſemen formatum, an purus ſanguis; perinde hoc illis, & nobis eſt, modo nulla intervenerit virilis operatio, nec commixtio ſeminum. Certe ſemen muliebre ſecūdum Phyſicos formatur ex puriori, & vegetiori ſanguine.

Objic. 1. ex Auguſt. Damaſc. & Auctore operis imperfecti. Spiritus S. fuit pro ſemine; ergo & pro tota activitate; ergo B. V. non ſe habuit active.

Reſp. diſt. ant. pro ſemine, & tota activitate virili, quatenus eam ſupplevit virtute divina, con. abſolute, & ſimpliciter, ita ut B. V. nihil egerit, neg. ant. nam licet concederetur, totam materiam ſumptam fuiſſe ex puro ſanguine, adhuc manſiſſet

locus

locus activitati maternæ modis ſupradictis.

Inſt. ergo generatio corporis Chriſti in utero Virginis non differt a communibus generationibus, in quibus fœminæ miniſtrant ſemen, & agunt iiſdem modis; ſed hoc eſt falſum, & contra communem ſenſum Eccleſiæ, & Patrum; ergo &c.

Reſp. neg. abſolute ſubſumptum. Nam licet B. V. concurrerit per virtutem ſuam naturalem, quantum eſt ex parte ſua; non ſequitur, quin hæc conceptio fuerit multis ex capitibus miraculoſa, & divina, & maxime quia illa materia, & vis nativa ex parte Virginis non erant de ſe ſufficientes ad illam conceptionem.

Objic. 3. Si B. V. influeret active ad formationem humanitatis, influeret etiam ad unionem hypoſtaticam; ſed hoc eſt contra nos; ergo &c. prob. maj. quia eadem actione, qua humanitas producitur, & unitur Verbo; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. ut patet ex dictis; ubi actio productiva corporis, & infuſio animæ, & unitio humanitatis ad Verbum probantur eſſe realiter diſtinctæ, & ſic B. V. potuit concurrere ad primam ſine aliis.

Objic. 1. con. 2. p. ex SS. Patribus. B. Virgo dicitur inſtrumentum incarnationis; ergo eſt cauſa ſaltem inſtrumentalis unionis hypoſtaticæ. Prob. ant. nam Heſychius illam appellat *inſtrumentum incarnationis:* Et Ambroſius ait: [1] *per hominem, & mulierem caro ejecta eſt de paradiſo: per Virginem juncta eſt Deo*. Et Bern. dicit; [2] *B. Virginem eſſe illam mulierem, quæ tria illa ſata, carnem ſc. animam, & divinitatem tam bene fermentavit, ut nec diviſione quidem facta carnis, & animæ, caro, vel anima a Deo divideretur;* ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. Inſtrumentum remotum, indirectum, & quoad diſpoſitiones, con. proximum, ſeu directum, & quoad ipſam unionem, neg. ant. & conſ. B. V. in tantum concurrit ad incarnationem; quia concurrit active, & paſſive, & ut cauſa partialis, & minus principalis ad formationem humanitatis, quæ in ipſo inſtanti ſuæ formationis unita eſt.

Ver-

[1] *Hom. 2. de Virg.*
[2] *Ep. 82.*

Verbo, & hoc ſenſu loquuntur PP. late ſumpto nomine inſtrumenti.

Objic. 1. Debemus tribuere in hoc opere B. Virgini quidquid non implicat, & quidquid facit ad gloriam ejus; ſed non implicat, & glorioſius eſt Mariæ, quod habeat aliquem influxum, ſaltem inſtrumentaliter in incarnationem; ergo id dicendum. Propter hanc rationem Suarez putat probabiliter, quod non tantum de poſſibili, ſed etiam de facto B. V. concurrit inſtrumentaliter, & phyſice ad hanc unionem.

Reſp. neg. min. Nam implicantia patet ex rationibus adductis de infinita diſtantia extremorum unionis, & de natura, ſeu dignitate Verbi divini, in quod nulla creatura, nulla potentia finita poteſt attingere per actionem phyſicam, qualis eſt unitio ejus cum humanitate, ideo ſit.

CONCLUSIO III.

Nequidem de potentia Dei abſoluta poſſet creatura ulla elevari ad cauſandam phyſico, & inſtrumentali influxu activo unionem hypoſtaticam Verbi cum creatura.

Prob. ex Scoto dicente, [1] quod *ſicut natura, ad quam ut ad formalem terminum erat iſta generatio, tantum erat in potentia obedientiali paſſiva, ut uniretur Verbo; ita illa Mater tantum habuit potentiam obedientialem, ut eſſet Mater Verbi; per hoc autem erat Mater Verbi, quia Verbum ſubſiſtebat in natura illa ſibi unita*: ergo non cenſet poſſibilem elevationem creaturæ, qualis eſt Mariæ ad cauſandam phyſice hanc unionem; quia non eſt in potentia obedientiali, niſi ad recipiendum Verbum ut ſubſiſtens, & unitum naturæ, quam ipſa generat; & hoc ſenſu dicit, quod *Spiritus S. dedit ei potentiam ſuſceptivam, in quantum erat generativa Verbi*; non autem aliter fuit generativa Verbi, niſi quatenus fuit generativa humanitatis ſubſiſtentis in Verbo.

Prob. 2. ex dictis in præcedenti. Nam cauſa tam inſtrumentalis phyſica, quam principalis unionis Verbi cum natura creata debet attingere extrema uni-

[1] 3. *d*. 4. *G*. *n*. 12.

unita, vel unienda, & infinite diſtantia, & aliqualiter attingere, vel agere in perſonam divinam; ſed hoc repugnat naturæ creatæ; ergo &c. min. ſupponitur ex philoſophia; nam in illa attingentia eſt aliqua infinitas vitalis, ſaltem extenſiva. Prob. maj. Nam ipſa unio, quæ eſt effectus, utrumque extremum attingit; ergo & ipſa cauſa debet utrumque attingere, ſaltem extrinſece, & terminative; & unitio eſt actio phyſica; nam unio attingit, & nectit extrema ut *quo*, & unitio extrema ut *quod*; & ſic attingens ipſam unionem formalem debet etiam attingere ipſa extrema unita, vel unienda.

Prob. 3. Nam ipſi adverſarii non putant, de facto B. Virginem cauſaſſe phyſice, & inſtrumentaliter hanc unionem, excepto Suario, qui hoc putat probabile; ergo nec dicere debent eſſe poſſibile. Prob. conſ. nam in tantum dignificari debet Mater Chriſti, quantum poteſt ſine abſurditate, vel implicantia; ita cenſent communiter SS. PP. & Theologi; ſed talis cauſalitas faceret ſine dubio ad majorem dignitatem, & gloriam Mariæ; ergo ſi eſſet poſſibilis, deberet dici, quod de facto ſic eam cauſavit.

Objic. 1. Talis cauſalitas non implicat evidentem contradictionem; ergo &c.

Reſp. neg. ant. ut patet ex dictis.

Objic. 2. Pura creatura poteſt elevari ad producendam gratiam inſtrumentaliter; ergo & ad cauſandam inſtrumentaliter unionem hypoſtaticam. ant. patet ex doctrina communi de efficacia ſacramentorum; prob. conſ. nam per gratiam anima unitur cum Deo, & fit particeps ejus naturæ, & hæres gloriæ, &c.

Reſp. diſt. ant. ad cauſandam gratiam moraliter, con. phyſice, neg. ant. nam in ſchola noſtra ſacramenta non aliter cauſant gratiam.

Reſp. 2. neg. conſ. & diſparitas eſt 1. quia illi effectus gratiæ ſunt morales, non phyſici, ut diximus ſuo loco. 2. quia per gratiam nulla actio phyſica attingit perſonam divinam; bene vero iſta unio, ut dictum eſt; nam facit ut Verbum terminet realiter, & ſuſtentet humanitatem.

Objic. 3. B. V. attingit de facto hãc unionem phyſice, & inſtrumẽtaliter. Prob. ant. niſi ſic attingeret, nõ eſſet vere, & phyſice Mater Dei; ſed hoc eſt hæreticum; ergo.

Reſp.

Reſp.diſt. ant. attingit diſpoſitive, & paſſive, con. efficienter, & active, neg. ant. & conſ. Nam in tantum attingit hanc unionem, in quantum generat humanitatem, quæ in ipſo inſtanti reali generationis unitur Verbo, & per illud ſubſiſtit; nam ut dicebamus ex Scoto, *per hoc erat Mater Verbi, quia Verbum ſubſiſtebat in natura illa ſibi unita.*

Objic.4. Ideo dicimus, hanc cauſalitatem repugnare in creatura, quia argueret ſubjectionem in perſona Verbi ad creaturam; ſed hoc falſum eſt; ergo &c. maj. patet ex fundamentis noſtris; prob. min. Nam cauſalitas principalis efficiens hujus unionis non dicit ſubjectionem in Verbo ad Trinitatem; ergo multo minus cauſalitas inſtrumentalis importaret ullam ſubjectionem Verbi reſpectu talis creaturæ, nam Chriſtus ſecundum divinitatem, ſeu perſonam *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.*

Reſp. neg. min. & conſ. prob. & diſparitas eſt; quia hæc unio, ut diximus, tam eſt efficienter a Verbo, quam ab aliis perſonis, & ſic omnino volens unitur humanitati, & ex æqualitate cum illis ſemetipſum exinanivit; cauſa autem inſtrumentalis creata non eſſet in æqualitate, nec identitate volitionis cum Verbo, & ſicut unio ipſa penderet ab hac cauſa, ita & Verbum ipſum; nam omnis effectus pendet a cauſa ſua eo modo, quo ab ipſa cauſatur.

CONCLUSIO IV.

Ipſa perſona Verbi nullam cauſalitatem efficientem habet circa unionem, ſeu incarnationem præ aliis perſonis divinis.

Prob. 1. ex Scot. [1] *Sumere, ut notat actionem, eſt æqualiter totius Trinitatis abſque omni diſtinctione, præter illam, quæ conſequitur originem, ut terminat dependentiam aſſumptæ naturæ*, &c.

Prob. 2. ex dictis concl. 1. nam Verbum divinum non poteſt agere ad extra, ſicut nec aliæ perſonæ, niſi per intellectum, & voluntatem, per potentiam, & ſapientiam: ſed hæc ſunt communia indiviſibiliter toti Trinitati; ergo Verbum nullam habet, vel habe-

[1] 3.*d*.1.*q*.1.*M*.*n*.20.

habere poteſt efficientiam ſpecialem circa incarnationem, quam non habeant aliæ perſonæ.

Confir. Nam ideo docemus Spiritum S. a filio procedere, ſicut & a Patre, quia pro illo inſtanti originis, quo per voluntatem ſpiratur, ipſa voluntas eſt etiam in filio; ergo hoc ipſo, quod voluntas, & intellectus, per quæ Deus operatur ad extra, ſunt indiviſim in tribus perſonis, ita & omnes operationes ad extra, qualis eſt cauſalitas unionis hypoſtaticæ Verbi cum humanitate.

Prob.3. Quia nihil peculiare eſt in Verbo præter ſubſiſtentiam relativam; ſed per hanc non operatur, ſicut nec Pater per ſuam, nec Spiritus S. per ſuam; ergo nec Verbum.

Objic. 1. Verbum aſſumpſit humanitatem, & illam ſuſtentat; ſed hoc eſt efficere, quod non competit aliis; ergo &c. Prob. min. nam aſſumere, & ſuſtentare ſignificat agere.

Reſp. ut ſupra, ex Scoto cit. (1) diſt.maj.aſſumpſit, & ſuſtentat pure terminative,con.actione aliqua phyſica, quæ fluat ab eo potius, quam ab aliis, neg. maj. Idem dicimus de illapſu; nam, inquit Scotus, ſi illabi ſumatur pro operatione aliqua, Verbum non magis illabitur humanitati, quam aliæ perſonæ; ſi vero ſumatur pro aliqua dependentiæ terminatione, ſic Verbum ſpecialiter illabitur, ſed ſine actione ſpeciali.

Objic. 2. Verbum dicitur potentia operativa Patris: *Omnia per ipſum facta ſunt*; ergo Verbum poteſt habere operationem particularem præ aliis.

Reſp. neg. conſ. Nam ideo Verbum dicitur potentia operativa Patris, quia eam habet a Patre, qui cum eo, & quaſi per illud omnia operatur, per eumdem intellectum, & voluntatem, & eamdem potentiam, & ſapientiam; & idem eſt de Spiritu S. reſpectu Patris, & Filii, a quibus hæc accipit.

Conſtat igitur totam efficaciam Incarnationis, quantum ad creationem animæ Chriſti, & unionem Verbi, & principalem cauſalitatem circa formationem, ſeu conceptionem corporis Chriſti in utero Mariæ, eſſe opus totius Trinitatis, actionem vero minus principalem circa eamdem conceptionem, & ſub-

(1) *Ibid.N.n.*11.

ſubminiſtrationem materiæ, ex qua formatum eſt illud ſacrum corpus, eſſe a B. Virgine.

QUÆSTIO V.

De cauſis materiali, & formali Incarnationis.

CIrca duas iſtas cauſas pauca dicenda reſtant. Nam circa materialem, ſeu ſubjectivam iam dictum eſt, unionem hanc ſubjectari in humanitate conſtante ex corpore, & anima rationali. Et circa formalem diximus cauſam formalem totalem, & *ut quod* eſſe totum Chriſtum Deum hominem, ſeu conſtantem ex humanitate, & perſona Verbi; formalem vero, *ut quo*, ſeu *ut qua* eſse ipſam unionem, quam diximus eſſe relationem extrinſecus advenientem, per quam humanitas unitur Verbo in unitatem ſuppoſiti, ſeu perſonæ, & ut dicebam, fundatur & ſubjectatur realiter in humanitate illa ſpecie, & individualiter completa, & terminatur ad perſonalitatem verbi, quæ eſt terminus ejus formalis *quo*: totum vero ſuppoſitum divinum Verbi eſt terminus formalis *qui*.

Circa cauſam materialem duo reſtant examinanda. 1. An Chriſtus conſtaret vero, & phyſico corpore carneo, & ſimili noſtro. 2. ex qua materia illud formatum ſit, an ſc. ex mero ſanguine Mariæ, an vero ex ſemine fœminino ejuſdem Virginis per virtutem divinam Spiritus S. ex ſuis locis in uterum deportato; iſtud ſpectat ad materiam proximam, illud ad remotam.

CONCLUSIO I.

CAuſa materialis Incarnationis eſt vera, & realis humanitas ejuſdem ſpeciei cum noſtra, conſtans ex vera carne, & anima rationali. Eſt de fide contra plures hæreticos; quorum alii voluerunt corpus Chriſti eſſe phantaſticum; ut quidam Saturninus Simonis magi diſcipulus, & Cerdoniani, & Marcioniſtæ: [1] Alii aereum, ſeu cœleſte, non ex Virginis carne formatum, ſed per Virginem quaſi per ca-

na-

[1] *De Hæret.46.*

nalem tranſiſſet; ut Valentinus circa an. 158. Alii non fuiſſe carnem veram, ſed ſimulatam, & apparentem: ſive, ut narrat Auguſt. *Simulata ſpecies ludifica, & humanis ſenſibus exhibita*. Alii veram animam negabant in Chriſto, ut Apollinariſtæ, dicentes, Verbum divinum illi fuiſſe loco animæ.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ubique docet, *corpus Chriſti fuiſſe verum, & carnem ſicut noſtram, non prius tempore organizatum, quam animatum ex puriſſimo ſanguine Virginis formatum, animatum anima intellectuali, & quod totalis natura eſt fundamentum illius unionis, & ſic entitas totalis naturæ totaliter præcedit incarnationem*, &c. Item in corpore Chriſti agnoſcit paſſibilitatem, alterabilitatem, & corruptibilitatem, & omnes denique proprietates, quas habemus in noſtris.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, eum fuiſſe verum hominem; ut, cum ipſe dicebat Judæis: [2] *Quæritis me interficere hominem, qui vera loquutus ſum vobis*. Et, [3] *homo qui dicitur* J. Et ipſi Judæi, [4] *Homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Et, [5] *Verbum caro factum eſt*, &c. *factus ex ſemine David*, &c. Et de anima ſua Chriſtus ipſe de illa loquitur ſub iiſdem paſſionibus, quibus noſtræ ſubjacent: *Anima mea turbata eſt*: *Triſtis eſt anima mea*, &c.

Prob. 3. ex Conc. & ſymbolis. Ex confeſſione fidei agnoſcitur verus homo, & in vera carne. Et, *homo factus eſt*, & *incarnatus eſt*. Et *vere natus ex Maria Virgine*, & *vere paſſus*. Unde II. Synodus ſcribit ad Damaſum, & alios PP. congregatos Romæ; *ſe nec animæ, aut mentis expertem* (hæretici quidam in Chriſto animam, ſed non mentem agnoſcebant) *nec imperfectam carnis œconomiam admittere; verum noſſe ſe perfectum ante ſæcula Dei Verbum, & perfectum hominem in noviſſimis diebus propter noſtram ſalutem fuiſſe*. Et Conc. Chalcedonenſe eumdem docet *perfectum in divinitate, & perfectum in humanitate .... ex anima rationali, & corpore .... conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, & per omnia nobis ſimilem abſque peccato*.

Prob.

[1] *d.2.q.3.C.n.4.* [2] *Jo.8.* & 10. [3] *Jo.1.* [4] *Jo.12.* [5] *Matth.27.*

Prob. 4. ex PP. qui unanimiter docent, Chriſtum fuiſſe verum hominem, & ſimilem nobis, unde, inquit Tertullianus, [1] *Qui carnem Chriſti putativam introduxit, æque potuit nativitatis ejus phantaſmata configere, ut & conceptus, & partus Virginis, & ipſius exinde infantis origo haberetur putativa*. Et Ignatius martyr: *Vere genuit Maria corpus habens in ſe Deum; revera natus eſt Deus Verbum ex Virgine veſtitus corpore obnoxio eiſdem paſſionibus nobiſcum* &c. Et Origenes: *Chriſtus aſſumpſit corpus noſtro corpori ſimile, eo ſolo differens, quod natum ex Virgine de Spiritu S. eſt*. Idem eſt de omnibus aliis, quos longius eſſet recenſere. Et denique talis eſt fides Eccleſiæ perpetua.

Prob. denique rationibus. Nam ſi vel corpus non eſſet verum, & carneum; & ſi anima non eſſet rationalis, & ſimilis noſtræ, non eſſet verus homo, nec filius hominis. 2. non eſſet verus mediator: nam, ut docet Hilarius, ad hoc debuit eſſe ex utroque unum, ſc. ex humanitate, & divinitate una perſona, unum ſuppoſitum. 3. niſi fuiſſet verus homo, non eſſet vere paſſus, nec vere mortuus, nec Redemptor per ſanguinem Crucis. Sed hæc omnia ſunt certiſſime falſa; ergo &c.

Objic. 1. duæ naturæ veræ, & integræ non poſſunt fieri unum per ſe; ſed in Chriſto fuiſſent tales naturæ, ſi fuiſſet verus homo æque, ac verus Deus; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. duæ naturæ cum ſuis ſubſiſtentiis in unum per ſe ſuppoſitum fieri non poſſunt, conc. ſi una careat propria ſubſiſtentia, neg. maj. & min. nam humanitas Chriſti, licet veriſſima, & in ſua ſpecie, & individualitate completa, caret propria ſubſiſtentia. Ideo Chriſtus eſt unum per ſe ſuppoſitum ſubſiſtens in humanitate, & divinitate.

Objic. 2. Si Chriſtus fuiſſet verus homo, & de mundo, non potuiſſet redimere hominem, aut mundum; alioquin redemiſſet ſeipſum; ſed conſ. eſt falſum; ergo.

Reſp. 1. diſt. maj. purus homo, tranſeat, homo, & Deus in unica perſona Verbi, neg. maj. & conſeq. nam ſic potuit, & de facto redemit.

Reſp. 2. neg. maj. quid enim repugnat Deum potuiſſe

[1] *de car. Chr.* 1.

ſe conſtituere purum hominem, a quo acceptaret ſatisfactionem pro aliis, & ſimul pro ſeipſo? Sed de hoc alias.

Objic. 3. ex Script. Chriſtus dicitur non revera homo, ſed *in ſimilitudinem hominum factus* &c. ergo Chriſtus non fuit verus homo, ſed inſtar, & in ſpecie hominis.

Reſp. neg. conſ. Nam ſimilitudo illa, & habitus non excludunt veritatem realitatis.

Objic. 4. ex Apoſt. [1] alias quidem Chriſtus agnoſcebatur *ſecundum carnem, ſed jam non novimus;* ergo maturiori cognitione, & examine non debet dici habuiſſe veram carnem ſimilem noſtræ, ſed materiam aliquam cœleſtem in ſpecie noſtræ carnis, juxta illud ejuſdem Apoſtoli: [2] *Primus homo de terra terrenus, ſecundus de cœlo cœleſtis* &c.

Reſp. neg. conſ. nec enim Apoſt. loquitur in eo ſenſu, quem illi tribuere conatur Fauſtus Manichæus; loquitur, prout æſtimabat Chriſtum ante ſuam converſionem, & poſt converſionem. Antea Paulus reputabat Chriſtum purum hominem ex judicio carnali ſenſuum; poſtea vero reputabat illum, qualis ex Spiritu, & lumine fidei eſt agnoſcendus, ſc. ut Deus homo. Dici etiam poteſt eum loqui de Chriſto, non qualis erat ante reſurrectionem; tunc enim agnoſcebatur, & vivebat ſecundum carnem paſſibilem; nunc vero, ſc. poſt reſurrectionem, agnoſcitur ſecundum carnem glorioſam.

In 2. autem loco non loquitur in ſenſu litterali, nec materialiter de homine terreno, ſc. facto ex limo terræ, ut Adam, ſed in ſenſu morali; quia Adam fuit moribus terrenus, & peccator; Chriſtus vero moribus cœleſtis, & Sanctus.

Objic. 1. de anima. Si habuiſſet animam ſimilem noſtris, habuiſſet etiam cogitationes humanas; ſed hoc repugnabat Chriſto; alioquin non fuiſſet ſine peccatis, nam ſapientia carnis mors eſt, & inimica Deo.

Reſp. diſt. maj. quales ſunt propriæ homini rationali, conc. humanas, id eſt, carnales, vel malas, neg. maj. & conſ. non enim omnes cogitationes humanæ ſunt neceſſario malæ: plures ſunt bonæ, & tales habuit Chriſtus, per quas meruit.

Objic.

[1] 2. *cor.* 5. [2] 1. *co.* 15.

Objic. 2. Si in Chriſto fuiſſet anima, & mens humana, fuiſſent in eo duo principia totalia ſuarum actionum, ſc. mens divina, & mens humana; ſed hoc dici non poteſt; ergo &c. Prob. min. nam alterutra ſuperflueret, cum una ſufficiat, maxime divina.

Reſp. diſt. maj. duo principia totalia in diverſo genere, & ordine, con. in eodem ordine, & genere, neg. maj. & min. in Chriſto quidem fuerunt diverſæ operationes, aliæ pure divinæ, quæ ex ſola mente divina veniebant; aliæ pure humanæ, quæ ex ſola natura humana, aliæ theandricæ, quæ ex utraque. Iſtæ erãt elicitive ab anima, & directive a Deo, & ſuppoſito divino in diverſo genere, & ordine cauſarum.

CONCLUSIO II.

M*Ateria, ex qua formatum eſt Chriſti corpus in utero, fuit puriſſimus ſanguis ſolius eiuſdem Matris, non quidem ſanguis venarius, ſed ſeminalis*. Eſt commuuior, Nam licet ad majorem verborum puritatem non ſoleat nominari ſemen; tamen quoad ſenſum non videtur hoc poſſe negari.

Prob. 1. ex Scoto [1] quoad utramque partem; nam, inquit, *tota illa actio ſibi* (loquitur de Maria, ut Matre vera Chriſti) *competebat, quæ matri debetur*; ſed matribus aliis competit concurrere ad generationem filiorum ex parte ſua ſubminiſtrando materiam ex ſanguine ſeminali; ergo &c. Addit, [2] quod *poterat Maria cooperari ſecundum cauſalitatem ſuam; quia nihil aufertur ab ea per hoc, quod Spiritus S. præveniendo cauſalitatem alterius cauſæ, cum qua Maria poſſet agere, ſupplet vicem eius, ſc. Patris*. Quod confirmat ex Damaſceno dicente, quod *Spiritus S. dedit ei potentiam ſuſceptivam, ſimul & generativam, non quod miraculoſe dedit ei illam fœcunditatem, ſecundum quam cooperatur, ſed illam habuit naturaliter, quia non fuit ſterilis, & ſecundum eam potuiſſet naturaliter cooperari ad productionem filii, ſi pater naturalis genuiſſet*. Ad quod vide reliquum ejus diſcurſum.

Dicitur autem de puriſſimo ſanguine ſeminali, ut excludatur quicumque alterius ſanguinis interven-

[1] *d.4.B.n.7.* [2] *n.11.*

ergo &c. Prob. min. 1. non carebat; alioqui fuiſſet imperfecta; hoc enim facit ad integritatem ſpeciei, & ſexus. 2. non ex indecentia; nam id prorſus gratis diceretur. Nam de Spiritu S. dicitur, quod illud operatus eſt ex Virgine, & in Virgine, & quod illa ipſi cooperata eſt, ſicut aliæ matres, quæ concipiunt, ſalva ſemper virginitate, & præter omnem libidinis umbram.

Confir. 2. ex PP. nam Ignat. Martyr: *Vere natus eſt Verbum ex Virgine ... vere natus ex vulva, qui omnes in vulva fingit, & corpus ſibi fabricavit ex ſanguinibus virgineis, hoc ſolum excepto, quod nulla viri conſuetudo interceſſerit*; ergo cetera omnia peracta ſunt de communi more naturali matrum. Idem dicit Tertull. cit. *quid novitatis fuerit in Chriſto ex Virgine naſcendi, palam eſt, ſc. ſolummodo hoc, quod ex Virgine ſecundum rationem, quam edidimus* &c. Alia non fuerunt nova.

Denique confirmo per monitum D. Bon. [1] qui ſic dubium movet, & reſolvit: *Utrum B. V. excitata a Spiritu S. ſeminaverit? hoc eſt ad locum matricis ſemen emiſerit? Quamvis aliqui dixerint: non eſt tamen verbum illud frequenter in ore verſandum: tum quia turpitudinem habet annexam, & homo habere debet munda labia in tali materia: tum etiam quia certitudinem non habet ex ſe, nec verba SS. videntur multum conſonare. Unde ſtultum eſt in talibus velle curioſe ſingula tractare. Hoc ſufficiat dixiſſe, quod B. V. miniſtravit materiam aptam generationi filii Dei ſecundum carnem.* Monitum certe dignum ſuo authore, & alte retinendum in mente Tyronum Theologorum, & maxime concionatorum, qui ſtudioſe cavere debent a talibus quæſtionibus, ſaltem cum rudibus.

Prob. denique, quia non ſunt multiplicanda miracula ſine neceſſitate; ſed ſine novo miraculo non potuiſſet à Spiritu ſancto ex alia materia Virginis formari corpus Chriſti, quam ex illa, & ex qua in aliis matribus formantur earum fœtus; ergo &c.

Confir. ex verbis Domini ad ſerpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius* &c. nam ex gloſſis conſtat, illam mulierem eſſe Mariam, quæ eſt infeſta dæmonibus, & per ſe-

[1] 3. d. 4. a. 3. q. 1. n. 33.

men ſerpentis intelligunt alios Angelos malos ; & per ſemen talis mulieris intelligi Chriſtum, qui eſt ex ſanguine ſeminali, ſed puro, & virgineo. Vide Emin. Cardin. noſtrum Lauream, qui docte, ut ſolet, hoc punctum verſat, & alias auctoritates affert; & tandem concludit ſanguinem iſtum ex virgineo vaſe ſine ullo virginis ſenſu a Spiritu S. acceptum, & in uterum delatum, & ex eo Chriſti ſanctiſſimum corpus conceptum.

DISPUTATIO IV.

De termino, ſeu effectu totali incarnationis, ſeu de Chriſto.

JAm diximus, Chriſtum Dominum ex humanitate, & divinitate in perſona Verbi ſubſiſtentem eſſe terminum formalem, & totalem unionis hypoſtaticæ: nunc ſpecialius videndum de tam divino opere ſecundum ſe, & in facto eſſe ex præallatis principiis, & cauſis.

QUÆSTIO I.

De Chriſti divinitate. An ſit verus Deus, & verus homo.

CHriſti divinitatem plures negarunt hæretici aut in entitate, aut in operatione, ut Judæi, Ariani, Paulianiſtæ, Servetus, & Socinus, non pauci negarunt humanitatem, ut videbamus de veritate carnis, & animæ creatæ, ac intellectualis. Alii voluerunt, eum conſtare ex natura quaſi media ex utraque, humana ſc. & divina, ut Eutychiani.

Nomen Dei in Script. ſolet tribui aliquando Angelis, quatenus ex parte Dei mittuntur ad homines, ut olim Patriarchis, & Prophetis. [1] *Dicit Dominus ad Abraham, dixit ad Moyſen* &c. Hæc quippe fiebant per Angelos. 2. de hominibus ratione alicujus miniſterii: ſic de Moyſe, *Conſtitui te Deum Pharaonis*. 3. de ipſis dæmonibus, qui hunc titulum uſurpabant per ſuas dementationes, de quibus dicitur, [2] *Omnes Dii*

[1] *Exod.7.* [2] *Pſ. 95.*

Dii gentium dæmonia. 4. de juſtis ratione imitationis: per ſanctitatem morum. *Ego dixi, Dii eſtis* &c. Et juſti omnes per gratiam fiunt *filii Dei, & divinæ conſortes naturæ* ſaltem moraliter, ut diximus hæc omnia improprie, & per quandam attributionem veram, aut falſam. Sed proprie dicitur de illo ſummo ente per naturam, qualis eſt unus, & ſolus Deus; unus, inquam, in eſſentia, & trinus in perſonis. Et de hac Deitate quærimus, an ſit, & conveniat Chriſto.

CONCLUSIO I.

Chriſtus eſt verus Deus, ita ut in ipſo ſit vera, & propria Deitas. Eſt de fide contra Judæos, & alios hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Chriſtus non eſt, niſi Deus, & homo ..... licet in quantum Deus ſit aliquid, & in quantum homo ſit aliquid, non ſequitur, quod in quantum homo, ſit idem aliquid, quod eſt Deus* &c. ergo Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo, ex Scoto.

Prob. 2. contra Judæos ex vet. Teſtam. quia cum illis non agendum ex novo ipſis non noto. De Chriſto intelligitur illud Dei Patris per Pſalmiſtam, *filius meus es tu*; nam de Meſſia id explicat Apoſt. [2] nam, inquit, *cui dixit Angelorum, filius meus es tu* &c ...., *ego ero illi in Patrem*. 2. De eodem Meſſia intelligitur iſtud ejuſdem Prophetæ, ſeu Dei Patris per eum loquentis: [3] *In ſplendoribus Sanctorum ante luciferum genui te*. Nam, inquit Hilarius, [4] *hæc de illo Chriſto præclara eſt vox Patris* &c. Et Epiphanius: [5] *Ante luciferum, quaſi diceret: antequam eſset quid creatum, erat ſemper Verbum cum Patre: per ipſum enim omnia facta ſunt* &c. 3. ex Iſaia: (6) *Parvulus filius natus eſt nobis* .... Et, *Vocabitur Deus fortis* &c. Et, *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum*. Et ut hanc Prophetiam in ſe completam oſtenderet Chriſtus, reſpondit diſcipulis, quos Joannes miſerat ad illum ex carcere, ut ab ipſo audirent, num eſſet Meſſias? Reſpondit, *Dicite Joanni, quæ vidiſtis: cæci vident*; ſc. Deitatem ſuam probat ex operibus.

Confir. hoc ex eodem Iſaia [7] de Meſſia dicente: *In te*

[1] *3.d.6.q.2.A.& E.n.2.* [2] *Hebr.5.* [3] *Pſ.* 109. [4] *12.Tr.* [5] *l.2.* [6] *Iſa.9.& 38.* [7] *Iſa.* 3.

In te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te; vere Tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, Salvator, cui correſpondent iſta ex Evangelio: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Et ex Apoſtolo: *In ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*.

Prob. 3. contra alios hæreticos ex novo teſtamento: nam ubique teſtatur, *ipſum eſſe Deum filium Dei, filium æternitatis participem, creatorem, & auctorem omnium* &c. ut cum ipſe de ſeipſo dicit: [1] *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Et, *Ego, & Pater unum ſumus*: & toties vocat *Deum Patrem ſuum*. Et Joann. Baptiſta de illo dicebat: [2] *Qui poſt me venit, ante me factus eſt*. Et alter Joannes poſt explicatam naturam Verbi æterni dicit, quod illud *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Et D. Paulus [3] illi applicat verba Pſalmi: *Tu in principio terram fundaſti* &c. Et alibi illum vocat *filium dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem .... Qui eſt imago Dei inviſibilis*. Et alibi dicit, [4] quod *unus Pater Deus, ex quo omnia ... Et, Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia* &c. de Deo Patre, quod [5] *noviſſime loquutus eſt nobis in filio, ſc. Chriſto, per quem fecit & ſæcula*.

Idem confir. ex operibus, & dictis ejus, quæ ex ipſorum Judæorum confeſſione non poterant fieri, aut dici, niſi a Deo ſic loquente, & exclamabant: *Numquam ſic loquutus eſt homo*: & maxime cum ſecreta cordium penetrabat: *Ut quid cogitatis in cordibus veſtris?* &c. Et in miraculis dicebant, *nemo poteſt facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Et cum remittebat peccata, *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Et maxime ex vocibus de cœlo auditis in Jordane, & Thabore, ubi vox Patris intonuit: [6] *Hic eſt filius meus dilectus* &c. Item ipſe Chriſtus adjuratus a Caipha, [7] *Per Deum vivum dic nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei?* Reſpondit: *Tu dixiſti .... videbitis filium hominis ... ſedentem in dextris Dei*. Et diſcipulis ſuis promittit, Spiritum ſanctum ſe miſſurum, quod non pertinet niſi ad Patrem, & filium, a quibus procedit &c.

Prob. 4. ex ſymbolis fidei, & definitionibus Concil. &

[1] *Jo.*8. [2] *Jo.*1.
[3] *Coloſs.*1. [4] 1.*Cor.* 8.
[5] *Hebr.*1. [6] *Matt.*3. [7] *Matth.*26.

& perpetua traditione totius Eccleſiæ; nam in ſymbolo Niceno: *credimus in unum Dominum J. C. Filium Dei unigenitum:* in ſymbolo Athanaſii, *J. Chriſtus Dei Filius Deus, & homo eſt .... perfectus Deus, perfectus homo.* In Concil. Nicæno [1] definitur conſubſtantialitas Chriſti cum Patre, & Spiritu S. contra Arrianos: & in Conſtantin. I. decretum eſt, *retinendam eſſe fidem* 318. *Patrum Nicææ congregatorum, & anathematizandam ſententiam Arrianorum, Eudoxianorum, Macedonianorum, Photinianorum, & Apollinariſtarum*, qui negabant hanc veritatem. Idem probat Conc. Epheſ.ex Script.ut legenti patebit. Imo & ex antiquioribus PP. v. gr. ex Petro Alexandrino martyre, ex Athanaſio, ex Felice Romano Pont. & aliis. Et denique ſequentia Concilia omnia idem declarant in ſuis confeſſionibus fidei.

Prob. 5. ex perpetua traditione PP. quos longum eſſet recenſere, imo & inutile, quia id ubique vel docent, vel ſupponunt. Vide Cardin. Lauream cit.[2]

Objic.1.pro Judæis. Meſſias promiſſus Patriarchis, & Prophetis dicitur futurus 1.[3] *ſemen mulieris*, & 2. *ſemen Abrahæ*. Nam inquit Apoſtolus: [4] *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus .... qui eſt Chriſtus*. 3. Moyſi promittit [5] *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis* &c. 4. Davidi, [6] *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. 5. prædicit Iſaias, quod *Virgo concipiet, & pariet filium*. Et Angelus non dicit Mariæ de filio, quem conceptura erat, quod *erit*, ſed quod *vocabitur filius Dei*. Aliud enim eſt *eſſe*, & *vocari filium Dei*. Denique 6. nullus Propheta, vel Euangeliſta expreſſe dixit in Chriſto eſſe duas veras naturas; ergo fuit verus homo, & non verus Deus.

Reſp. neg. conſ. nam fuit vere utrumque, ſc. verus Deus, ut probatum eſt, & verus homo; nec veritas humanitatis impedit veritatem divinitatis; verus homo eſt ſemen mulieris, & Abrahæ, & David, & de gente, & de fratribus populi Iſrael, & filius Virginis: & cum hæc dicuntur, non excluditur filiatio divina, quæ alibi, vel ibidem exprimitur ſaltem virtualiter;

[1] *Can.* 1. [2] *diſp.* 4. *art.* 3. *& ſequent.*
[3] *Gen.* 3. [4] *Gal.* 3.
[5] *Deut.* 18. [6] *Pſ.* 133.

ter, imo & formaliter, cum dicitur *vocari filius Dei*; nam id intelligitur de vera voce, ita ut ſit talis re, & nomine. Nec ſuit neceſſarium, Prophetas, vel Euangeliſtas clarius loqui de hoc myſterio, & maxime de Chriſti Deitate, quam nullus non protervus, & non cœcus voluntarius ignorare poteſt.

Objic. 2. Meſſias promittitur ut mediator inter Deum, & hominem; ergo non debet eſſe nec Deus, nec homo. Prob. conſ. Nam ſi eſſet Deus, ſeipſum ſibi faceret inferiorem, oraret ſeipſum, eſſet offenſus, & mediator, & judex: Si autem homo, eſſet ſibi ſuperior, & reus, & ſimul mediator; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam vere mediator eſt, quia & Deus, & homo eſt; eſt inferior, orat, intercedit ut homo; ſed ſuperior, & dignificat orationes, ſatisfactiones, & opera, ut perſona divina; nec in his eſt ulla repugnantia, vel inconveniens ullum.

Objic. 3. Ipſe Chriſtus non ſe propoſuit ut orandum, ſed ſolum Patrem, quem & ipſe oravit. *Sic orabitis, Pater noſter*, &c. Et, *Pater, venit hora*. Et, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; non mea voluntas, ſed tua fiat; non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*; ergo ſolus Pater eſt verus Deus.

Reſp. diſt. ant. non ſe propoſuit orandum, ut hominem, conc. abſolute, aut ut Deum, neg. ant. Imo dixit: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio*. Et ſibi tribuit poteſtatem judicii: *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*; ergo eundem honorem ſibi tribuit cum Deo Patre. Idem colligitur ex his verbis; *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Item eamdem fidem exigit, *Creditis in Deum, & in me credite*.

Inſt. Hæc unitas, quam ſibi tribuit cum Patre, non eſt naturæ, nec phyſica, ſed moralis, ratione conformitatis voluntatum; ergo nihil ex his infertur pro divinitate Chriſti. Prob. ant. Nam orabat: *Rogo te, Pater, ut illi unum ſint, ſicut & nos unum ſumus*; ſed homines non prætendunt unitatem naturæ cum Deo, nec inter ſe, ſed moralem quoad affectum, & conſenſum voluntatum; ergo nec Chriſtus cum Deo Patre.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam licet quoad hanc com-

comparationem unitatum non ſit æqualis unitas hominum cum Deo, & inter ſe; non excluditur tamen unitas realis, & numerica inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quam Chriſtus ipſe expreſſe ſignificat, dicens: *Ego, & Pater unum ſumus*. Et comparationes non ſemper quadrant quoad omnia.

Objic. 4. Si probetur Chriſti Deitas ex vocibus *Dei*, vel *generationis*, vel *filii*, idem diceretur de hominibus juſtis; ſed conſ. eſt falſum; ergo, &c. Prob. min. Nam de hominibus etiam iniquis dicit Deus ipſe: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me*. Et de juſtis: [1] *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Et loquitur de Deo, ut Patre noſtro cœleſti: *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt*. Et, *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ejus manet in eo*; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam licet aliquæ voces, vel propoſitiones dicantur de creaturis, ut nomina illa, *Deus*, *filius Dei*, *nativitas ex Deo* per aliquam attributionem, & improprie, non ſequitur, quin dicantur proprie de Deo vero, & Chriſto; & maxime, quia illi conveniunt propria illarum vocum, & propoſitionum ſignificata, quæ non conveniunt illis creaturis, ut probatum eſt.

CONCLUSIO II.

Chriſtus eſt etiam verus homo propter veram humanitatem, quæ in ipſo eſt vere, ac realiter ſubſiſtens per ſubſiſtentiam Verbi. Eſt pariter de fide contra alios hæreticos, qui negarunt in eo veram humanitatem, & inter alios Valentiniani, Cerdoniani, Marcioniſtæ, Manichæi, qui errarunt circa corpus; & Apollinariſtæ, Monothelitæ, Agnoitæ, &c. qui errarunt circa animam Chriſti, & ejus facultates.

Hæc autem probata manent ex diſput. præced. qu. 5. nec opus eſt illa repetere, vel addere, cum ibi dicta ſufficiant ad probandam veram Chriſti humanitatem, & carnem. Et diſp. 2. diximus, Verbum aſſumpſiſſe omnes partes humanitatis. Conſtat igitur Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem propter veras, & reales illas duas naturas, divinam ſcilicet, & humanam,

[1] *Jo.* 1.

quæ in Chriſto uniuntur, & ſubſiſtunt per ſubſiſtentiam Verbi divini.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus dici poſſit unus, vel unum quid, vel duo neutraliter, vel unus filius, vel duo filii, an duo eſſe, &c.

IN Chriſto, ut dicebamus, ſunt duæ integræ, & diſtinctiſſimæ naturæ, atque impermixtæ, ſed unica perſonalitas, & perſona; & ideo dubitatur, an abſolute dicendus ſit unus, vel duo maſculine, an in neutro genere ſecundum grammaticos.

Ad deciſionem autem harum quæſtionum ſciendum 1. quod *duo maſculine* ſignificat duas perſonas, ſive ſuppoſita, ſive ſint integræ tam quoad ſubſiſtentias, ſeu quoad ſolas perſonalitates diſtinctæ, ut ſunt tres perſonæ divinæ, quæ tres ſunt unum. *Neutraliter duo* ſignificat plura entia tam accidentalia, quam ſubſtantialia, tam incompleta, & partialia, quam completa, & totalia; & ſic *unus maſculine* excludit pluralitatem perſonarum, *neutraliter* vero pluralitatem rerum, ſeu naturarum. Repete, quæ diximus in tract. de Trinitate ex Scoto: Quare Pater, & Filius dici poſſint duo ſpirantes, non duo ſpiratores; & cur in Deo ſint tres, & unum. Uno verbo quid requiratur ad prædicandum pluraliter, aut ſingulariter concreta.

Supp. 2. ex dictis, Chriſtum ſecundum divinitatem, ſeu perſonalitatem divinam genitum eſſe a ſolo Patre, & ſecundum humanitatem ex una ſola Matre per operationem Spiritus ſancti; & ita dicitur filius Patris Dei, & Mariæ. An autem per duas filiationes, an per unam, eſt quæſtio, & per conſequens, an ſuppoſitis duabus filiationibus, dicendus ſit duo filii.

Supp. 3. ex dictis ſupra, duas illas naturas, quæ ſunt in Chriſto, exiſtere per proprias ſuas exiſtentias diſtinctas, divinam ſcilicet, & humanam; & ideo quæritur, an in Chriſto ſint duo eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ.

CON-

CONCLUSIO I.

Chriſtus in recto, & maſculine, nec neutraliter non eſt aliqua duo, bene vero in obliquo dici poteſt habens duo. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto [1] expreſſis verbis dicente, quod *Chriſtus non eſt duo maſculine, quia non duæ perſonæ, quia tunc unio non eſſet in perſona, nec duo neutraliter, quia non eſt natura humana, licet habeat in ſe duo neutraliter, ideſt duas naturas*. Ecce totam concluſionem aſſertam, & probatam ſolide.

Prob. 2. ex Symbolis, & Concil. nam in Symbolo Nicæno: *Credimus in unum Dominum Jeſum Chriſtum*, & Athanaſii: *Licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus*. Et id definitur in Concil. Epheſino [2] in confeſſione fidei. Et can. 2. & 3. & Chalcedon. & in VI. Synodo. [3]

Prob. 3. quoad 1. part. nam dualitas maſculine importat dualitatem ſuppoſitorum; ſed Chriſtus non eſt niſi una perſona, ſeu ſuppoſitum; ergo, &c.

Prob. 2. Nam ut Chriſtus diceretur duo neutraliter, & in recto, humanitas deberet prædicari de ipſo in recto, dicendo, Chriſtus eſt humanitas; ſed hoc eſt falſum: nam ex regulis Logicæ, abſtracta non prædicantur de concretis ſuppoſitis in recto, niſi propter identitatem, vel infinitatem. Ideo recte dicitur, *Verbum eſt Deitas*, quia Verbum, & Deitas realiter identificantur, & iſta eſt infinita; ſed neutrum dici poteſt de humanitate in Chriſto, ſeu de ſuppoſito Chriſti; non enim dici poteſt, Chriſtus eſt divinitas, nec humanitas; ergo &c.

Hinc ſequitur veritas 3. par. nam vere dici poteſt in obliquo, Chriſtus eſt habens divinitatem, & humanitatem; ergo &c.

Objic. cont. 1. & 2. par. Chriſtus ut Deus eſt aliquid, quod non eſt ut homo, & e contra; ergo vere eſt aliqua duo, & non unus, vel unum. Antec. prob. Nam ſi Chriſtus eſſet idem ut homo, & ut Deus, eſſet homo ſecundum divinitatem, & viciſſim, quod eſt falſum.

Reſp. ex Scoto diſt. ant. Ut Deus non eſt homo forma-

[1] 3. *d.* 6. *q.* 2, *A. n.* 2. [2] *act.* 8. [3] *act.* 11. & 18.

maliter, ideſt ratione Deitatis formaliter non habet humanitatem, ſeu Deitas non eſt ratio, ſeu cauſa formalis eſſendi homo, vel e contra, conc. non eſt homo, ſpecificative, ita ut idem ſuppoſitum, quod habet Deitatem, non habeat etiam humanitatem, neg. ant. & conſ. nam ſicut de lacte non poſſet dici formaliter, & reduplicative, quod ut album eſt dulce; ita ut ſenſus ſit, quod dulcedo eſt cauſa formalis albedinis, vel e contra; quamvis idem lac ſit album, & dulce: ita eſt de Chriſto, cum dicitur eſſe Deum, & hominem, licet nec ſit homo ratione Deitatis, nec Deus ratione humanitatis.

Objic. 2. Chriſtus non tantum eſt Deus, ſed aliquid aliud præter Deum; ergo in Chriſto eſt aliud, & aliud; ergo duo, vel plura.

Reſp. neg. 1. conſ. Non enim ſequitur abſolute, & in recto, quod ſit aliud, & aliud, ſed tantum quod ſuppoſitum, ſeu perſona Chriſti ſit habens aliquid præter Deitatem, ſc. humanitatem; nam illis prædicatis aliud, & aliud ſemper ſubeſt idem ſuppoſitum, ſeu perſona Chriſti, quæ non duplicatur.

Objic. 3. Ubi eſt differentia ſpecifica, ibi eſt etiam numerica, ſed in Chriſto ſunt duæ naturæ ſpecie differentes; ergo & numero duæ.

Reſpon. diſt. maj. differentia numerica ſpecierum, & formarum, conc. ſuppoſitorum, neg. maj. & conſeq. In Chriſto ſunt duæ naturæ individuales, non duo ſuppoſita, ſic eſt habens duas naturas, ſed ille non eſt duo.

Inſt. Ergo ſaltem neutraliter dicitur duo. Prob. ſubſ. nam duo neutraliter dicit duas naturas.

Reſp. neg. ſubſ. & diſt. prob. duas naturas in abſtracto, & præciſe a ſubjecto, ſeu ſuppoſito, ſi eſt unum, conc. concretive cum unico ſubjecto, neg. nam Chriſtus, qui habet duas naturas, eſt unicum ſuppoſitum.

CONCLUSIO II.

IN *Chriſto ſunt duæ filiationes reales, una æterna, qua reſpicit Patrem, alia temporalis, qua reſpicit Matrem, non tamen dicitur duo filii.* Eſt communior contra Thomiſtas, qui ſolam filiationem æternam in illo agnoſcunt.

Prob.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Dico*, inquit, *quod alia eſt in Chriſto filiatio ad Patrem, & alia ad Matrem, & utraque eſt realis*. Quod ſubtiliter, & ſolide probat per partes.

Prob. 2. Filiatio eſt habitudo producti ad producentem in ſimilitudinem naturæ producti cum producente; ſed in Chriſto ſunt duæ tales habitudines reales, una, qua reſpicit Deum Patrem, a quo ab æterno generatur ut Deus, & alia, qua reſpicit Matrem, a qua generatur in tempore ut homo; ergo, &c. 1. par. min. non negatur a Thom. prob. quoad ſecundam. Chriſtus eſt vere filius Mariæ, & ab ipſa vere generatur in ſimilitudinem naturæ, ſcilicet humanitatis, in qua fundatur hæc habitudo, & illa eſt vere Mater ejus; ergo &c.

Confirm. Nam Chriſtus per veram, & realem generationem temporalem eſt filius Mariæ, ſicut & illa Mater; ergo per veram, & realem filiationem temporalem reſpicit illam, ut Matrem. Prob. conſ. Si quid obſtaret, ne reſultaret ex iſta generatione temporali talis filiatio nova, maxime unitas perſonæ; ſed hæc ratio nulla eſt; ergo,&c. Maj. continet principale fundamentum adverſariorum. Prob. min. Unitas perſonæ non impedit in Chriſto diſtinctionem operationum in duabus voluntatibus ejus: nam volitiones voluntatis humanæ diſtinguuntur realiſſime a volitionibus voluntatis divinæ, quamvis ex Thom. actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum; ergo multo minus unitas perſonæ Chriſti debet impedire dualitatem filiationum fundatarum in diverſis naturis, & diſtinctis generationibus..

Confir.2. Idem homo, qui genuit duos filios, habet duas diſtinctas paternitates ad illos, & ſi una ceſſat, quando unus filius moritur, altera permanet; ergo unitas ſuppoſiti non impedit pluralitatem relationum in Chriſto..

Prob.3. Quia realiter multiplicatis fundamentis, & terminis formalibus relationum, multiplicantur & ipſæ; ſed in Chriſto hæc multiplicantur realiter;ergo &c. Maj. patet ex Philoſophia. Prob. min. Fundamenta filiationis divinæ ad Patrem eſt Verbum cum Deitate, & generatio paſſiva ejuſdem Verbi a Patre, generationis autem humanæ eſt humanitas ut genita per.

[1] *d.8.c.10.*

per Mariam; termini vero ſunt Pater, ut generans Verbum in æternitate, & Maria, ut generans humanitatem in tempore: ergo &c.

Confir. Nam Deus poſſet operari in Virgine ſimilem Conceptionem, quamvis Verbum non ſibi aſſumeret, nec ſuppoſitaret illam naturam, ſed eam permitteret ſubſiſtere propria ſubſiſtentia: ſed in eo caſu proles illa eſſet vere filius Virginis Mariæ: ergo & nunc. Nihil enim novi, aut diverſi accidit in hac generatione Chriſti præter carentiam propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate, & unionem ad Verbum, ad quæ nõ concurrit Maria ſaltem active, & directe: ergo, &c.

Prob. 2. p. quod non ſunt duo filii: 1. ex Concil. Epheſino, ubi anathematizantur, *qui in Chriſto duos filios excogitant*. & in Chalcedon. ubi ſimiliter feriuntur, *qui adminiſtrationis myſterium in duos filios diſtrahere conantur*.

Prob. 2. ex PP. Nam inquit Nazianz. [1] *Id, quod erat, exinanivit, & quod non erat, aſſumpſit, non duplex factus, ſed unum ex duplici natura fieri ſuſtinens, duæ naturæ in unum concurrentes, non duo filii*. Et Chryſoſt. (2) *Ipſe Dei filius, & filius hominis ... & tamen unus filius Dei eſt*. Et Cyrillus: (3) *Unum ſolum eſſe verum, naturalemque filium, ex utroque quaſi conflatum ... unum nobis Chriſtum, & filium effecerunt*, &c. Et Auguſt. (4) *Unus Dei filius, idemque hominis filius ... non duo filii, Dei Deus, & homo, ſed unus Dei filius*.

Prob. 3. nam Chriſtus eſt una perſona, & unum compoſitum; ergo & unus filius; nam denominatio filii non cadit niſi in perſonam, & compoſitum adæquate ſumptum, ut patet in hominibus, apud quos non aliter numerantur filii, quam ex perſonis; & revera PP. utuntur hac ratione, ut probent Chriſtum non eſſe duos filios, quamvis in illo agnoſcant duas filiationes.

Confir. ex Scoto. nam ad multiplicationem concretorum non ſufficit pluralitas formarum, ſed requiritur pluralitas ſubjectorum; ideo habens plures ſcientias non dicitur plures docti, vel ſcientes, ſed unus: ſed in Chriſto duæ filiationes, ſicut & duæ naturæ ſunt.

[1] *anath*. 1. (2) *defin*. 5. *orat*. 31.
[3] *hom*. 11. (4) *Enchir*. 5.

ſunt in uno ſubjecto, & ſuppoſito; ergo Chriſtus non debet dici duo filii, nec abſolute duo.

Objic. 1. cont. 1. Si Chriſtus haberet duas filiationes reales, eſſent duo filii; conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. ex mox dictis; nam eſſet ſolum habens duas filiationes, non duo filii propter unitatem perſonæ.

Objic. 2. Non ſunt multiplicandæ relationes ſine neceſſitate; ſed hic nulla eſt neceſſitas ponendi filiationem temporalem in Chriſto; ergo, &c. Prob. min. ſi quæ eſſet neceſſitas, maxime ut diceretur filius Mariæ; ſed ad hoc non eſt neceſſaria filiatio realis in Chriſto; ergo, &c. Prob. In Deo non admittimus relationem realem Creatoris, aut Domini, ut ſic dicatur Creator, & Dominus hominis; ergo nec in Chriſto relationẽ realẽ filiationis, ut dicatur filius Mariæ.

Reſp. neg. min. 1. & 2. & conſ. 3. argum. & diſparitas eſt, quia creatio hominis nihil ponit novum, & reale in Deo, & Deus non eſt capax novæ entitatis realis; generatio autem Mariæ ponit in Chriſto humanitatem per veram, & realem actionem in illa, & veram paſſionem in Chriſti humanitate.

Inſt. Ideo ponitur in Chriſto filiatio humana, ut dicatur filius Mariæ; ſed ad hoc non requiritur illa relatio; ergo &c. Prob. min. Filiatio temporalis ad Mariam non impedit Chriſtum dici filium Dei etiam in tempore; ergo filiatio æterna non impediret, ſed ſufficeret, ut Chriſtus diceretur etiam filius Mariæ abſque nova filiatione reali.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. & diſparitas eſt, quia generatio humana Chriſti non impedit actionem generativam Patris in Verbum, bene vero actio divina ſola, & adæquata totius Chriſti præveniret actionem, & maternitatem Mariæ; aut ſi non impediret actionem, & maternitatem, ita nec impediret realem filiationem humanam, ut de facto non impedit. Adde, quod ſicut generatio æterna Chriſti non impedit temporalem per Mariam, ita nec filiationem.

Objic. 3. Filiatio eſt proprietas afficiens perſonam; ſed in Chriſto eſt unica perſona; ergo & unica filiatio. Prob. min. nam in Divinis Verbum non dicitur filius propter deitatem, ſed propter perſonam; ergo ita eſt ubique.

Reſp.

Reſp.diſt.maj.afficit perſonam denominative,conc. formaliter, & inhæſive, neg.maj. & conſ. prob. nam diſparitas de Deo eſt, quia Deitas eſt improducta, & ſola perſona Verbi generatur, & eſt quid poſitivum; in creatis ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas eſt pura negatio, & ſola natura generatur: ideo generatio paſſiva, & filiatio ſubjective, & realiter eſt in natura ſola, & denominative in perſona.

Inſt. Sola perſona dicitur filius, non autem dicitur de natura, quod ſit filia; ergo filiatio eſt in ſolo ſuppoſito.

Reſpon. diſt.ant. ſola perſona dicitur filius *ut quod*, conc. *ut quo*, neg. ant. & conſ. nam forma non ſemper denominat ſubjectum ſuum inhæſionis, & *ut quo*, ſed ſæpius totale, & *ut quod*.

Inſt.2. Si filiatio temporalis Chriſti ſubjectaretur in humanitate, ſequeretur, quod ſi jam Verbum dimitteret humanitatem, & eam permitteret ſubſiſtere propria ſubſiſtentia, adhuc ille purus homo diceretur filius Mariæ; ſed conſ.eſt abſurdum; ergo, &c.Maj. patet. Nam filiatio eadem remaneret in iſta humanitate. Prob.min. nam hic novus homo non eſſet genitus ex Maria; ergo non poſſet dici ejus filius.

Reſp.neg.min. & conſ.prob. Nihil enim in hoc abſurdi, vel falſi; nam ſicut illa natura haberet vere eſſe ex Maria, & ut talis ſibi relicta a Deo emanaret ſuam ſubſiſtentiam humanam, quam ab initio emanaſſet, niſi fuiſſet impedita a Deo; ſic filiatio ejus ad Mariam tota permaneret.

Inſt.3. ex PP. & Theologorum mente. B.V.non diceretur Mater Dei, ſi pro eodem inſtanti, quo concepit humanitatem Chriſti,hęc non fuiſſet unita Verbo; tunc enim non genuiſſet, niſi purum hominem,ut volebat Neſtorius, qui ideo nolebat Mariam eſſe Matrem Dei: ſed ſi data reſponſio valeret, non valeret reſolutio, nec ratio Patrum; ergo non valet noſtra. Prob.min. nam licet in eo caſu B.V. non fuiſſet Mater Dei pro illo tempore conceptionis, fuiſſet Mater pro eo tempore, quo Verbum deſtruxiſſet ſubſiſtentiam humanam, aſſumendo illam ſibi; ergo falſa eſſet Patrum ratio. Prob.min. nam adhuc pro illo tempore unionis cum Verbo filiatio humanitatis ad Mariam perſeveraret cum unione ad Verbum; ergo Maria

ſem

ſemper eſſet Mater Verbi,ſicut & humanitatis Chriſti.

Reſpon.neg. min.& conſeq.Nam recte dicebant Patres, Mariam eſſe veram Matrem Dei, quia non genuit purum hominem,ſed Deũ hominẽ, quatenus pro eodem inſtanti reali, quo concepit, & genuit humanitatem Chriſti, hæc unita eſt Verbo, & Chriſtus non fuit prius tempore homo, quam Deus; at non ita eſſet, ſi natura illa fuiſſet prius genita ſubſiſtens per propriam ſubſiſtentiam; nam pro eo tempore, quo aſſumpta fuiſſet a Verbo, nihil amplius influebat, nec operabatur Maria. Denique genuiſſet purum hominem, & non hominem Deum; filiatio autem fundatur in generatione paſſiva.

Inſt. 4. In eo caſu adhuc diceretur Mater Chriſti; ſed Chriſtus eſt Deus; ergo diceretur Mater Dei; ergo nulla ſolutio.

Reſp.neg.maj.vel ſic diſt. Mater humanitatis, quæ eſt in Chriſto, & per denominationem ex generatione præterita, conc. proprie,& immediate, neg. maj. & conſ. quia filius per eam genitus non fuiſſet Chriſtus, ſed purus homo.

Objic.4. Duæ formæ ejuſdem ſpeciei non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto; ſed duæ filiationes ſunt hujuſmodi; ergo non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſuppoſito Chriſti.

Reſpon.1. neg.maj. Nam in ſententia noſtra omnes gradus qualitatis intenſæ ſunt ejuſdem rationis, & ſunt in eodem ſubjecto, & duæ ſimilitudines in eodem ſubjecto ad plures terminos.

Reſp.2.hic proprie duas relationes nõ eſſe in eodem ſubjecto inhæſionis; nam filiatio temporalis ſubjectatur in humanitate, & æterna in Verbo.

Reſp.3.neg.min. Nec enim filiatio æterna Chriſti ad Patrem, & temporalis ad Matrem videntur eſſe ejuſdem ſpeciei; illa eſt ſubſtantialis, iſta accidentalis; illa eſt conſtitutiva perſonæ Verbi, iſta eſt adhæſiva naturæ humanæ. Denique fundamentum, & terminus ſunt diverſiſſima.

Objic.denique. Si Chriſtus habuiſſet filiationem ad Mariam fundatam in ſua humanitate, illa periiſſet in triduo mortis, quia tunc deſtructa eſt humanitas, & fundamentum ejus; ſed filiatio Chriſti nũquam deſiit; ergo non eſt in humanitate ad Mariam, ut Matrem.

Reſp.

Reſp.diſt.maj.Periiſſet,ideſt interrrupta eſſet, tranſeat, omnino periiſſet, neg.maj. & conſ. & pariter diſt. min. nam ſicut per reſurrectionem revixit eadem humanitas per Mariam genita, ita & filiatio, qualis remanet poſt actuales generationes in filiis.

Reſp.2.neg.maj. Quia licet humanitas in triduo deſtitit quoad unionem corporis, & animæ a ſe invicem, illa remanſerunt unita Verbo, & ſic non periit totaliter quoad ſuppoſitum, nec per conſequens filiatio.

CONCLUSIO III.

IN *Chriſto ſunt duo eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ, & una perſona, nec ideo dici poteſt duo eſſe, nec duo exiſtentes.*

Prima, & ſecunda pars patent ex dictis ſupra non ſemel, & maxime de unione, probantes, quod facta eſt non in natura, ſed in perſona, & quod per conſequens manſerunt ibi duæ naturæ integræ, divina, & humana, diſtinctæ realiter, & impermixtæ, contra Eutychianos, & ſubſiſtentes in eadem ſubſiſtentia, ſeu perſona Verbi, quæ eſt realiter una contra Neſtorianos.

Prob.3.p. nam inquit Scotus, *Concretum non numeratur abſque numeratione ſuppoſiti*; ſed in Chriſto eſt unicum ſuppoſitum; ergo & unicum eſſe, & unicus exiſtens; ſicut per duas voluntates, & diverſas volitiones non dicitur duo, vel plures volentes.

Objectiones, & fundamenta hæreticorum diluta ſunt ſupra.

Poſſet etiam hic quæri, *An Chriſtus conſtans illis naturis dici poſſit compoſitus.* Sed de hoc diximus ſupra, quo ſenſu id verum eſſe poteſt.

Quæres, *An dici poſſint in Chriſto tres ſubſtantiæ, aut tres ſubſiſtentiæ ſubſtantiales.*

Reſp. quod licet nomen ſubſiſtentiæ ſumatur pro ſubſtantia, vix tamen permitti debet in Chriſto pluralitas ſubſiſtentiarum, quia ſic viderentur multiplicari ſuppoſita, ſeu perſonæ in Chriſto, quod eſſet hæreticum, ut patet ex dictis.

Reſp.2. recte poſſe dici eſſe duas, imo & tres ſubſtantias in Chriſto; nam ſumpto nomine ſubſtantiæ pro eſſentia, ſeu natura integra, ſic ſunt tantum duæ

ſub-

ſubſtantiæ, ideſt duæ eſſentiæ, ſeu naturæ, divina, & humana; ſed ſumpta voce ſubſtantiæ in rigore metaphyſico, dici poteſt compoſitus ex tribus ſubſtantiis, ſc. divina, & corpore, & anima rationali, ut loquitur Auguſt. *Quandoquidem ſic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus ſubſtantiis fieret una perſona, & per hoc jam ex tribus, Deo, anima, & carne*. Vides perinde eſſe, Chriſtum dici conſtare ex duabus, vel ex tribus ſubſtantiis.

QUÆSTIO III.

An in Chriſto ſint duo intellectus, & voluntates.

JAm diximus, Verbum aſſumpſiſſe totam humanitatem tam quoad corpus, quam quoad animam rationalem; ex quo ſatis evidenter colligitur, quod aſſumpſit etiam intellectum, & voluntatem humanam; quandoquidem in noſtra ſententia hæ facultates non diſtinguuntur realiter ab animæ ſubſtantia. Sed placet hoc de iſtis ſpecialiter examinare propter aliquos hæreticos, qui licet in Chriſto duas veras naturas agnoſcerent, contra Arrium, & Eutychem, tamen eorum aliqui intellectum, ſeu mentem humanam illi negarunt, ut Apollinariſtæ, aut ſi conceſſerunt alii, voluerunt illum eſſe ignorantem.

Ideo dicti ſunt *Agnoitæ*, quaſi ignorantes, aut ignorantiæ aſſertores. Alii voluntatem, aut ſaltem actiones voluntatis humanæ illi negarunt, ut Monothelitæ. Alii unicam operationem, & voluntatem, dicti Monophyſitæ. Imo quidam putant illos hæreticos, qui Monothelitæ dicuntur, non negaſſe duas voluntates, ſed tantum operationes diſtinctas voluntatis, ſeu voluntatem humanam quoad operationes, quia ex duabus naturis unicam conflabant cum Eutychete.

CONCLUSIO.

IN *Chriſto fuerunt realiter duo intellectus, & duæ voluntates, divina ſcilicet, & humana: non tamen duo intelligentes, nec duo volentes*. Eſt de fide contra Apollinariſtas, & Monothelitas.

Prob.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Iſtam quæſt. ſolvit Damaſcen.* inquit, *quod ſicut ſecundum fidem firmiter tenendum eſt in Chriſto eſſe duas naturas, & unam hypoſtaſim, ita oportet concedere, ſicut conſequens ex illo, quod in ipſo ſint proprietates naturales, & potentiæ utriuſque naturæ; ſed potentiæ perfectiſſimæ naturæ rationalis ſunt intellectus, & voluntas; ergo in ipſo ſunt intellectus creatus, & voluntas creata, & ratione divinæ naturæ eſt in ipſo intellectus increatus, & voluntas increata.*

Prob.2.quoad 1.par.ex Script.qua conſtat Chriſtum habuiſſe omnes operationes, quæ competunt intellectui humano: Ut cum miratur fidem Centurionis, & cum dicitur habuiſſe dona intellectus, & conſilii, & quod *proficiebat ſapientia*, &c. Id enim dici non poſſet de intellectu divino. Item ex illis, quibus docemur, illum fuiſſe verum hominem, & oraſſe Patrem, & pernoctaſſe in oratione; nam oratio eſt elevatio mentis in Deum.

Prob.2.p. ex Script. ex qua patet diſtincta in Chriſto voluntas, & volitiones ejus a voluntate, & volitionibus Patris: ut cum dicit, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Et, *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me*. Item, *Factus obediens uſque ad mortem*, ſcilicet moritur ex obedientia, & ſubmiſſione voluntatis ſuæ ad paternam; &c.

Prob.2.ex Conciliis, in quibus hæc veritas definita eſt contra Monothelitas, ut in Lateran.[2] ſub Martino I. *Si quis non confitetur proprie, & vere duas ejuſdem, & unius Chriſti Dei voluntates, ſimiliter & operationes cohærenter unitas, divinam, & humanam*, &c. *ſit condemnatus*. Et in VI. Synodo: *Omnes, qui docuerunt, & qui dicunt unam voluntatem, & unam operationem in duabus naturis unius Domini noſtri Jeſu Chriſti, anathematizamus*. Et ex Epiſt. Synodica Agathonis Papæ: *Juxta quod olim Prophetæ in Chriſto, & ipſe nos erudivit, & SS. PP. nobis tradidit ſymbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes prædicamus*.

Prob.4. ex PP. nam inquit Damaſc. *Voluntas ſequitur naturam, non perſonam:* ergo ſicut ſunt in Chriſto

[1] *d.17.A.n.2.* [2] *can.10.*

ſto duæ naturæ veræ, & reales, ita & duæ voluntates. Alii hoc colligunt ex præcitatis verbis Chriſti in horto. Nam inquit Athanaſ. *Voluntas humana propter carnis imbecillitatem mortem deprecatur, divina vero ipſius prompta*. Idem in idem colligunt Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & alii communiter.

Prob.5.ratione. Sunt in Chriſto duæ naturæ integræ,& impermixtæ, & diverſiſſimæ; ergo & diverſæ facultates ſingulis naturis propriæ, & inſeparabiles, quales ſunt intellectus, & voluntas. Antec. patet ex Symbolo Athanaſii, in quo dicitur *perfectus Deus*, &c. ergo &c.

Prob.6.ex fine incarnationis, ſcilicet ad merendam nobis remiſſionem peccatorum, & pro illis ſatisfaciendum; ſed Chriſtus non potuiſſet mereri per actus voluntatis divinæ, ut ſuppono ex dictis de conditionibus meriti; ergo &c.

Prob.3.p.ex dictis ſupra ex Scoto. Non numerantur concreta (qualia ſunt *intelligens*, & *volens*) niſi numerentur ſuppoſita; ſed in Chriſto eſt unicum ſuppoſitum; ergo eſt unus intelligens, & volens.

Objic.1. pro Monothelitis. Vigilius Papa approbavit Epiſtolam Mennæ Patriarchæ Conſtant. qua aſſerebat unicam in Chriſto voluntatem. Et Honorius doctrinam Sergii Monothelitarum Principis per duas Epiſtolas in VI. Synodo lectas; & ideo anathematizatus eſt ab Agathone, & a VI. Synodo cum aliis Monothelitis; ergo vel iſti Pontifices errarunt in fide, vel unica eſt voluntas in Chriſto.

Reſp. neg. ant. Neuter enim horum Pontificum favit huic errori: ſed quæ illis tribuuntur, ſcripta fuerunt ab hæreticis conficta, & truncata, & falſificata, ut late probat P. Fraſſen. Nam actione 12. VI.Synodi legitur de Vigilio, quod *ſint fallaces duo libelli, qui in ea continentur*, ſcilicet 1. actione V. Synodi, *quaſi porrecti a Vigilio, Juſtiniano, & Theodoro piæ memoriæ*. Honorius autem nihil contrarium ex Cathedra definivit, ſed tantum ex privata mente reſcribit Sergio: *Ut unius, vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei... in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus fide*

ortho-

orthodoxa, & unitate catholica prædicet. Sicque neutram partem definitit hic Papa, ſed dixit abſtinendum a vocibus unius, aut duplicis voluntatis, quod ſolent Pontifices naſcentibus controverſiis, donec veritas melius eluceſcat, & definiatur; & ideo ſuſpicionem hæreſis incurrit, ut colligitur ex Epiſt.2. Leonis ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & eum negligentiæ damnat potius, quam erroris: *quia*, inquit, *flammam hæretici dogmatis non (ut decet Apoſtolicam auctoritatem) incipientem extinxit, ſed negligendo confovit*. Alibi dicit: *Regulam, quam a prædeceſſoribus accepit, maculari permiſit*. Hæc refert Cabaſſutius in notis Eccleſ. in Syn. VI. [1]

Confir.hoc ex Agathonis Epiſt.ad Imperatores, qui ſucceſſor Honorii, & Vigilii non diceret ita confidenter, quod *Apoſtolica Eccleſia Chriſti per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erravit, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed illibata permanſit*: Hoc, inquam, non ita confidenter ſcriberet hic Papa, ſi tam recens exemplum errantis Honorii prædeceſſoris ſui agnoviſſet. Item ex Joanne, qui in Ep. ad Conſtantinum Imperatorem dicit, Honorium prædeceſſorē negaſſe tantum duas voluntates in Chriſto, ſicut ſunt in nobis poſt peccatum; quia tales in membris ejus (Chriſti) non conſiſtunt, quia nihil contraxit ex prævaricatione primi hominis.

Objic.2. SS. Patres docent, quod utriuſque voluntatis una erat operatio; ergo licet admittantur duæ voluntates in Chriſto, non operabantur ſeparatim. Prob. antec. Cyrillus dixit, *Chriſtum unam cognatam operationem per ambas naturas oſtendiſſe*. Et alibi dicit, quod *Chriſtus utebatur propria carne tanquam inſtrumento ad opera carnis*, &c. ſcilicet voluntas humana Chriſti non agebat, ſed agebatur ut inſtrumentum. Gregor.Nyſſen. *Divinitatem per corpus ſalutem operari, ita ut propria carnis perpeſſio ſit divinitatis operatio*. Idem docebat Philo; ergo voluntas humana Chriſti nihil operabatur.

Reſp.neg.ant.& conſ. prob. Nam Cyrillus in primo loco loquitur de operatione miraculorum, quæ principaliter pertinebat ad divinitatem, ad humanitatem vero

[1] *pag*. 294.

vero per communicationem virtutis divinæ. In 2. loco loquitur de carne, ut instrumento, non ut mortuo, vel artificioſo, ſed vitali, & naturali, quod licet ex moventis virtute agat, ut voluntas ex motione gratiæ, tamen etiam ex propria virtute agit. *Agit ut agens*, ait Auguſtinus. Eodem ſenſu loquuntur alii. Et certe paſſio non poterat pertinere ad humanitatem, niſi & hæc etiam fuiſſet activa.

Inſt. Inſtrumentum non agit ex ſe, ſed ex ſola actione agentis principalis; ſed ex Patribus humanitas Chriſti dicitur inſtrumentum divinitatis ejus; ergo humana voluntas Chriſti nihil operabatur.

Reſp. diſt. maj. & min. inſtrumentum pure artificiale, & mortuum, quod caret propria virtute naturali activa, ut malleus, &c. con. maj. & neg. min. inſtrumentum naturale, vivens, & habens ex ſe principium activum, neg. maj. & conſ. nam voluntas humana, & maxime in Chriſto, eſt facultas activa in actibus pure naturalibus, ut ſunt locutio, volitio, &c. erat cauſa principalis, in ſupernaturalibus vero minus principalis, & motus, & gratia Dei cauſa principalis.

Objic. 3. Si fuiſſent in Chriſto duæ voluntates operantes, fuiſſent aliquando inter ſe pugnantes; ſed hoc repugnat ſanctitati Chriſti; ergo &c. prob. maj. voluntas humana per libertatem potuiſſet repugnare divinæ.

Reſp. 1. neg. maj. nam ex ſumma gratia, & maxime originali juſtitia fuit in Chriſto perfectiſſima rectitudo voluntatis humanæ, ita ut numquam repugnarit divinæ: & hoc decebat ſanctitatem ejus ſummam.

Reſp. 2. neg. min. de quo infra. Nam licet de facto inter illas voluntates fuerit perfectiſſima conformitas; non tamen implicat, illum per voluntatem humanam ſaltem inefficaciter potuiſſe aliter velle, quam per divinam, quo ſenſu dicebat, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, aut, *non mea voluntas, ſed tua fiat*. Unde inefficaciter, & conditionate voluiſſet non mori, alioqui ficte oraſſet, ut tranſiret calix.

Inſt. In Chriſto divina voluntas fuiſſet ſuperior, & domina, & ſufficiens; ergo ſuperflua erat humana, imo & non libera.

Reſp. diſt. ant. quoad 1. p. fuiſset ſuperior, & do-

mina ſicut modo quoad noſtras, con. aliter, neg.ant. nam aliud dominium, ſaltem in præjudicium libertatis eſſentialis, non habet divinitas in humanitatem Chriſti, quam in noſtras: quoad 2. p. neg. abſolute ant. propter rationes concluſionis.

Quæres 1. *An voluntates Chriſti fuerint aliquando contrariæ.*

Reſp. numquam fuiſſe contrarias, ſed perfectiſſime conformes.

Prob. 1. ex Script. qua ipſe teſtatur ſe omnia facere ex conformitate, & obedientia ad voluntatem Patris, etiam in his, quæ liberrime faciebat. [1] *Ego pono animam meam a me ipſo*, ſc. volens: *hoc mandatum accepi a Patre meo. Ego a me ipſo non ſum loquutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mandatum dedit:* Et *ſicut mandatum dedit Pater, ſic facio.* Et, *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus*, &c. Et, *factus eſt obediens uſque ad mortem*, &c.

Prob. 2. ex dicendis de ejus ſanctitate, quæ non fuiſſet perfecta, & ſumma ſine perfecta conformitate voluntatis ſuæ humanæ cum divina.

Dices. Per voluntatem humanam horrebat mortem, *Triſtis eſt anima mea*, & in Cruce queritur, *Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* ergo aliquando humana repugnabat voluntati divinæ.

Reſp. neg. conſ. nam illa triſtitia non veniebat ex repugnantia partis ſuperioris animæ, ſed ex infirmitate carnis. Et eodem ſenſu loquitur in Cruce, quatenus pro tempore paſſionis ſuſpenſa eſt communicatio Beatitudinis in partem inferiorem, ut poſſet pati.

Quæres 2. *Quænam dicantur operationes Theandricæ.*

Reſp. quod in aliquo ſenſu omnes actiones Chriſti fuerunt *Deivirilis*, ſeu *Theandricæ*, ſeu Dei hominis, ſed proprie, & in ſenſu Theologico, illæ dicuntur, quæ ſunt mixtæ ex voluntate, vel potentia divina, & humana ſimul, ut ſunt miracula, reſuſcitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, &c. quod ut capias

Nota, Chriſtum aliquando operatum eſſe actiones pure naturales, & proprias homini, ut cum dormiebat, vigilabat, comedebat, &c. & iſtæ dicuntur proprie actiones humanæ, ſed aliquo ſenſu dicuntur etiam

[1] *Jo.*10.& 12.& 14.*Phil.* 2.

tiam *Theandricæ*, & *Deiviriles*, quia erant actiones perſonæ, quæ eſt Deus homo, & homo Deus, ſeu humanitatis ſubſiſtentis in Verbo: & quo ſenſu dicitur, quod actiones ſunt ſuppoſitorum, eodem ſenſu dicitur, quod *Deus patitur in Chriſto*, *Deus moritur*, *Deus ſedet*, &c. quia ſedens, moriens, manducans, &c. *eſt Deus homo*. Aliæ e contra erant pure divinæ, quæ illi communes erant cum Patre, & Spiritu S. & in quibus humanitas non participabat, ut operationes ad intra, & actiones in diſtans, illuſtrationes internæ animarum, &c. Aliæ denique fuerunt mixtæ, ut operationes miraculoſæ, in quibus potentia, & voluntas divina operabatur per humanitatem, per verba, per linimenta, &c. Et iſtæ erant operationes Theandricæ, quia utraque voluntas concurrebat.

QUÆSTIO IV.

An Chriſtus ſit filius Dei, etiam ut homo, & qualis.

DIcebamus ſupra in Chriſto eſſe duas filiationes: æternam, qua reſpicit Deum Patrem, & quæ fundatur in perſonalitate Verbi: & temporalem, qua reſpicit Matrem, & quæ fundatur in humanitate: jam quærimus, an ille abſolute dicendus ſit filius Dei, & quali filiatione: 2. & quidem quatenus homo eſt, non ſecundum humanitatem in abſtracto, ſed quatenus homo in concreto; nam certum eſt hoc prædicatum illi non convenire ratione humanitatis præciſive a ſuppoſito.

Duplex autem diſtinguitur filiatio; *naturalis*, quæ contrahitur per phyſicam generationem; & *adoptiva*, quæ contrahitur per liberam electionem, & acceptationem. Eſt enim *adoptio* perſonæ extraneæ ad hæreditatem aſſumptio gratuita: unde requirit 1. ut adoptatus ſit perſona extranea non pertinens per naturam ad adoptantem aliquo vinculo naturæ, ex quo habeat jus ad hæreditatem: 2. ut ſit gratuita, & non debita ex alio titulo, nec collata cum titulo oneroſo; 3. ut ſit acceptata ex parte adoptati: eſt enim quaſi mutuus contractus utrimque voluntarius, ut ex vi adoptionis adoptatus habeat jus ad hæreditatem ado-

ptantis. Quærimus ergo hic, an Chriſtus non tantum abſolute, ſed etiam reduplicative, ut homo, dici debeat filius Dei naturalis, vel adoptivus.

CONCLUSIO.

Chriſtus abſolute dicendus eſt filius Dei naturalis, non autem adoptivus, nequidem ut homo. Eſt communis contra Felicem Epiſc. Urgelitanum, & Elipandum Archiepiſc. Toletanum, qui dicebant Chriſtum eſse adoptivum, imo & ſervum Dei Patris.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Quia ſi diceretur adoptivus, tunc eſſet filius totius Trinitatis, quia tota Trinitas adoptat, ſicut & agit omnem actum ad extra, & ita eſſet filius ſui.* Et poſtquam aſſignavit conditiones filiationis adoptivæ, concludit: *Patet, quod iſta non conveniunt Chriſto ſecundum generationem divinam, quia ex generatione naturali divina eſt hæres naturalis in hæreditate æterna. Secundum etiam humanam naturam non dicuntur hæc ſibi convenire, quia ſecundum generationem iſtam non fuit extraneus, quia fuit innocens*; ergo ex Scoto, Chriſtus, etiam ut homo, non eſt filius Dei adoptivus.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. in qua dicitur (2) *Unigenitus a Patre*, & toties ipſe vocat Deum Patrem ſuum: *Exivi a Patre, & veni in mundum.* Et, *vado ad Patrem* &c. Item, (3) *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.*

Confir. ex ſymbolo Apoſtolorum, *In I. C. filium ejus unicum*, & ex Nicæno, *filium Dei unigenitum, & ex Patre natum*: Et Athanaſii, *Dominus I. C. Dei filius Deus, & homo eſt.*

Prob. 1. p. 1. ex Concil. Francofortienſi, in quo Adriano Papa confirmante, impugnatur ſententia Felicis, & Elipandi, maxime ex Script. in qua Chriſtus ſemper Deum vocat Patrem ſuum, ſc. proprium; homines vero docentur eum vocare Patrem noſtrum: *Non dixit Patrem noſtrum*, ait Adrianus, *ſed Patrem meum, natura videlicet, & Patrem veſtrum gratia.* Item quia dicitur proprius Dei filius, etiam cum ſermo eſt de ejus paſſione, & morte, quam ſubjit ut homo. *Proprio filio ſuo non pepercit*, &c. nam inquit Papa;

[1] *d.*10.*A.n.*1.*&* 2. [2] *Jo.* 1. [3] *Luc.* 1.

pà: *Chriſtus non eſt traditus ſecundum divinitatem, ſed ſecundum quod homo erat.*

Prob. 2. ex PP. nam, inquit Auguſtin. (1) *lege ſcripturas, numquam invenies de Chriſto dictum, quod adoptione ſit filius.* Et PP. Francofortienſes: *Tu vero, quiſquis es, qui Chriſtum prædicas adoptivum, unde iſte tibi ſenſus veniſſet, ſcire Patriarchæ neſcierunt: Tractatores hoc nomen tacuerunt, DD. fidei noſtræ non docuerunt* &c. Et Hilarius ad cit. locum Apoſtoli: (2) *numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen?* Et ſic de aliis.

Prob. 3. ratione præfati Concilii; nam adoptio eſt gratuita deſtinatio perſonæ extraneæ ad hæreditatem; ſed Chriſtus etiam ut homo non eſt perſona extranea Deo Patri; ergo non poteſt dici adoptivus. Maj. patet ex Concil. cit. *Quid eſt adoptio, niſi charitatis copulatio, qua pater adoptione ſibi copulat filium, quem proprium non habet... adoptivus dici non poteſt, niſi qui alienus eſt ab eo, a quo dicitur adoptatus.* Prob. min. nam Chriſtus etiam ut homo non eſt alienus a Deo Patre, nec unquam fuit; in ipſo inſtanti conceptionis humanitas ejus ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi, & eſt perſona divina, & talis concipitur, & naſcitur: ergo non eſt perſona extranea Deo Patri; ergo non poteſt dici adoptivus, nequidem ut homo. Nam per unionem hypoſtaticam naſcitur, & concipitur Deo Patri ſubſtantialiter unitus, & per conſequens ut filius proprius Dei.

Confir. nam ſi diceretur adoptivus, ut homo, diceretur etiam abſolute; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. prob. maj. quæ enim dicuntur de Chriſto homine, dicuntur etiam abſolute, ſicut dicitur pati, mori &c.

Confir. 2. ex Concil. citato, quia cum ſibi objiceret, *Quid times Chriſtum adoptivum nominare?* Reſpondit: *Dico tibi, quia nec Apoſtoli ſic eum nominarunt, nec ſancta Dei Catholica Eccleſia ... Adoptivus ſiquidem non habet aliam ſignificationem, niſi ut I. C. non ſit filius proprius Dei*; ergo &c.

Objic. 1. ex Scoto, qui in partem contrariam inclinat, ut plures Scotiſtæ putant, & maxime in reportatis, ubi dicit: (3) *De virtute vocis Chriſtus poteſt dici filius adoptivus Dei*; ergo &c.

[1] *Can. ſecund.* 3. [2] *6. Trinit.* [3] *d. 10. n. 4.*

Reſp. neg. ant. nam Scotus ſatis aperte inclinat in partem noſtram, & potius dubitat de rationibus, quibus id probatur, quam de veritate rei: quia in ſcripto Oxonienſi licet non multum fidat in fundamentis partis negantis adoptionem, tamen, ut recte notat Pater Macedo, ponit partem affirmantem cum ſuis fundamentis, ut eam impugnet, & de facto ſolvit: 2. quia refert ſe ad litteram Magiſtri, & alios auctores in ea citatos, qui nobiſcum ſentiunt: 3. de ſuo addit rationem, quam non impugnat, quia ſc. illa adoptio eſſet a tota Trinitate, quia eſſet actus ad extra, & ſic Chriſtus diceretur adoptivus filius non Patris, ſed Trinitatis: 4. quia ſemper a Chriſto excludit conditionem principalem adoptionis, ſc. extraneitatem, & docet, Chriſti humanitatem, ex vi unionis hypoſtaticæ, in qua vere homo conceptus eſt, habuiſſe ſemper jus ſaltem concomitans ad gratiam, & gloriam, quod jus non habuerunt Angeli, nec B.V. licet non fuerint unquam extranei extraneitate peccati. In Reportatis autem licet videatur problematicus quoad vocem, tamen in re ſemper negat præfatam extraneitatem ob rationem allatam.

Inſt. ex Scoto. In primo inſtanti naturæ humanitas ſupponitur producta, & in 2. inſtanti pariter naturæ fuit unita Verbo, & in 3. tantum fuit in gratia; ergo in 1. inſtanti humanitas fuit prorſus extranea; & in 2. fuit adhuc extranea quoad gratiam, & per conſequens ſine jure ullo ad hæreditatem; ergo ſaltem in illo 3. inſtanti Chriſtus fuit adoptatus.

Reſp. neg. utramque conſ. nam licet humanitas ſupponatur prius creata in eſſe naturæ, quam perſonæ, & unionis; tamen in illo 1. inſtanti naturæ, aut præſuppoſitionis non cenſetur capax filiationis naturalis, vel adoptivæ, quia adoptio cadit in perſonam, ſicut & extraneitas; in 2. autem inſtanti, quod eſt inſtans unionis, perſona illa ex vi unionis hypoſtaticæ includit ſuppoſitum Verbi, cui repugnat extraneitas reſpectu Dei, & Chriſtus vere cenſetur Deus, ſicut & homo, & in eodem inſtanti habet jus radicale ad gratiam, & per conſequens ad hæreditatem, quod jus inducit gratia ipſa in 3. inſtanti collata. Jus ergo illud radicale ex Scoto repugnat extraneitati requiſitæ ad veram adoptionem.

Objic.

Objic. 2. ex Patribus, qui eum dicunt eſſe filium per adoptionem; ergo &c. prob. ant. nam, inquit Irenæus, [1] *mixtus homo verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*. Et Marius Victorinus: [2] *Nos adoptione filii, ille natura etiam, & adoptione quadam filius, & Chriſtus, ſed ſecundum carnem*. Et Hilar. *poteſtatis divinitas non amittitur, cum carnis humilitas adoptatur*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. per adoptionem quamdam, ſc. impropriam, con. per veram, & propriam, neg. ant. & conſ. nam ſic loquuntur de Chriſto ſecundum carnem, ad differentiam filiationis naturalis ejus ſecundum divinitatem, quæ eſt non tantum in ſimilitudinem, ſed etiam in unitatem naturæ. In Hilario forte pro *adoptatur*, legendum *adoratur*, ut ex præcedentibus facile colligitur.

Objic. 3. Ipſe Chriſtus dicit ſe inferiorem Patre. [3] *Pater major me eſt*; ergo & extraneum, & capacem adoptionis. Item Apoſt. comparat filiationem noſtram filiationi Chriſti, cujus ſimus cohæredes; *cohæredes autem Chriſti*; ſed ſumus filii, & hæredes per gratiam adoptionis; ergo &c. Item dicitur *prædeſtinatus filius Dei*; ergo id non habet niſi ex libera Dei adoptione, & electione.

Reſp. neg. conſ. 1. arg. nam illa majoritas non eſt ad propoſitum adoptionis; illa comparatur præciſe ad naturam; iſta vero involvit perſonam cum natura. Sic etiam neg. maj. fundatam in Apoſtolo: non enim repugnat naturalitati filiationis Chriſti, & juri ad hæreditatem, quod ex gratia, & adoptione ſimus ejus confratres, & cohæredes. Ad 3. neg. conſ. nam plus requiritur ad veram adoptionem, quam ad prædeſtinationem; licet enim adoptio ſit quædam prædeſtinatio ad hæreditatem; tamen ut iſta ſit vera adoptio requiritur, ut, qui ſic prædeſtinatur, ſit extraneus prædeſtinanti, quod deeſt in Chriſto, etiam ut homo eſt.

Objic. Ut Chriſtus diceretur filius Dei naturalis, deberet eſſe genitus ab illo; ſed Chriſtus, ut homo, non eſt genitus a Deo; ergo nec filius Dei naturalis.

Reſp. diſt. maj. genitus ſaltem ſecundum aliquid ejus,

[1] 1.*Con.hær.*21. [2] 1.*Con.Cand.*2.*trin.*
[3] *Jo.*14.*Rom.*8.

ejus, con. ſecundum omnia, quæ ſunt in ipſo, neg. maj. Chriſtus eſt genitus a Deo ſecundum perſonam, in qua ſubſiſtit, licet non ſecundum humanitatem, quæ ſubſiſtit in perſona Verbi, & ſic humanitas per illam unionem, & ſubſiſtendi modum participat de filiatione Dei naturali, & ſicut dicitur homo Deus, ita & filius Dei naturalis, ſcilicet per participationem.

Inſt. Deitas, & humanitas manent impermixtæ; ergo & proprietates, & filiationes.

Reſp. diſt. conſ. proprietates reales, & neceſſario conſequentes naturas, ut mortalitas, & immortalitas &c. con. accidentales, ut adoptio, neg. conſ. humanitas non neceſſario habet unionem cum perſona Verbi, & ſic in ſenſu diviſo unionis eſt adoptabilis, ſed ſtante unione ad Verbum non eſt adoptabilis, quia non eſt perſona extranea.

Inſt. 2. Chriſtus, ut homo, eſt filius Mariæ; ergo ut homo eſt extraneus Deo; ergo capax adoptionis.

Reſp. diſt. conſ ut homo præciſive a ſuppoſito Verbi, con. ut homo ſimpliciter, & abſolute, neg. conſ. nam ſicut Maria dicitur Mater Dei propter ſuppoſitum Verbi, per quod terminatur, & ſuſtentificatur humanitas, quam genuit Maria, ita ob eamdem rationem Chriſtus, ut homo, non eſt abſolute extraneus Deo, quia eſt Deus ſimul, & homo, & hæc vox *homo* importat ſuppoſitum.

Inſt. 3. Chriſtus ut homo eſt capax gratiæ habitualis, & ſanctificantis; ergo & adoptionis, nam illa gratia eſt adoptionis.

Reſp. neg. conſ. & diſt. rationem ejus. Tribuit adoptionem ſubjecto capaci adoptionis, con. incapaci, & non extraneo, ſed habenti jus ad hæreditatem, neg. ant. nam Chriſtus ut homo ſubſiſtit in Verbo, & hoc prius natura, quam habeat gratiam ſanctificantem: & ſic habet jus ad ipſam gratiam, & ad hæreditatem, priuſquam gratia poſſit illi conferre adoptionem.

Fateor, quod in aliquo ſenſu poſſet verificari hæc propoſitio: *Chriſtus ut homo non eſt filius Dei naturalis*, ſi videlicet fieret reduplicatio ſupra humanitatem in abſtracto, & præciſive a ſubſiſtentia Verbi, quia ſic humanitas eſt vere extranea Deo, ſed quia in

con-

concreto involvitur perſonalitas Verbi, ideo proprie, & in rigore Chriſtus ut homo non eſt perſona extranea Verbo.

Inſt.4. ex Scoto, & per nos, filiatio cadit in naturam, & non in perſonam; ergo & adoptio, nam hec ſequitur filiationem.

Reſp.neg. conſ. nam adoptio eſt perſonæ, & in defectum naturalitatis, unde ſupponit filiationem externam: imo, quia in Chriſto ſunt duæ filiationes, una divina, altera temporalis, ideo non eſt capax adoptionis propter filiationem divinam, quæ in illo eſt, & importatur nomine Chriſti, & hominis concretive ſignificati.

Quæres, *an dici debeat filius naturalis, ſecundum quod homo eſt.*

Reſp. probabilius videri, quod dici poteſt etiam naturalis, non autem adoptivus: patet ex dictis quoad 1. p.

Ratio 2. p. eſt, quia tam ex parte ſubjecti, quam prædicati involvitur ſuppoſitum Verbi, in quo humanitas ſubſiſtit; ſed ſuppoſitum Verbi eſt filius naturalis Dei Patris; ergo & Chriſtus in hoc ſenſu, & ſuppoſitione. Prob. maj. nam *Chriſtus*, qui in hac propoſitione eſt ſubjectum, involvit utramque, ſc. perſonam Verbi, & naturam humanam, & partes, ex quibus velut componitur. *Homo* autem, ſeu, *ut homo*, videtur quidem reſtringere ſignificationem Chriſti ad hanc partem, ſc. ad humanitatem, ſupra quam reduplicat, ſed tamen non ſolam, ſed ſemper ut ſubſiſtentem, & perſonatam. Nam ly *homo* ſupponit pro perſona, & non pro ſola natura in abſtracto; ergo ſemper involvit perſonalitatem Verbi. Quoad prædicatum autem, quod eſt, *filius naturalis*, cadit in illud ſubjectum, prout exprimitur, ſc. in Chriſtum, ut hominem, ſeu in ſuppoſitum, ut habens humanitatem; ita enim ſimilia concreta ſolent explicari, ut dicant ſuppoſitum in recto, & naturam in obliquo, & ita ſemper connotat perſonam Verbi.

Fateor autem hanc difficultatem eſſe potius de modo loquendi, & de nomine, quam de re, nec ſine probabilitate alios dixiſſe, quod Chriſtus ſub hac reduplicatione *ut homo*, non eſt filius proprie naturalis, nec adoptivus, ſed nude filius Dei, non natura-

lis, quia ut homo, ſeu ratione humanitatis non procedit a Deo in ſimilitudinem naturæ, nec humanitas facit, ut pertineat ad Deum. Nec etiam eſt adoptivus, quia, ut ſæpe dictum eſt, propter connotationem ſuppoſiti Chriſtus, ut homo, non eſt omnino extraneus Deo. Non igitur miror, quod in hoc non conveniant Scotiſtæ noſtri. Scotus videtur velle, quod ut Chriſtus ſecundum humanitatem diceretur adoptivus, deberet eſſe extraneus, non ſolum defectu generationis naturalis, ſeu extraneitate naturæ, ſed etiam extraneitate peccati, & inimicitiæ: ſic enim loquitur: *Secundum etiam naturam humanam non dicuntur hæc ſibi convenire, quia ſecundum iſtam generationem non fuit extraneus, quia fuit innocens*; ergo ex Scoto innocentia, ſeu immunitas a peccato impedit integram extraneitatem requiſitam ad adoptionem. Sed de hoc ſatis.

QUÆSTIO V.

De ſervitute, & ſubjectione Chriſti. An Chriſtus, ut homo, dici poſſit ſervus, & ſubjectus Dei.

SErvitus 1. *improprie*, & *large* ſumitur pro quacumque ſubjectione; & ſic quicumque eſt ſubiectus alteri dici poteſt ejus ſervus: ſic filius quatenus ſubjicitur parentibus, dici poteſt eorum ſervus. 2. *proprie*, & *rigoroſe* dicitur ea, qua quis ita ſubjicitur Domino, ut iſte poſſit de illo diſponere pro libitu ſuo ſine injuria illius; & quidem hæc ſubjectio debet eſſe neceſſaria, non autem libera. Ideo *mercenarii*, qui voluntarie ſe ſubjiciunt ſervituti pro mercede, & ex pacto, ſunt *mercenarii*, & miniſtri, non ſervi; & religioſi, qui ſe ſponte mancipant ſuperiorum obedientiæ, ſunt ſubditi, ſed non ſervi. 3. hæc propria ſervitus alia eſt *naturalis*, & *generalis*, qualis eſt in omnibus creaturis in ordine ad Deum; & hæc eſt abſolutiſſima, & indiſpenſabilis, ita ut Deus utendo jure ſuo poſſit de omnibus pro libitu diſponere creando, vel non creando, conſervando, vel annihilando; *Dominus pauperem facit, & ditat* &c. 4. alia *legalis*, & *poſitiva*, qualis eſt mancipiorum, quæque non ex natura, ſed le-

gibus

gibus humanis introducta eſt, & contrahitur vel jure belli, vel nativitate, vel contractu, ſeu emptione, vel judicis condemnatione. 5. alia eſt *moralis*, quæ dicitur *ſervitus peccati*, per quam peccator ſubjicitur pœnis, & diabolo: ſed de iſta hic non eſt quæſtio, nec de *voluntaria*, nec de *mercenaria*, ſed de *naturali*, & *politica*, An conveniat Chriſto, quatenus homo eſt.

Porro *ad legalem* tres communiter concurrunt conditiones. 1. ut ſervus Domino teneatur obedire: 2. ut ille non ſit ſui juris: 3. ut non habeat jus ad hæreditatem Domini, ſeu non communicet in bonis Domini, nec honore, nec ſede. Quippe ex Philoſopho, [1] ſervus ut ſervus nihil habet commune cum Domino: per duas priores conditiones conveniunt legalis, & naturalis, ſed 3. non videtur pertinere ad naturalem; quippe licet natura rationalis ſit capax hæreditatis, non minus eſt ſerva Dei ſervitute naturaliſſima, & indiſpenſabili.

CONCLUSIO I.

Chriſtus, ut homo, poteſt aliquo ſenſu dici ſervus Dei, & quidem ſervitute naturali, non autem ſervili, ſeu legali. Eſt communis contra Elipandum, & Felicem quoad 3. partem.

Prob. 1. ex præcedenti. Nam ſicut, ex Scoto, Chriſtus etiam ut homo, non poteſt dici nequidem filius adoptivus, multo minus eum dici ſervum pateretur rigoroſa, & propria ſervitute legali: quia etiam homo, & ratione ſuppoſiti habet jus radicale ad hæreditatem, & ratione gratiæ habet jus naturale. Idem colligitur ex regula, quam tradit 1.d.16. B. n.3. cujus textum damus in concl.2.

Prob. 1. p. ex innumeris Scripturæ, & PP. locis, in quibus appellatur ſervus Dei. De illo quippe intelligitur illud Iſaiæ, [2] *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam illum: electus meus* &c. *Dedi ſpiritum meum ſuper eum.* Et, *In ſcientia ſua juſtificat ipſe juſtus ſervus meus multos*. Et illud Zachariæ, [3] *Adducam ſervum meum orientem* &c. Et poſitive de illo dicit Apoſtol. *qui cum in forma Dei eſſet .... formam ſervi accipiens*.

[1] 8. *Ethic.* 11. [2] *Iſa.* 42. & 53. [3] *Zachar.* 3.

fit S. Auguſt. dicit: [1] *Non ſolum ſubditum, ſed & ſervum evidentiſſime confitemur*, ipſo dicente in Propheta, [2] *Domine, quia ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ*, id eſt Mariæ. *Patet ergo, in quo ſit æqualis Patri filius, & in quo ſit non ſolum ſubditus inferior, ſed etiam humillimus ſervus*. Idem docet alibi non ſemel, & Vigilius Papa idem colligit ex eodem pſalmo: *Cum ſit Deus, factus eſt ſervus Patris* &c. Et Ambroſ.[3] *non præjudicat, quod ſubditus dicitur, cui non præjudicat, quod ſervus legatur*. Et Hieron. illi applicat locum allatum Zachariæ: [4] *Ipſe Chriſtus Patrem agnoſcit, ut Dominum*, quando ſibi applicat illa verba Davidis: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis*, &c.

Prob.2. quia Chriſtus voluntarie, & ex humilitate ſe ſe ſubjecit Deo Patri, *factus obediens uſque ad mortem*. Imo & ſe ſubjiciebat parentibus humanis. *Et erat ſubditus illis*, quanto magis Deo Patri?

Prob.2. p. de ſervitute naturali, ſeu generali 1. quia id ad minimum probant textus cit. ex Script. & PP. nam ut docet Athanaſius: [5] *In confeſſo eſt: cum hominem eſſe factum nihil diſcriminis attulerit, ſive ſervus, ſive filius appelletur: omnes enim iſtiuſmodi voculæ, in ratione humanitatis, bene, & proprie competunt*. Et Chryſoſt. [6] *ſicut in forma Dei perfectus eſt Deus, ita in forma ſervi perfectus eſt ſervus*. Unde

Prob. 2. Chriſtus ſecundum humanitatem eſt vere ſubditus Dei, ſicut cæteri homines, & obnoxius illi ſervituti univerſali, quæ inſeparabilis eſt ab omni creatura; vere accepit eſſe a Deo, & pendet ab eo in conſervari, ſicut aliæ omnes creaturæ; Deus poſſet deſtruere illam unionem, & annihilare tam animam, quam corpus: habet a Deo omnia beneficia tam naturæ, quam gratiæ; v. g. ſubjectus eſt Deo quoad humanitatem per illam ſervitutem generalem, per quam aliæ creaturæ, nec in hoc apparet ulla difficultas, nec ratio dubitandi.

Prob.3. p. 1. ex Concil. Francofortienſi: nam, inquiunt illi PP. *Perſonæ unitas adoptionis, & ſervitutis injuriam tollit: nam ſi Deus verus eſt, qui natus de Virgine, quomodo tunc eſſet adoptivus, aut ſervus?*

Et

[1] *Ep.* 170. [2] *Pſ.* 115. [3] *l.* 3. *con. Ent. & ſerm.* 5. *temp.* [4] *l.* 7. *Ep.* 47. [5] *ſer.* 3. *con. Arria.* [6] *Phil.* 2.

Et Adrianus in Epiſtola: [1] *Quomodo PP. docuerunt, eum eſſe ſervum, vel adoptivum prædicare, cum univerſalis Eccleſia Euangelio, & Apoſtolicis imbuta documentis Deum, ac Dominum ſuum in dextera Patris ſedentem profiteatur? ſervus non communicat cum Domino in bonis, nec in ſede. Deus, & homo erat, qui ſecundum Deum dicebat: Ego, & Pater unum ſumus;* Et, *ſecundum humanitatem Pater major me eſt, non autem Pater Dominus meus eſt.*

Confir. ex PP. nam, inquit Damaſc. [2] *ſervilis ordinis eſſet caro, niſi Verbo copulata eſſet; at cum ſemel, & perſonaliter copulata ſit, quonam pacto in ſervilem claſſem redigetur?.....Illi autem, qui ſervum eum dicunt, unicum Chriſtum in duos, inſtar Neſtorii, dividunt.*

Prob. 2. Nam Chriſto non conveniunt conditiones tales ſervitutis; erat ſui juris; nam, inquit ipſe, *poteſtatem habeo ponendi animam meam*, &c. ſc. mortuus eſt quidem ex obedientia, ſed ſpontanea, & liberrima. 2. participat, & ſemper participavit in omnibus bonis paternis, dicebat enim, *Pater, omnia mea tua ſunt, & tua omnia mea ſunt*, & regnum cœlorum dicit ſuum; & denique ſedet a dextris Dei.

Prob. 3. ex præcedenti. Nam nequidem ut homo debet dici filius adoptivus: ſed ut homo eſt vere filius Dei etiam naturalis; ergo nō poteſt dici ſervus tali ſervitute, quæ omni filiationi repugnat etiam adoptivæ.

Objic. 1. con. 1. & 2. p. ex Concil. Francofortienſi, & Adriano citatis, rejicitur a Chriſto ipſa umbra ſervitutis veræ: ergo male illi tribuitur naturalis; nam hæc eſt realis, & indigna Chriſto, qui eſt Deus, & qui ſubſiſtit in perſona Verbi: prob. ant. nam Conc. illud, & Papa damnavit Elipandum, & Felicem, quia volebant Chriſtum eſſe adoptivum, & ſervum.

Reſp. diſt. utrumque ant. umbra, & nomen ſervitutis legalis, aut moralis, quæ eſt ex peccato, con. ſervitutis naturalis, ſeu generalis ad Deum, neg. utrumque ant. nam iſta non magis dedecet Chriſtum quoad humanitatem, quam ipſamet humanitas, nec magis opponitur ingenuitati; bene vero ſervitus legalis, vel peccaminoſa, quam ideo non admittimus, ſed abhorremus; nec aliter ſenſit Concil. vel Papa ille, nec ullus ex Patribus, alioqui contradixiſſent ſibi.

Inſt.

[1] *Col. 6.* [2] *3. de f. 20.*

Inſt. Chriſtus in Parabola de malis agricolis noluit ſe comparare ſervis miſſis a Patrefamilias; ergo male audit hic nomen ſervitutis. Prob. ant. nam prius miſit ſervos ſuos, & ſeparatim filium.

Reſp. neg. conſ. Nam merito Chriſtus noluit miſceri cum ſervis illis, qui ſignificant puros homines, & miniſtros, ſc. Prophetas, & præcurſores Chriſti, aut qui in uſu, & ſenſu vulgi ſunt vel mancipia, vel mercenarii, ſub quibus non debuit ſe repræſentare.

Inſt. 2. Concil. & Papa non patiuntur Chriſtum dici filium adoptivum; ergo multo minus ſervum. Prob. conſ. nam ſervitus longe vilior eſt, & indignior Chriſto.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam adoptio vera importat extraneitatem non tantum naturæ, ſed etiam perſonæ, & ſuppoſiti; licet enim filiatio naturalis cadat in naturam primo, & per ſe; tamen adoptio eſt quid accidentale, & poſterius perſonalitate: ſervitus autem, ſeu dependentia iſta naturalis fundatur in prima entitate hominis, fundatur in ipſa creatione naturæ, & impoſſibile eſt cogitare Chriſtum ut hominem, & non agnoſcere ipſum quoad dependentiam a Deo in eſſe, & conſervari.

Objic. 2. Chriſtus, per nos, eſt filius Dei naturalis: etiam ut homo; ergo non ſervus Dei, etiam ut homo. Prob. conſ. ſervitus opponitur ingenuitati, & filiationi; ergo &c.

Reſp. diſt. conſ. & ant. prob. ſervitus legalis, & politica, aut peccati, con. naturalis, neg. ant. hæc enim quia inſeparabilis eſt a ratione creaturæ, non opponitur filiationi, nec ingenuitati magis, quam humanitas, aut mortalitas.

Objic. con. 3. p. Chriſtus ut homo, & ſecundum humanitatem non habet jus ad dignitatem, nec ad honores, & alia bona Dei; ergo habet conditionem propriam ſervitutis legalis, & politicæ. Prob. ant. nam jus illud habet Chriſtus per gratiam; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. non habet jus poſitivum, & rigoroſum, conc. negativum, & congruentiæ, neg. ant. & conſ. nam humanitas in abſtracto, præciſe ab ſuppoſito Verbo, nihil includit poſitive, niſi prædicata ſua eſſentialia, & eſt tantum humanitas, & hæc habet inchoatam, & ſaltem negativam aptitudinem ad partici-

ticipationem hæreditatis, & gloriæ Dei, non vero ſervitutem poſitivam; in concreto autem dicit perſonam, quæ eſt Deus, cui repugnat ſervitus.

CONCLUSIO II.

C*Hriſtus, ut homo, ſic erat ſubjectus Deo, ut teneretur ei obedire, ſaltem ſubjectione filiali.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui licet non loquatur expreſſe de ſubjectione, tamen fatetur, quod de filio Dei dicitur, quod eſt minor Patre. Quia *filius ſibi univit naturam humanam in una perſona, & ideo quæ dicuntur de iſta natura, dicuntur de ſuppoſito divino ſuſtentificante illam naturam. Unde filius poteſt dici minor Patre ratione naturæ aſſumptæ*: ergo ex Scoto recte dicimus, quod Chriſtus ut homo eſt ſubjectus Deo; quia id convenit ei ratione humanitatis.

Prob. 2 ex Scrip. [2] nam, ut mox dicebamus, Chriſtus de ſe fatetur: *Pater major me eſt*. Et alibi, *mandatum accepi a Patre meo* &c..... Et *quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Et, *factus obediens uſque ad mortem*. Signa autem ſuperioritatis in Patre ſunt præcepta, & inferioritatis in ſubdito eſt obedientia; ergo cum utrumque habeamus ex Scriptura, & ex confeſſione ipſius Chriſti, quæ obedientia eſt ſaltem filialis, dicendum eſt, quod Chriſtus, ut homo, eſt ſubjectus Deo ſaltem ſubjectione filiali.

Confir. ex eadem Script. & PP. ex Apoſtolo, [3] *cum ſubjecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia*. In quæ verba Auguſt. [4] ſic loquitur: *Non eſt mirum dicere Apoſtolum etiam in futuro ſæculo Patri filium ſubjectum futurum .... quoniam quidem in filio forma humana natura eſt: quia ſemper eſt major patre* &c. Et alibi: *agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, divinam, qua æqualis eſt Patri; humanam, qua minor eſt Patre*. Et ad hoc faciunt loca aliorum Patrum citata in præcedenti de ſervitute.

Prob. 3. ratione. Nam in Chriſto fuit vera humanitas cum vera voluntate creata præter divinam; ſed

[1] 1.*d*.6.*B*.*n*.3. [2] *Jo*.14.& 19.
[3] 1.*cor*.15.
[4] *de vera innoc*.377.

ſed omnis humanitas, & humana voluntas, imo & omnis creatura eſt vere ſubjecta Deo; ergo &c.

Confir. ex eadem Script. [1] & PP. nam de fide eſt, quod oravit Deum pro noſtra redemptione, & ſalute, ut iterum dicemus; ſed oratio eſt actus ſubjectionis; ergo &c.

Confir.2. Quia dicitur ſubjeciſſe ſe Mariæ, & Joſepho, *& erat ſubditus illis*. Ubi notat Bernardus, (2) quod cum *remanſiſſet in Jeruſalem, & dixiſſet, in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, non acquieſcentibus parentibus eius, ſequi eos in Nazareth non deſpexit.*

Dixi (*ſaltem ſubjectione filiali*) Nam certum eſt, quod nec Pater ei præcepit quidquam ex poteſtate dominativa; nec ipſe obediebat animo ſervili, ſed filiali, & ex amore, & reverentia, ut illi placeret: *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*.

Objic.1.Præcepta dantur vel ad directionem, vel in pœnam ſubditi; ſed neutrum cadebat in Chriſtum; ergo nec ſubjectio quoad præcepta: prob. min. nam erat impeccabilis, nec egebat directione, nec ſubjacebat pœnæ.

Reſp.neg. maj. Nam datur aliqua ſubjectio naturalis, alia voluntaria, filialis, & ex virtute, quæ non ſupponunt nec indigentiam directionis, nec culpam; ſed naſcuntur ex natura, vel virtute, & præcepta dantur ex iiſdem principiis.

Objic. 3. Si Chriſtus ſubjacebat alicui præcepto, maxime moriendi; ſed huic non ſubjacebat; ergo &c. Maj. ſupponitur ex Apoſt. dicente, *factus eſt obediens uſque ad mortem*. Prob. min. nam ipſe dicebat, *poteſtatem habeo ponendi animam meam*; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam obedientia filialis, & præcepta Paterna naſcuntur ex amore Patris in filium, & filii in Patrem; & ſic contigit de Chriſto; juxta illud: *in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei:* [3] ergo cum illa obedientia, & præceptis erat ſumma libertas.

Objic. 3. Chriſtus non fuit ſervus Dei; ergo nec ſubjectus.

Reſp.

[1] *Luc.2.* [2] *ſer.19, cant.*
[3] *Pſ.39.*

Reſp. ex dictis diſt. ant. ſervus legalis, & ex neceſſitate, con. voluntarius, & naturalis, qua homo, neg. ant. quod patet ex dictis.

Quæres, *quibus legibus, & præceptis ſubjectus eſſet*.

Reſp. 1. non fuiſſe ſubjectum legibus humanis; quia ſuperior omni creatura; ſed tamen ſponte, & in exemplum humilitatis, & obedientiæ illas implebat, ut cum juſſit ſolvi tributum.

Reſp. 2. neque etiam legi veteri, nec Euangelicæ; tum quia illa erat illius adventus præparatio; tum quia non erat pro ipſo; ſed tamen ſponte, & in exemplum, & ne illa lex diceretur fuiſſe mala, ut quidam hæretici dixerunt, eam implevit: *non veni ſolvere, ſed implere*. Euangelicam autem (1) *cœpit quidem facere, & docere*, ſed non ex obligatione; ſummus quippe legislator non tenetur legibus.

Reſp. 3. Eum fuiſſe ſubjectum legibus naturæ, illis ſc. quæ non dedecebant perſonæ dignitatem, & ſtatum; nam aſſumpſit humanitatem cum conditionibus ejus cunctis, excepto peccato, & ignorantia, & per conſequens ſubjectam ordini recto, cui ſubjacet omnis creatura rationalis; & ideo Chriſtus, ut homo, juxta illum ordinem debuit operari. Talis eſt amor Dei, & alia præcepta legis naturæ, quæ, ut dixi, non decebant dignitatem perſonæ illius, qualis eſt ſubjectio debita ulli creaturæ, ne quidem parentibus: quia illis ſuperior erat. Dico (*debita*) nam ſponte, & ex humilitate erat ſubditus illis.

QUÆSTIO VI.

An Chriſtus ſit, vel dici poſſit creatura, vel quod incepit eſſe.

Creaturæ nomen *proprie* ſignificat rem, quæ producitur a ſolo Deo ex nihilo ſui, & ſubjecti; ſic producitur materia prima, Angelus, & anima rationalis; *large* vero, & *improprie* ſignificat omne ens, quod accipit eſſe poſt non eſſe, & dependet a Deo in eſſe, & conſervari; ſic omne ens reale, præter Deum,

[1] *Matth. 5.*

Deum, dicitur creatura. De *creaturâ* nomine in primo ſenſu non eſt quæſtio.

Certum enim eſt, quod corpus Chriſti non fuit productum a ſolo Deo, neque ex nihilo ſubjecti; ſed productum eſt ex ſubſtantia Mariæ, quæ cum Spiritu S. ad illam productionem cooperata eſt etiam active, ut probatum eſt ſupra. Quæſtio ergo procedit de creatura in largiori ſenſu, & eodem, quo quilibet homo dicitur creatura.

Not. præterea quod hæ voces, *Quatenus*, *in quantum*, *ſecundum quod*, & ſimiles ſumuntur aliquando *reduplicative*, & tunc ſignificant terminum, ſuper quem reduplicatur eſſe cauſam, cur prædicatum conveniat ſubjecto, & quidem toti ſubjecto; ut cum dicitur, *homo in quantum animal eſt ſenſitivus*, vel *in quantum rationalis eſt riſibilis*, ly, *in quantum*, ſumitur reduplicative, & ſignificat *animalitatem* eſſe cauſam formalem *ſenſitivitatis*, & *rationalitatem* cauſam *riſibilitatis* in homine. Aliquando ſumuntur *ſpecificative*, & tunc habent tantum vim reſtrictivam, ſeu diſtractivam, & ſignificant prædicatum convenire alicui parti ſubjecti, illi ſc. in quam cadit illa vox; v.g. cum dicitur *AEthiops eſt albus ſecundum dentes*, illa particula, *ſecundum*, reſtringit, & limitat prædicatum *albus* ad ſolos dentes; cum alioqui denominaret totum AEthiopem, ſi ſumeretur reduplicative; & ſignificaret dentes eſſe rationem, ſeu cauſam, cur totus AEthiops diceretur albus.

Igitur cum quæritur; An Chriſtus, ſecundum quod homo, vel ſecundum humanitatem, ſit ſervus Dei, vel ſubjectus legibus, aut creatura, & ſic de ſimilibus propoſitionibus, ſi prædictæ, & aliæ ſimiles particulæ ſumantur *reduplicative*, idem erit, ac ſi quæras an humanitas ſit ratio, cur de toto Chriſto prædicetur *creatura*, *ſervus*, *ſubjectus* &c. Si vero ſumantur ſpecificative, ſenſus erit, quod illa eadem prædicata conveniant ſoli humanitati, & non toti ſuppoſito Chriſti; ſicut albedo eſt in ſolis dentibus AEthiopis.

CONCLUSIO.

Chriſtus ut homo, imo & abſolute dici poteſt creatura, ſed tamen ſobrie.

Prob. 1. ex Scoto [1] non improbante opinionem Varronis docentis, quod *hæc propoſitio eſt ſimpliciter concedenda, ſi bene intelligatur* &c. Et quod *de virtute ſermonis poteſt concedi*, probat ex Damaſceno. Scotus autem addit, quod *cui iſta opinio non placet, poteſt dicere ipſam eſſe falſam* &c. Et ſic videtur problematicus; ſed in q.2. dicit, (2) *poteſt concedi, quod Chriſtus eſt aliquid creatum, ſecundum quod homo: quia tunc diſtrahitur prædicatum per*, Ly, *ſecundum quod homo, ſicut Æthiops eſt albus ſecundum dentes* &c. cenſet ergo Scotus Chriſtum ſecundum humanitatem dici poſſe creaturam, modo *creatio*, ſeu *creatura* non ſumatur pro ſubſtantia producta a ſolo Deo ex puro nihilo, ſeu nullo præſuppoſito ſubjecto. Non enim ſic producitur humanitas Chriſti.

Prob. 2. ex PP. nam Damaſc. [3] quem citat Doctor ex Varrone: *Chriſtus eſt creatus, & increatus, paſſibilis, & impaſſibilis*. Et Aug. (4) *voluit eſſe creatura, qui eſt creator*; Et Nazianzenus: *O novam mixtionem ... qui eſt, fit, & qui creatus non eſt, creatur.* Et Nyſſenus; *Increatum dicimus Verbum, quod initio rerum exiſtebat, creatum autem illum dicimus, qui caro factus eſt.* Et Hieron. *libere proclamamus non eſſe periculum eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum tota ſpei noſtræ fiducia confitemur*. Ita communiter alii Patres.

Prob. 3. ex regula generali, quam attulimus ſupra ex Scoto, quod de Chriſto *ratione duarum naturarum dicuntur proprietates utriuſque naturæ*; ſed eſſe creaturam eſt proprietas inſeparabilis ab humanitate Chriſti; ergo vere dici poteſt creatura. Maj. patet ex dictis ſupra de ſervitute Dei, & de ſubjectione; dicitur, Chriſtus eſt homo, mortalis &c.

Objic. Ex Patribus multi negant Chriſtum eſſe creaturam; ergo &c.

Reſp.

[1] *d.11.q.1.A.n.6.& 7.*
[2] *q.2.B.a.5.* [3] *l.4.c.10.*
[4] *ſer.dom.ora.38.*

Reſp. diſt. ant. ſumpto nomine creaturæ in rigore, con. large, neg. ant. & conſ. Nam Patres, qui hoc negant, ſic loquuntur contra Neſtorium, & in ſenſu illius hæreſiarchæ, qui dicebat Chriſtum eſſe puram creaturam ſecundum ſe totum. Alii vero, ne illi errori viderentur communicare, a voce illa, quantum poterant, abſtinebant.

Objic. 2. Nomen creaturæ cadit in ſuppoſitum; ſed ſuppoſitum Chriſti eſt divinum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam ſicut mortalitas, paſſibilitas, &c. non cadunt in ſuppoſitum, ita nec creaturæ nomen: eodem igitur ſenſu, quo mortuus, eo dicitur creatura.

Inſt. Dici non poteſt, *Chriſtus eſt ens dependens, finitum* &c. ergo nec creatura.

Reſp. neg. ant. nam eodem ſenſu, quo dicitur homo, eodem dicitur *ens dependens*, &c.

Objic. 3. Quæ repugnant uni ex duabus naturis, non poſſunt dici de Chriſto propter aliam naturam; ſed eſſe creaturæ repugnat Deitati, & ſuppoſito Verbi; ergo &c. maj. patet ex regula Scoti, nam in his, quæ repugnant inter ſe, particula reduplicativa non tollit falſitatem propoſitionis, niſi tollat repugnantiam; ſed particula reduplicativa, *ut homo*, non tollit repugnantiam inter ſuppoſitum Verbi, quod eſt in Chriſto, & creaturam. ergo &c.

Reſp. neg. maj. 1. argum. & min. 2. alioqui Chriſtus non poſſet dici homo, nec ſervus Dei, &c. propter humanitatem. Unde ſicut non repugnat Deitati, & ſuppoſito Verbi uniri in Chriſto cum humanitate, quæ eſt creatura: ita nec Chriſto repugnat dici creaturam ſecundum humanitatem.

Inſt. Non poteſt dici: *Verbum eſt creatura*; ergo nec *Chriſtus eſt creatura*; prob. conſ. nam alioqui valeret hic ſyllogiſmus, *Chriſtus eſt verbum: ſed Chriſtus eſt creatura: ergo* &c.

Reſp. neg. 1. ant. Nam ſi bene intelligatur, eodem ſenſu diceretur: *Verbum eſt creatura*, quo dicitur, *Verbum eſt homo*, ſicut Verbum ibi dicitur *homo*, quia ſuſtentat humanitatem ſibi unitam; ita ſuſtentat creaturam; nam illa humanitas eſt vere creatura; nec magis repugnat Verbum denominari ab iſta proprietate humanitatis, quam hominem ab ipſa humanitate.

Objic.

Objic.4. Ut aliquid dicatur creatura debet produci, & pendere a Deo quoad totum ſuum eſſe; ſed Chriſtus non ſic dependet, nec enim dependet quoad Deitatem, & perſonam; ergo &c.

Reſp. neg.maj. Nam ſufficit, quod Chriſtus dependeat ſic a Deo ſecundum illam naturam, in quam cadit illud prædicatum, ſc. in humanitatem.

Inſt. Quod dicitur vere, & abſolute, ac ſimpliciter *creatura*, debet accipere eſſe a Deo poſt non eſſe, vel totale, vel quoad principalem partem: ſed neutrum dici poteſt de Chriſto; non enim ſic accipit eſſe quoad Deitatem, nec quoad perſonam Verbi; ergo &c.hoc eſt argum. Scoti pro parte contraria, ad quam inclinare videtur.

Reſp.neg. maj. Nam ſufficit, ut quod dicitur creatura, accipiat eſſe poſt non eſſe quoad partem ſui notabilem, & dependeat a Deo in eſſe, & conſervari; ut de facto ſic dependet Chriſtus non tantum quoad humanitatem, ſed etiam quoad eſſe Chriſti, id eſt quoad eſſe conſtans ex ſuppoſito divino, & humanitate, & Deitate per unionem hypoſtaticam, per quam ipſe Chriſtus ut tale compoſitum accipit eſſe poſt non eſſe, & pendet a Deo in conſervari.

Aliæ object. patent tum ex dictis in præcedentibus de adoptione, ſervitute, & ſubjectione: item ex dicendis de aliis ſimilibus propoſitionibus, & communicatione idiomatum.

Dixi (*hac, & ſimilibus propoſitionibus ſobrie utendum*) nam ut monet Doctor cum Varrone, [1] *Hæc propoſitio eſt ſimpliciter concedenda*, ſc. Chriſtus eſt creatura, *ſi bene intelligatur, negabatur tamen communiter a Sanctis propter hæreſes dicentium, Chriſtum eſſe puram creaturam, cum quibus noluerunt Sancti communicare in ſermone*. Caute igitur utendum ſimilibus propoſitionibus, quæ videtur tollere in Chriſto vel unitatem realem ſuppoſiti divini, ut nitebatur tollere Neſtorius, vel veritatem duarum naturarum, divinæ, & humanæ, ut volebat Eutyches eas tollere, aut confundere: ſed hodie non adeo id periculoſum eſt.

CON-

[1] *Ibid. q.1.*

CONCLUSIO II.

*R*Ecte, & vere dici poteſt, quod Chriſtus incepit eſſe, ſaltem ut homo*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto: (1) *Simpliciter ergo de vi ſermonis poſſet concedi, quod Chriſtus ſecundum quod importat hoc, quod eſt Verbum, homo incepit eſſe: hoc eſt habet aliquod eſſe ſimpliciter, quod prius non habuit, licet illud non ſit primum eſſe Chriſti. ... quia non in natura divina, ſed in natura humana verum eſt enuntiare ſimpliciter inceptionem illius ſubjecti.*

Prob. 2. ex Script. & PP. Nam in Euangelio legimus tempus Conceptionis Chriſti in utero Mariæ nuntiante Angelo, [2] *Ecce concipies*, &c. Et tempus nativitatis, vitæ, & mortis; & ſicut credimus eum *ex Patre natum ante omnia ſæcula*, ſic credimus in tempore natum ex Matre; & dicitur, quod *Verbum caro factum eſt*. Unde Nazianz. [3] conſiderans illud Apoſtoli, *Chriſtus heri, & hodie*, dicit, quod *tempore vacans initium ſumit*. Et Auguſt. [4] *antequam mundus fieret, nec nos eramus, nec mediator noſter Chriſtus*. Et Fulgentius: *Verbum incepit eſſe Chriſtus; ſed qui aliquando & ante mundum non fuit, & nunc eſt, incepit eſſe*; ergo abſolute, & vere dici poteſt, quod Chriſtus incepit eſſe, modo nihil dicatur, per quod determinetur illud prædicatum ad perſonam Verbi, vel ad Divinitatem. Et eodem ſenſu dicunt alii, quod in incarnatione *æternus factus eſt temporalis, immenſus parvus*, &c.

Prob. 3. Nam per communicationem idiomatum proprietates unius naturæ ex duabus, quæ ſunt in Chriſto, enuntiantur de ſe invicem in concreto, & ratione ſuppoſiti, in quo uniuntur; ſed inceptio, & deſitio ſunt proprietates unius ex naturis Chriſti; ergo inceptio poteſt dici de Chriſto, ſaltem ut eſt homo, & tam vere, quam quod ſit homo, & quod Verbum factum ſit homo.

Confir. Nam ex omnium conſenſu Patrum, & totius

[1] *Ibid. q. 3. n. 5.*
[2] *Ora. 35. n. 72.*
[3] *Hebr. 13.*
[4] *tr. 105. Jo.*

tius Scripturæ Chriſtus dicitur natus ex Maria Virgine, & mortuus in Cruce; ergo vere incepit eſſe.

Confir. 2. Nam illud compoſitum Chriſtus conſtans ex Deitate, & humanitate in unitate perſonæ Verbi per unionem hypoſtaticam non exiſtit ab æterno; ergo aliquando incepit eſſe; nam illa unio, & humanitas vere productæ ſunt in tempore.

Objic. 1. ex Script. (1) Chriſtus ipſe dicit: *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Et Apoſtolus: *J. Chriſtus heri, & hodie, & in ſæcula;* ergo ſemper fuit, & erit, ſeu eſt æternus.

Reſp. diſt. conſ. æternus quoad divinitatem, & perſonam Verbi, con. quoad humanitatem, & unionem, qua conſtat Chriſtus, neg. conſ. Nam nec Script. nec Patres in alio ſenſu loquuntur.

Inſt. Si inceptio competeret Chriſto, id eſſet ratione vel naturæ, vel ſuppoſiti; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. prob. min. non 1. ratione naturæ, quia illud prædicatum non cadit in naturam, ſed in ſuppoſitum, nempe, *Chriſtus*, qui eſt ſubjectum talis propoſitionis: ſed ſuppoſitum non incepit eſſe, quia eſt divinum; ergo &c. non 2. ratione ſuppoſiti, ut patet; ergo &c.

Reſp. neg. min. & maj. prob. nam prædicatum cadit in ſubjectum ſub ea ratione, ſub qua eſt capax ejus: Chriſtus autem non eſt capax inceptionis, niſi ſecundum humanitatem, & unionem ejus cum ſuppoſito.

Reſp. 2. retorquendo argum. Nam alioqui Chriſtus non poſſet dici genitus, nec mortalis, &c. imo nec homo, & ſub omni ratione, qua reſpondebunt adverſarii hæc, & ſimilia dici de Chriſto, ita reſpondebimus, quod incepit eſſe.

Inſt. 2. Inceptio, & æternitas repugnant, & de eodem dici nequeunt: ſed Chriſtus dicitur æternus; ergo repugnat illi inceptio.

Reſp. 1. retorquendo ut ſupra de immortalitate, & mortalitate, &c.

Reſp. 2. diſt. maj. repugnant in eodem, & reſpectu ejuſdem, con. ſub diverſo reſpectu, neg. maj. & ad min. dico æternitatem dici de Chriſto ratione Deitatis, & perſonæ Verbi, inceptionem vero reſpectu hu-

[1] *Jo. 8.*

humanitatis, & unionis cum verbo, ex qua unione conſtat ipſe Chriſtus.

Objic. 2. Cum ſubjectum aliquod immutatur ſecundum quid, novum illud prædicatum non enunciatur ſimpliciter de ſubjecto, v. g. cum ferrum calefit, non dicitur *ferrum incipit eſſe*, ſed additur *calidum*, alioqui propoſitio eſſet falſa ſimpliciter; nam ſignificaret ferrum incipere eſſe; ſed Chriſtus non incipit eſſe ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſc. ſecundum humanitatem; ergo id non poteſt dici ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid.

Reſp. 1. ſemper retorquendo de Chriſto mortuo, &c. nam mors non convenit illi ſubjecto, niſi ſecundum humanitatem, ſicut nec inceptio, & tamen dicitur ſimpliciter, & abſolute mortuus.

Reſp. 2. diſt. maj. Si mutatio fiat per aliquod accidens, ut in ferro per calorem, con. ſi fiat per aliquid ſubſtantiale, & eſſentiale toti ſubjecto, prout exprimitur, neg. maj. & paritatem; nam ſicut humanitas eſt pars ſubſtantialis Chriſti, & eſſentialis; ideo recte dicitur abſolute, *Chriſtus incipit ipſe*, pro illo inſtanti, quo producitur humanitas ejus, & unitur Verbo in unitatem ſuppoſiti, ex qua unione fit Chriſtus: cum ante illud inſtans non exiſteret illud compoſitum, ſed ſola perſona Verbi. Hæc clarius ex dicendis patebunt.

QUÆSTIO VII.

An, & quomodo de Chriſto dici poſſit, Deus eſt homo, vel homo Deus, vel Verbum factum eſt homo, vel homo Deus, vel filius Dei, vel prædeſtinatus eſt, &c.

MUltæ propoſitiones poſſunt fieri de Chriſto ratione mirabilis hujus compoſiti, & duarum naturarum identitate perſonæ divinæ unitarum, quarum aliquæ ſunt ſatis claræ, & abſolute admittuntur; aliæ non ita; ſed cum certis limitationibus, & caute ſunt proferendæ, quamvis habere poſſent aliquem bonum ſenſum, ut jam monuimus in duabus præcedentibus.

Sup-

Suppono autem ex Logica propoſitiones eſſe vel in materia *naturali*, in quibus prædicatum eſt de natura ſubjecti, ut *homo eſt animal*, vel in materia *contingenti*, in quibus prædicatum eſt accidens, vel extra naturam ſubjecti, ut *lapis eſt calidus*: 1. dicuntur *per ſe*, 2. *per accidens*: propoſitiones *per ſe* ſunt vel in primo modo dicendi, quando prædicatum eſt de definitione ſubjecti, ut *homo eſt animal*, vel in ſecundo, quando prædicatum eſt proprietas ſubjecti, ut *homo eſt riſibilis*.

Suppono 2. quod hoc verbum *fieri*, vel *factum eſſe* reperitur in propoſitionibus vel de ſecundo adjacente, quando ſcilicet ipſummet verbum habet rationem copulæ ſimul, & prædicati, ut *homo factus eſt*, vel *fit*, vel de tertio adjacente, quando ſcilicet illud verbum habet tantum rationem copulæ, cui adjicitur aliud prædicatum, ut, *homo factus eſt Deus*. In prima ſignificatur ſubjectum, ſcilicet hominem fieri ſimpliciter, ſeu totaliter, in ſecunda vero ſignificatur eumdem fieri ſecundum quid, ſcilicet ſecundum unionem ad divinitatem, ſive illud fieri importet mutationem intrinſecam in ſubjecto, ſive tantum extrinſecam, ut cum dicitur, *Verbum fit homo*; nam illud fieri nihil ponit intrinſecum, per quod mutetur Verbum, ſed puram terminationem unionis naturæ humanæ Chriſti ad illud.

Suppono denique, propoſitionem aliam eſſe *formalem*, in qua aliquid ſignificatur ineſſe ſubjecto per modum naturæ, vel formæ, ut *Petrus eſt homo*, vel *riſibilis*, vel *doctus*; & aliam *materialem*, ſeu *identicam*, in qua ſignificatur prædicatum uniri ſubjecto ratione materiæ, & ſecundum aliquam identitatem, vel unionem, aut ratione alterius, ut, *album eſt dulce*, loquendo de lacte, in cujus ſubſtantia dulcedo, & albedo uniuntur, ſicut dicitur, *Deus eſt homo*, & *homo eſt Deus*; quia Deitas, & humanitas uniuntur in eadem perſona Verbi. An autem dici poſſint etiam formaliter, videbimus.

CONCLUSIO I.

HÆc propoſitio eſt vera immediate, Deus eſt homo, ſi Deus ſupponat pro ſuppoſito Verbi, & mediate, ſi ſupponat pro aliquo ſuppoſito divino, non tamen eſt naturalis, bene vero formalis. Eſt communis quoad primam partem.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Hæc propoſitio*, inquit, *Deus eſt homo, non eſt primo, ſeu immediate vera .... quia non eſt vera, niſi quia Verbum eſt homo*; ergo ſi hæc vox *Deus* ſupponat pro ſuppoſito Verbi, hæc propoſitio erit immediate vera. Item, quod ſit propoſitio formalis, id probat; [2] quia *natura de ſuppoſito eſt prædicatio formalis, non tantum per identitatem*; ſed in iſta humanitas prædicatur de ſuppoſito Verbi; ergo &c.

Prob. 2. quoad 1. par. Nam a parte rei, & de fide eſt, quod humanitas in Chriſto ſubſiſtit in perſona Verbi; ergo & verum eſt immediate, quod Verbum, ſeu Deus eſt homo; nam per illam propoſitionem nihil aliud ſignificatur, quando ly *Deus* ſupponit pro ſuppoſito Verbi. Ant. patet ex dictis ſupra de vera humanitate exiſtente in Chriſto.

Confir. ex Auguſt. [3] dicente: *Talis fuit iſta aſſumptio, ut Deum faceret hominem, & hominem Deum.* Quod autem ſit vera immediate, ſi Deus ſupponat pro perſona Verbi, patet: nam tunc propoſitio eſt immediata, quando continet cauſam immediatam unionis prædicati cum ſubjecto; ſed Verbum, pro quo ſupponit hæc vox *Deus*, & in hac ſuppoſitione eſt vera cauſa, & quidem immediata, cur Deus dicatur homo, ſeu cur prædicatum *homo* conveniat Deo; ergo in hac ſuppoſitione hæc propoſitio eſt immediata.

Prob. 2. p. Nam in hac ſuppoſitione, ſi ponatur vox *Deus* pro aliqua perſona divina indeterminate, non erit propoſitio immediata; nam debet reduci, & explicari per iſtam, *Verbum eſt homo*; ſed *Verbum eſt Deus*; ergo *Deus eſt homo*, ſcilicet perſona Verbi eſt velut medium, in quo Deitas, & humanitas uniuntur, & de ſe prædicantur.

Prob.

[1] *d.7.q.1.A.n.2.* [2] *ibid.B.3.*
[3] *1.Trin.ibid.*

Prob. 3. p. Propoſitio naturalis dicitur illa, in qua prædicatum eſt naturale ſubjecto, vel conſequens ejus naturam, ſeu eſſentiam, ut diximus; ſed homo, ſeu humanitas non eſt de natura Verbi, nec proprietas conſequens ejus naturam; ergo illa propoſitio non eſt in materia naturali, ſed contingenti in ſenſu prænotato.

Prob. 4. p. Illa propoſitio dicitur formalis, in qua prædicatum ſignificatur ineſſe ſubjecto per modum naturæ, ſeu formæ partialis, aut totalis; ſed in hac propoſitione, *Deus eſt homo*, ſignificatur humanitatem ineſſe ſuppoſito Verbi per modum naturæ, ſeu formæ; ergo eſt formalis.

Major eſt difficultas, ſi vox *Deus* ſupponeret pro natura divina; nam in tali ſuppoſitione humanitas non ineſt divinitati, nec divinitas humanitati, ſed ipſæ uniuntur in tertio, ſcilicet in ſuppoſito Verbi, in quo utraque natura ſubſiſtit; aliunde vero vox *Deus* ſupponit ſemper pro aliqua perſona divina; nam exprimitur in concreto, & ratione ſuppoſiti, ſicut & vox *homo* ſemper importat humanitatem, ut ſubſiſtentem perſonatam, & ſic per modum formæ.

Objic. 1. cont. 1. par. Hæc propoſitio, *Deus non eſt homo*, poteſt eſſe vera; ergo iſta non eſt vera; *Deus eſt homo*; nam duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera de eodem. Prob. antec. Si vox *Deus* ſupponat indefinite pro aliqua perſona divina, tam poteſt ſumi pro perſona Patris, quam Filii; ſed tunc illa propoſitio erit falſa, nam Pater non eſt homo; ergo &c.

Reſp. neg. abſolute antec. & diſt. maj. tam poteſt ſumi pro Patre in materia vaga, & extra præſens propoſitum, conc. in præſenti materia; neg. maj. & conſeq. nam ſimiles propoſitiones non ſolent uſurpari in alia materia, vel propoſito, quam redemptionis, & in hoc propoſito ly *Deus* ſupponit pro ſola perſona Verbi apud omnes fideles.

Objic. 2. Ens infinitum, & finitum, ut Deus, & homo, magis opponuntur, & diſtant ab invicem, quam duo finita, ut homo, & brutum; ſed iſta finita non poſſunt de ſe invicem prædicari; ergo multo minus *Deus*, *& homo*.

Reſpond. diſt. min. Non poſſunt prædicari prædi-

catione naturali, quaſi prædicata eſſentialia, & intrinſeca inter naturas, conc. prædicatione contingenti, neg. min. & conſequen. Nam ſi homo, & equus unirentur hypoſtatice, ita poſſent de ſe invicem prædicari contingenter. Sic homo prædicatur de Deo.

Inſt. Si hæc propoſitio eſſet vera, homo prædicaretur ut genus, vel ſpecies, vel differentia, vel proprium, vel accidens; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. diſcurrendo per ſingula.

Reſp. diſt. min. in rigore logico, conc. reductive, & theologice, neg. min. nam ſicut Philoſophia non novit poſſibilitatem duarum naturarum ſpecie diverſiſſimarum in eadem perſona, non mirum, quod nullam habeat regulam propriam pro hac prædicatione; tamen hæc reducitur facile ad prædicationem naturæ ſpecificæ de perſona; nam homo prædicatur de Deo ſecundum humanitatem in eodem ſuppoſito Verbi ſubſiſtentem cum Deitate, & ſic reducitur ad prædicabile ſpeciei.

CONCLUSIO II.

HÆ *propoſitiones ſunt veræ, & bonæ*: Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dici poteſt, quod hæc propoſitio eſt ſimpliciter vera*; quod probat ex Symbolo, & Script. & Auguſt. & declarat, quod *cum factio prædicat ſecundum adjacens, dicit factionem ſimpliciter; quando autem prædicat tertium adjacens, dicit factionem ſecundum illud, quod ſpecificatur per tertium adjacens*. Et infra, *Ex his patet, quod iſta propoſitio eſt ſimpliciter vera: Homo factus eſt Deus; quia homo per actionem facientis eſt Deus, & non fuit prius Deus*: ſed hæc propoſitio, *Deus factus eſt homo*, eſt per 3. adjacens, & ſignificat factionem cadere non in perſonam, vel naturam Dei, ſed in hominem, & ſignificat unionem Dei cum humanitate, per quam unionem Deus evadit homo, ſeu habens humanitatem, & iſtud in fide eſt veriſſimum; ergo & iſta propoſitio.

Prob. 2. ex Script. quoad 1. part. In Evangelio dicitur: [2] *Verbum caro factum eſt*. Et Apoſtolus de Filio

[1] *ibid. q. 2. A. n. 2. & C. n. 4.* [2] *Jo. 1.*

lio Dei dicit, quod propter charitatem, qua dilexit nos, *factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati*, ſcilicet homo. Et, *qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*.

Confirm. 1. ex Concil. In Symbolo Nicæno dicitur de Filio Dei unigenito, quod *homo factus eſt*. In Epheſino Concilio declaratur, quod *nomine carnis intelligi debet totus homo*. Idem docet Auguſt. [1] *Carnem iſtam a patre totum hominem intelligimus*. Et certe non eſt major implicantia, quod dicatur de Deo, vel Verbo, quod *factum eſt caro*, quam homo; nam idem eſt utriuſque propoſitionis ſenſus; nec minus diſtat caro a Deo, & factio ejus, quam homo ſupponens pro humanitate ſuppoſitata, & ſubſiſtente in Verbo.

Prob. 3. ratione allata ex Scoto; nam per illam propoſitionem ſignificatur, Verbum, ſeu naturam divinam, quæ aliquando non fuit unita hypoſtatice in eadem perſona cum humanitate, jam eſſe illi unitam ſic, ut recte dici poſſit, nunc Deus eſt homo, & ante bis mille annos non erat; ſed in hoc ſenſu vera eſt hæc propoſitio; ergo abſolute dici poteſt, *Deus factus eſt homo*.

Prob. 2. p. 1. ex Apoſtolo citato, [2] Chriſtus dicitur factus Deo Patri filius, ideſt Deus *ex ſemine David ſecundum carnem*; & de Filio, *qui factus eſt ei ex ſemine David*, &c. ergo Chriſtus, ut homo, factus eſt Dei filius, ſeu Deus: &, ut loquitur Nazianz. [3] *Hic homo Deus factus eſt, poſtquam cum Deo coaluit*. Et Auguſt. [4] *Talis fuit illa unio, ut Deum faceret hominem, & hominem Deum*. Et Damaſcenus: [5] *Verbum caro factum eſt, & caro Verbum, & Deus homo, & homo Deus*, &c.

Prob. 3. ratione. Humanitas per veram actionem Trinitatis unitur hypoſtatice Verbo, & fit una perſona cum Deo; ergo vere, & proprie fit perſona divina, & Deus.

Confirm. Quia ſi Deus, qui non fit, fit humanitas, dicitur tamen vere *factus homo*, quia ſibi univit, & aſſumpſit humanitatem in unitatem ſuppoſiti ſui; ergo

[1] 83. qq. q. 4. [2] Rom. 1.
[3] orat. 35. [4] 1. Trin. 13.
[5] c. 11. de hum. nat.

go a fortiori, & magis proprie homo, qui abſolute producitur, & fit, dicetur factus Deus hoc ipſo, quod unitur Deo in unitatem perſonæ divinæ.

Objic. 1. Hæc propoſitio, *Petrus factus eſt homo*, ſignificat Petrum ſimpliciter factum eſſe; ſed iſtud dici non poteſt de Deo; ergo nec illud. Maj. patet ex communi uſu harum vocum. Prob. min. Nam implicat, Deum ſimpliciter fieri, cum ſit æternus.

Reſpond. neg. ſuppoſitum, nempe quod eodem ſenſu id dici debeat de Deo, & Petro, quia Petrus ſecundum ſe totum eſt ſimpliciter factibilis, & ſic ex communi uſu propoſitionis hoc vere dicitur; non ita eſt de Deo.

Objic. 2. Deus non poteſt dici factus homo in tempore, quin dicatur mutatus in tempore, quia factus eſt aliquid, quod non erat; ſed Deus eſt immutabilis; ergo &c.

Reſpond. neg. maj. & diſt. prob. ſi factus eſt per aliquid ſibi intrinſece inhærens, conc. ſi per ſimplicem unionem ad ſe terminatam, neg. antec. & conſeq. nam Deus non aliter factus eſt homo, quam per unionem humanitatis ad perſonam divinam Verbi pure terminatam, quod fit ſine ulla mutatione intrinſeca.

Inſt. Non poteſt dici, *Deus factus eſt Deus*; ergo nec *factus eſt homo*. Prob. conſ. Homo eſt Deus; ſed homo factus eſt Deus; ergo Deus factus eſt Deus.

Reſp. neg. utramque conſ. nam in præmiſſis eſt æquivocatio, homo eſt Deus per unionem hypoſtaticam cum Deitate, & in min. notatur factio talis unionis, & in conſequentia aſſeritur factio Deitatis in Deo, ſeu in perſona divina.

Objic. 1. cont. 2. par. ex PP. *Neque enim*, ait Cyrillus, [1] *ut quidam volunt, homo Deus effectus eſt*. Et Damaſc. [2] *Non hominem Deum factum dicimus, ſed Deum inhumanatum.* Et Fulgent. [3] *Neque ipſa caro, id eſt ipſe homo in ſe formam Dei viventis accepit, ſed Deus, qui in forma Dei erat, formam ſervi accepit*; ergo ex Patribus homo non eſt factus Deus.

Reſp. diſt. conſeq. Homo perfectus, & ſubſiſtens per humanam ſubſiſtentiam, conc. homo, ideſt humanitas

[1] *Antrop.* 22. [2] *lib.* 3. *cap.* 2.
[3] *Jerem. c.* 10.

tas non facta eſt Deus per unionem hypoſtaticam ad Verbum, neg. conſ. Nam Patres has propoſitiones negant in ſenſu Neſtorii, qui putabat, quod homo perfectus, & in ſe ſubſiſtens factus eſt Deus per unionem moralem perſonæ ad perſonam. Et Eutyches, qui confundebat naturas Chriſti, & volebat eas tranſiſſe in unam tertiam ex utraque mixtam. At in noſtra hac propoſitione ſubjectum *homo* ſupponit non pro perſona, ſed pro natura individua, quæ facta eſt ſubſiſtens per ſubſiſtentiam Verbi, & hoc ſenſu dicitur, quod *homo factus eſt Deus*.

Objic. 2. Subjectum iſtius propoſitionis, *homo*, ſupponit pro toto ſuppoſito, ſeu pro perſona habente humanitatem; ſed in hac ſuppoſitione eſt falſa; ergo &c. Prob. maj. nam in præcedenti, *Deus factus eſt homo*, ſubjectum ſupponit pro perſona divina, ſicut & prædicatum, & factio cadit in ſuppoſitum; ergo &c.

Reſpond. neg. maj. & conſequ. prob. nam in tali propoſitione *homo* ſupponit tantum pro hac humanitate, quæ aſſumpta a Verbo fit perſona divina, & Deus; in alia vero *Deus* ſumitur pro ſuppoſito aſſumente hanc humanitatem, per quam fit homo, ideſt perſonam habentem humanitatem ſibi unitam hypoſtatice.

Inſt. Si hoc eſſet, diceretur, *humanitas facta eſt Deus*, non autem *homo*; ergo hæc propoſitio non eſt proprie vera. Prob. ant. non eſt vere homo, ſed humanitas, quæ aſſumitur; nam homo proprie ſignificat totum ſuppoſitum.

Reſp. neg. conſ. nam licet illud primum dicatur, non impedit, quin dicatur & iſtud eodem ſenſu.

Inſt. 2. Actiones ſunt ſuppoſitorum; ergo & paſſiones; ſed *fieri Deus* eſt paſſio in homine; ergo cum homo dicitur fieri Deus, ſumitur pro toto ſuppoſito.

Reſp. neg. conſ. quidquid ſit de ant. nam dicitur de corpore, quod formatur in utero matris, quod organizatur, & animatur, licet non ſit ſuppoſitum.

Inſt. 3. Quod fit aliquid, præexiſtit illi; ſed in hac propoſitione *homo fit Deus*; ergo homo præexiſtit illi factioni; ergo debet exiſtere, & ſubſiſtere, ut fiat Deus; ſed falſum eſt, & hæreticum, quod homo præexiſtat illi factioni; ergo &c.

Reſp. diſt.maj. præexiſtit prioritate naturæ factioni naturæ, conc. rei, quam acquirit per actionem, neg. maj. & conſ. Humanitas Chriſti præexiſtit prioritate naturæ factioni unionis ſuæ, non autem deitati, aut perſonæ Verbi, quam per factionem, vel unionem acquirit: neg. etiam, quod ante hanc factionem, vel unionem debeat ſubſiſtere, ſed per illam ſit ſubſiſtens.

CONCLUSIO III.

HÆ *propoſitiones ſunt veræ:* Humanitas Chriſti prædeſtinata eſt ad unionem hypoſtaticam Verbi; *& iſta*: Homo prædeſtinatus eſt, ut eſſet Deus, *vel* filius Dei; *& iſta abſoluta*: Chriſtus prædeſtinatus eſt filius Dei.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Cum prædeſtinatio ſit præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam, & huic naturæ humanæ Chriſti præordinata ſit gloria, & unio illa in Verbo in ordine ad gloriam ... ita ſicut prædeſtinatum eſt, hanc naturam uniri Verbo, ita prædeſtinatum eſt, Verbum eſſe hominem, & hunc hominem eſſe Verbum*, &c.

Prob. 2. ex Script. Concil. & PP. 1. ex Apoſtolo, [2] *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis*, &c. Ex Concil. Tolet. II. [3] *Chriſtus habet in ſe geminam ſubſtantiam divinitatis ſuæ, & humanitatis noſtræ. Hic tamen per hoc, quod de Deo Patre ſine initio prodiit, natus tantum, nam neque factus, neque prædeſtinatus accipitur, per hoc tamen, quod de Virgine natus eſt, & natus, & factus, & prædeſtinatus eſſe credendus eſt.* Ex Auguſt. [4] *Ipſa eſt prædeſtinatio ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum maxime claruit, quam negare quis poteſt recte intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipſum Dominum gloriæ, in quantum homo factus eſt Dei filius, prædeſtinatum eſſe dicimus, clamat Doctor gentium*, &c.

Prob. 3. quoad 1.p. de qua conveniunt omnes; nam vere ab æterno Deus humanitatem elegit, & decrevit donare gloria, & gratia, & unione hypoſtatica cum Verbo, ſicut de facto contigit in tempore; nihil enim fit

[1] *ibid.q.3.A.n.2.* [2] *Rom.1.*
[3] *c.1.* [4] *de præd.c.15.*

fit in tempore, quod Deus ab æterno non præviderit, & decreverit; ergo &c. Prob. conſ. nam prima illa propoſitio non aliud ſignificat.

Prob. quoad 2. par. nam Scotus [1] dicit: *Prædeſtinatum eſt naturam uniri Verbo; & ita prædeſtinatum eſt Verbum eſſe hominem, & hunc hominem eſſe Deum.* Unde ſic arguitur ex præcedentibus: Homo ille, qui eſt Chriſtus, in tempore fit Deus, & filius Dei; ſed nihil fit in tempore, quod Deus ab æterno non præviderit, & ordinaverit; ergo homo ille, qui eſt Chriſtus, prædeſtinatus eſt eſſe Deus, & filius Dei.

Prob.3.p.quia hæc propoſitio, *Chriſtus prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei*, ſignificat illud ſuppoſitum ſubſiſtens in naturis duabus, divina, & humana per unionem hypoſtaticam ad Verbum, quod ita fit in tempore, & eſt filius Dei, ſic fuiſſe prædeſtinatum ab æterno; ſed iſtud veriſſimum eſt; ergo & illa propoſitio.

Objic.1. contra 2. & 3. p. in 2.propoſitione ly *homo*, & ly *Chriſtus* ſupponit pro perſona; ſed perſona Chriſti non poteſt dici prædeſtinata nec ad gloriam, nec ad unionem, nec ad filiationem Dei; eſt enim perſona ipſa Verbi; ergo &c.

Reſp.neg.maj.nam illud ſubjectum *homo*, vel *Chriſtus* in his propoſitionibus ſupponit pro natura; nam ad hoc limitatur per ipſum prædicatum, quod ex ſe non poteſt convenire, niſi humanitati, ſeu ratione humanitatis. Nam inquit Gloſſa in locum cit. Apoſtoli: *Non de Verbo loquitur Apoſtolus, ſed de homine, qui non erat, antequam factus eſſet; humanitas enim, quæ non erat antea, illa prædeſtinata eſt.*

Inſt. Prædeſtinatio reſpicit perſonam; nam ſicut actiones ſunt ſuppoſitorum, ita & paſſiones: prædeſtinari enim eſt paſſio; ergo ly *homo* & *Chriſtus* ſupponit pro perſona; ſed perſona non poteſt dici prædeſtinata: ergo &c.

Reſpond. neg. anteced. Nam inquit Scotus, [2] Deus poteſt tam naturam, quam perſonam diligere, & ei velle bona gloriæ, & gratiæ, ac unionis. Ad prob.neg.antec. Nam, ut diximus alias, actiones ſunt tantum a ſuppoſitis ſecundum ultimam denominationem, non elicitive.

Confirm. hoc ex Auguſt. cit. [3] *Prædeſtinata eſt*

L 5 *iſta*

[1] *ibid.* [2] *ibid.* [3] *ibid.c.*1.

iſta naturæ humanæ tanta ſubvectio, ut, quo tolleretur, aliius non haberet.

Objic. 1. cont. 3. part. Si Chriſtus eſt prædeſtinatus, hoc eſt vel ad gloriam, vel ad unionem hypoſtaticam, vel ad gratiam; neutrum dici poteſt; ergo nec quod ſit prædeſtinatus. Prob. min. 1. non ad gloriam, quia Deus. 2. non ad unionem, quia illam includit; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. prob. non ad gloriam, ut Deus, conc. ut homo, & ſecundum humanitatem, neg. antec. & conſeq. 2. prob. nam licet Chriſtus adæquate ſumptus ſignificet totum complexum perſonæ in natura ſubſiſtens; tamen quid vetat dicere illud complexum ab æterno prædeſtinatum, ut futurum tale, quale eſt, & per conſequens ut filium Dei, ſicut de facto eſt? ſed tamen ita, ut prædicatum cadat in eam partem ſubjecti, quæ eſt capax illius, ut eſt humanitas, & non in aliam, quæ non eſt capax ejus.

Objic. 2. Si prædicatum illud, *prædeſtinatus filius Dei*, caderet in Chriſtum, ut eſt homo, ſequeretur Chriſtum ut hominem eſſe filium Dei; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. Chriſtus eſt id, ad quod prædeſtinatus eſt; ſed, per nos, prædeſtinatus eſt ut homo ad eſſe filium Dei; ergo ut homo eſſet filius Dei.

Reſp. diſt. maj. ut homo ſpecificative, & ut conſtans humanitate, & perſonalitate Verbi, conc. ſecundum humanitatem ſeorſim, & reduplicative, neg. maj. & prob. ejus. Quando dicimus, *ut homo eſt Deus*, vel *filius Dei*, ly *ut homo* non ſumitur reduplicative, quaſi humanitas ſit cauſa, cur de illo prædicetur Deitas, ſed tantum ſpecificative, ita ut ſenſus ſit, quod idem ſuppoſitum, quod dicitur homo propter humanitatem, quam ſuppoſitat, dicitur etiam *Deus*, & *filius Dei* propter Deitatem, & perſonalitatem Verbi; ſicque prædeſtinatio proprie reduplicat ſupra unionem, quæ eſt formalis ratio talium veritatum.

Objic. 3. Si Chriſtus eſſet prædeſtinatus filius Dei, non eſſet filius Dei naturalis, ſed adoptivus; ſed conſeq. eſt falſum, & contra nos; ergo &c. Prob. maj. Nemo prædeſtinatur ad id, quod habet a natura; non enim dicitur, homo eſt prædeſtinatus eſſe rationalis,

vel

vel riſibilis; ſed filiatio divina eſt naturalis Chriſto; ergo &c.

Reſp. neg.maj.& diſt.min. eſt naturalis ſuppoſita unio ne , conc. præciſa unione, neg.min. nam Chriſtus prædeſtinatus eſt ad unionem hypoſtaticam, & ſic ad filiationem naturalem, quæ illam conſequitur; unio autem non eſt naturalis humanitati, ſed ſupernaturalis, & contingens.

Igitur notanda eſt hæc regula logicalis ex Scoto, quod quando ſubjectum alicujus propoſitionis plura includit, ut *Chriſtus* in allatis propoſitionibus; & prædicatum non poteſt verificari de illo ſubjecto adæquate, & ſecundum omnia, quæ includit, poteſt determinari ex prædicato, ut pro uno illorum ſupponat, & non pro alio, cui convenire non poteſt, ut iſta, *Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei*; quia prædeſtinatio iſta non poteſt convenire nec Deitati, nec perſonæ Verbi, quas includit *Chriſtus*; ideo cenſetur cadere in ſolam humanitatem, quæ eſt capax illius prædeſtinationis.

Queres 1. *an dicatur prædeſtinatus ad gloriam prius, quam ad unionem*.

Reſp. prius fuiſſe prædeſtinatum ad unionem, quia finis *cui* prior eſt fine *cujus*, ſicut prius eſt eſſe, quam glorificari; ſed unio hypoſtatica pertinet ad eſſe, & finem *cui*, ſc. ad conſtitutionem Chriſti, ergo prius eſt Chriſtum ad unionem hypoſtaticam fuiſſe prædeſtinatum, quam ad gloriam, vel gratiam.

Quæres 2. *an iſtæ ſint veræ*, Prædeſtinatum eſt verbum eſſe hominem, & hominem eſſe Verbum.

Reſp. affirmative cum Scoto cit. [1] nam hæ, & ſimiles propoſitiones nihil aliud ſignificant, niſi quod ab æterno Deus decrevit, quod in tempore Verbum aſſumeret hanc humanitatem in unitatem perſonæ Verbi, & ſic eam perſonaret, & illa eadem eidem Verbo ſic uniretur, & perſonaretur ab eo.

[1] *ibid.*

QUÆSTIO VIII.

De communicatione idiomatum, ubi examinantur aliæ propoſitiones licitæ, vel illicitæ, & alii modi loquendi in hoc myſterio.

Ex hac quæſtione lucem accipient dicta in præcedentibus ad verificationem plurium propoſitionum, quæ in hoc myſterio fieri ſolent. *Idioma* latine ſignificat *proprietatem*, unde communicatio idiomatum dicitur, quando ex duabus naturis, divina, & humana, quæ ſunt in Chriſto, proprietates unius tribuuntur alteri, & viciſſim.

Hæc communicatio triplex eſt. 1. *naturarum*, qua naturæ de ſe invicem prædicantur, ut *Deus eſt homo*, & *homo eſt Deus*. 2. *proprietatum*, quando proprietates unius tribuuntur alteri; ut *homo eſt immortalis*, & *Deus mortalis*. 3. *operationum*, quando operationes unius naturæ tribuuntur alteri. Sed hæc quæſtio principaliter procedit de communicatione proprietatum. Et quæritur, an, & quomodo admittenda ſit in Chriſto; & quænam regulæ in his propoſitionibus ſervandæ ſint.

CONCLUSIO I.

In *Chriſto admittenda eſt communicatio idiomatum*. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſupponens illam communicationem, dicit, quod *ab illa excipiuntur illa, quæ exprimunt unionem naturæ ad perſonam; quia illa communicatio in proprietatibus fit propter unionem, & ita præſupponit unionem*; ergo admittit communicationem idiomatum, aut illam ſupponit.

Prob. 2. ex PP. nam inquit Nyſſenus, [2] qui dixit, *quod ſicut patibilitas, quæ eſt proprietas humanitatis; tribuitur Deo, ita nomina Deo digna in hominem deſcendunt, adeo ut ille, qui in cruce conſpectus eſt Dominus gloriæ, nominetur ob ejus, quod in eo abjectum eſt, & humile, commixtionem*, &c. Et Origenes: [3] *Per indiſſo-*
lubi-

[1] *ibid. q. 2. E. n. 9.* [2] *5. cont. Eunom.*
[3] *in ep. ad Rom.*

lubilem unitatem Verbi, & carnis omnia, quæ carnis ſunt, adſcribantur & Verbo, quomodo & quæ Verbi ſunt prædicantur in carne. Idem docet Amb. & Damaſc. [1] *unus eſt Chriſtus, & una ipſius perſona, duas tamen naturas obtinet .... Porro cum ex divinitate gloria naturaliter procedat, utrique communis eſt propter hypoſtaſis identitatem*. Et ſic de aliis. Et Concil. Francofortienſe in Epiſt. Synodica, *perſonæ unitas facit, ut quod homo pertulit, Deus pertuliſſe credatur*.

Confir. ex Script. nam Apoſt. [2] eumdem Chriſtum dicit Dei filium, *hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula* &c. hæc dicuntur de illo ſecundum divinitatem, addit, *purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis, tanto melior Angelis effectus* &c. hæc dicit ſecundum humanitatem. Denique Apoſt. [3] tam divina, quam humana permixtim de Chriſto ſcribit, cum dicit, quod *eripuit nos de poteſtate tenebrarum .... in quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius ...... qui eſt imago Dei inviſibilis* &c. illa pertinent ad hominem, iſta ad Deum. Sic & ipſe dicit de ſe ſecundum Deitatem: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, & Deum vocat Patrem ſuum, & ſecundum humanitatem ſe dicit filium hominis. *Et nemo aſcendit in cœlum*, id pertinet ad Chriſtum hominem, *niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo*. Tunc humanitas non erat in cœlo, nec deſcenderat; bene vero aſcendere debebat in cœlum, in quo non erat.

Prob. 3. ex dictis. Per communicationem iſtam dicitur; Deus eſt homo, &c. Verbum, ſeu filius Dei eſt filius hominis. Denique proprietates Deitatis, & hujus humanitatis vere prædicantur de Chriſto; quia ipſæ naturæ in ipſo uniuntur; ita ut Deus, & homo ſint unica perſona; ergo vere ad invicem prædicantur & eorum proprietates.

Confir. ex Concil. Epheſino, in quo definitum eſt B. V. Mariam eſſe Matrem Dei, quia Chriſtus & homo, quem genuit, eſt Deus, & homo, licet ipſa non genuerit Deitatem, neque perſonam Verbi. Item ex ſymbolo, in quo idem Dei filius dicitur *natus ex Maria Virgine, & homo factus*; ergo filiatio divina, ſeu ex Deo, & filiatio, ſeu nativitas ex Maria ſunt pro-

prie-

[1] 2. *de fi.* 4. 3. *c.* 15. [2] *Hebr.* 1. [3] *Coloſſ.* 1.

prietates Dei, & hominis; ergo illæ prædicantur reciproce de illis naturis.

Objic. Si daretur illa communicatio, diceretur, Deus eſt creatura mortalis, mortuus &c. quia hæc conveniunt humanitati; ſed hæc non poſſunt dici; ergo nec admitti illa communicatio.

Reſp. neg. maj. Nam aliud eſt, quod hæ propoſitiones dicantur de Chriſto, in quo illæ naturæ uniuntur: aliud, quod abſolute, & independenter ab illa unitate perſonæ, & extra Chriſtum prædicentur.

Objic. 2. Per illam communicationem favetur errori Eutychis: nam naturæ Chriſti miſcentur, & confunduntur; ergo non eſt admittenda.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Imo opponitur illi errori; nam communicatio proprietatum arguit diſtinctionem inter illas naturas: non enim natura communicatur ad ſeipſam.

CONCLUSIO II.

HÆc communicatio non eſt realis inter attributa divina, & humanitatem, ita ut illa vere, & realiter ſint in humanitate, nec proprietates humanitatis in natura divina, quaſi formaliter, & intrinſece illam denominent. Eſt de fide contra Lutheranos.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenus docet illam communicationem in prædicationibus fieri propter unionem naturarum in ſuppoſito Verbi, & illas naturas manere diſtinctas: nam ſi confunderentur proprietates naturarum illarum, ita & ipſæ naturæ miſcerentur, quippe ſunt inſeparabiles a ſuis attributis propriis. Hinc

Prob. 2. quia de fide eſt in Chriſto eſſe duas naturas, divinam, & humanam, integras, & impermixtas; hoc definitum eſt contra Eutychem, ita ut unio facta ſit in perſona, & non in natura; ergo & illarum naturarum proprietates ſunt impermixtę realiter, nec aliter uniuntur, quam in perſona Verbi.

Confir. nam proprietates humanitatis non poſſunt dici ineſſe formaliter divinitati, alioqui non eſſet ſimplex, nec immutabilis; nec etiam attributa Deitatis poſſunt ineſſe formaliter humanitati; alioqui etiam in abſtracto diceretur infinita &c. ergo illa communica-

[1] *Ibid.*

nicatio non eſt realis, nec formalis inter naturas, & earum proprietates.

Confir. 2. Quia unum attributum non poteſt realiter communicari ſine alio, cum ſint realiter identificata; ſed ſunt multa attributa divina, quæ repugnant humanitati, v.g. aſeitas, ſimplicitas, æternitas, &c.

Igitur illa communicatio conſiſtit tantum in hoc, quod, ut dicebam, ratione perſonæ divinæ, in qua divina, & humana natura uniuntur, earum proprietates de eodem ſuppoſito in Chriſto prædicantur; ut cum dicimus, quod in Chriſto *homo eſt Deus, æternus*, &c. Et viciſſim, *Deus eſt homo, mortalis* &c. Et hæc nihil ſignificant, niſi quod in illa perſona Chriſti duæ illæ naturæ cum ſuis attributis uniantur.

Ratio eſt, quia quando duæ naturæ, vel formæ uniuntur in uno ſuppoſito, poſſunt ambæ de illo prædicari; ſicut quia albedo, & dulcedo uniuntur in lacte, recte de ipſo, & de ſe invicem ſub illa ratione ſubjecti prædicantur: nam dicitur: hoc album eſt dulce, & hoc dulce eſt album; ſic Deitas, & humanitas prædicantur de Chriſto, in quo uniuntur in unitate perſonæ, & ſic dicitur, *hic homo eſt Deus*, & *Deus eſt homo*; & hæ propoſitiones ſignificant, quod eadem perſona eſt habens Deitatem, & humanitatem.

Objic. ex Script. [1] *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Et Apoſtolus, [2] *In Chriſto habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: ergo communicatio illa naturæ divinæ ad humanam eſt realis, & formalis.

Reſp. diſt. conſ. communicatio utriuſque naturæ in perſona Chriſti, con. inter naturas ipſas, & ad invicem, neg. conſ. nam Script. vult tantum, quod in Chriſto vere inhabitet tota divinitas, & tota humanitas in unitate perſonæ, non autem quod tota Divinitas ſit formaliter in humanitate, nec iſta in illa immediate.

Objic. 2. Per unionem hypoſtaticam communicatur realiter ſubſiſtentia divina humanitati; ergo & natura divina, & ejus attributa. prob. conſ. quia hæc non minus identificantur Deitati, quam perſonalitas Verbi.

Reſp. neg. utramque conſ. nam ex communicatione ſubſiſtentiæ, quæ eſt velut medium, in quo uniuntur illæ naturæ, non ſequitur immediata unio illarum, nec alio-

[1] *Matth.* 11. [2] *Coloſſ.* 2.

aliorum utriuſque attributorum inter ſe; quia humanitas non eſt capax alterius communicationis, quam ſubſiſtentiæ.

Objic. 3. Communicatio idiomatum inter illas naturas Chriſti non eſt pure verbalis, ſed vera; ergo realis, & formalis.

Reſp. neg. conſ. vel ſic diſt. eſt vera, quatenus illas vere ſignificat uniri in perſona Chriſti, quæ vere, & realiter habet utramque cum ſuis proprietatibus, con. quatenus ſignificaret illas immediate intra ſe uniri, & commiſceri cum ſuis proprietatibus, neg. conſ. nam, ut patet ex dictis, illa communicatio Deitatis, & humanitatis in Chriſto eſt quidem vera, ſed mediata, & ratione perſonæ.

CONCLUSIO III.

R*Atione communicationis idiomatum, dici non poteſt, quod Chriſtus ut homo eſt immenſus, vel ubique; ſed tantum ratione Divinitatis, & ut Deus.* Eſt etiam de fide contra Ubiquiſtas, qui volunt humanitatem Chriſti ratione unionis cum Deitate, & Verbo per communicationem proprietatum eſſe in omni ſpatio, & loco, ſicut Divinitas eſt ubique per immenſitatem; Eſt etiam contra Eutychianos, qui, cum docerent humanitatem in Chriſto tranſiſſe in Deitatem, vel utramque naturam tranſiſſe in tertiam ex utraque mixtam, dicere debuerunt Chriſtum eſſe immenſum, & ubique.

Prob. 1. ex Script. tribuente illi præſentiam determinatam in aliquibus locis ſucceſſive, ita ut non eſſet alibi, ut in utero Virginis per novem menſes, poſitionem ejus in præſepio, delationem ejus in Jeruſalem, & in AEgyptum, & reditum in terram Iſrael. Item in morte Lazari dicit: *ipſe gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi*. Et Martha: *Domine ſi fuiſſes hic*. Et; *cum elevatus aſſumptus eſt in cœlum*; ergo Chriſtus non erat ubique.

Prob. 2. ex Patribus. Nam Auguſtinus in hæc verba Chriſti ad latronem ait: *Si ſecundum hominem, quem Verbum Deus ſuſcepit, putamus dictum eſſe*, hodie mecum eris in Paradiſo, *non ex verbis putandus eſt in Cælo eſſe Paradiſus; neque enim ipſo die in cælo futurus erat homo Chriſtus J. ſed in inferno ſecundum*

unimam, *& in ſepulchro ſecundum carnem* &c. Unde concludit; *ergo ſecundum hanc carnis formam non eſt putandus ubique diffuſus*. Et S.Fulgentius, *Unus, idemque localis homo ex homine, qui eſt Deus immenſus ex Patre, ſecundum ſubſtantiam abſens cœlo, dum eſſet in terra, & derelinquens terram, cum aſcendit in cœlum: Secundum vero divinam, immenſamque ſubſtantiam, nec cœlum dimittens, cum de cœlo deſcendit, nec terram deſerens, cum in cœlum aſcendet* &c. Et ſic de aliis; ergo ex Patribus ubiquitas, ſeu immenſitas non prædicatur de Chriſto, ut homo eſt, ſed ſolum ut Deus eſt.

Prob.3. nam immenſitas eſt ita propria ſoli Deo, ut nulli creaturæ convenire poſſit, quia omnis creatura eſt eſſentialiter finita; ergo humanitati Chriſti, quæ eſt creata, non poteſt ineſſe immenſitas, vel ubiquitas: patet ant. nam Chriſtus eſt verus homo ſimilis nobis.

Quod autem ſecundum Divinitatem ubiquitas conveniat Chriſto, patet ex dictis, ubi de immenſitate Dei; nam Chriſtus eſt *verus Deus*, *perfectus Deus*; ergo ſecundum Deitatem omnes perfectiones divinæ conveniunt Chriſto; ergo & immenſitas.

Objic.1.Script.tribuit ſæpe ubiquitatem humanitati Chriſti, nam de ſe, ut homo eſt, dicebat ipſe, [1] *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Et, *ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum*. Et Apoſtolus dicit, [2] *eum aſcendiſſe in Cœlum, ut impleret omnia*; ergo Chriſtus eſt ubique.

Reſp. neg. conſ. nam illa aſſiſtentia non eſt per præſentiam humanam, ſed divinam, ſc. per gratiam, & auxilia divina; ſicut olim dicebat Jeremiæ, *ne timeas.... quia tecum ego ſum*. Illa vero præſentia, & aſſiſtentia in congregationibus, & conciliis eſt divina quoad realitatem, & humano-divina moraliter quoad authoritatem, ſecundum quam omnia ibi definiuntur, & illa repletio dicitur de bonis ſpiritualibus, quæ in omnes diffundet. *Replebimur in bonis domus tuæ*. Et, *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*.

Inſt. Verbum divinum eſt ubique; ſed Chriſtus homo eſt Deus Verbum; ergo Chriſtus homo eſt ubique.

Reſp.diſt. min. eſt Deus Verbum per ſubſiſtentiam Verbi, & divinitatem, con. per humanitatem, neg. min.

&

[1] *Matt.*28. [2] *Epheſ.*4.

& conſ. nam eſt ubique per divinitatem ſolum.

Inſt.2. Quando duæ res uniuntur inſeparabiliter, ubicumque una eſt, altera eſt; ſed humanitas, & divinitas in Chriſto uniuntur inſeparabiliter, & divinitas eſt ubique; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſi ſunt unitæ reciproce, & adæquate, con. maj. & neg. min. ſi inadæquate, & ex una tantum parte, neg. maj. & conſ. nam humanitas pendet quidem a Verbo, in quo ſubſiſtit, & ideo non poteſt eſſe ſine Verbo, & ubi non ſit Deitas; ſed Deitas poteſt eſſe, ubi non eſt humanitas; quia Deitas non eſt adæquate unita humanitati, ſed infinite illam excedit.

Objic.2. Si humanitas Chriſti non eſſet ubique cum Verbo, quando moveretur localiter, moveretur & Verbum, quia ſecum ſubſiſtentiam Verbi, in qua ſubſiſtit, deferret; conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & prob. ejus: nam ſufficit, quod ubicumque ſit præſens humanitas, ſit præſens Verbum illam ſuſtentans, illa movetur per mutationem loci, Verbum autem ubique adeſt per immenſitatem; nec illa continet in ſe Verbum definitive, ut corpus animam, ſed e contra Verbum in ſe continet humanitatem.

Objic.3. Hæc propoſitio eſt vera, *Chriſtus*, ſeu *hic homo, qui eſt Chriſtus, eſt ubique*; ergo & iſta, *Chriſtus ut homo eſt ubique*: patet conſ. nam utrobique homo ſignificat idem ſuppoſitum: prob. ant. nam communicatio idiomatum non minus valet pro immenſitate, quam pro aliis attributis, & pro ipſa divinitate. Et ex Damaſc. [1] dicere poſſumus, *hic homo increatus eſt, & impaſſibilis, & incircumſcriptus* &c. ergo ſicut per communicationem idiomatum dicere licet, hic homo eſt omnipotens, imo & eſt Deus; ita & dici poteſt, hic homo eſt immenſus.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus: nam in 1. homo ſupponit pro ſuppoſito, & includit Verbum, in quo humanitas ſubſiſtit, ratione cujus convenire illi poteſt immenſitas: in 2. vero propter particulam reduplicativam ſupponit pro ſola humanitate, ſecundum quam ſignificatur illi convenire immenſitatem.

CON-

[1] *d.3.c.4.*

CONCLUSIO IV.

AD veritatem propoſitionum ex vi communicationis hujus prædicatum, & ſubjectum debent exprimi in concreto, & ſine reduplicatione: ut, Deus eſt homo, & homo eſt Deus: Homo eſt omnipotens, &c. *Iſtæ vero ſunt falſæ;* humanitas eſt Deus, vel omnipotens. *Vel* homo eſt omnipotentia, *vel* Deitas: *nec iſtæ*, Chriſtus ut homo eſt Deus, *vel* omnipotens. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto. [1] Quia *ratio hujus communicationis eſt, quod ſuppoſitum recipit prædicationem in concreto illius naturæ, in qua ſubſiſtit.* Ideo in iſtis prædicationibus debet ſemper implicite, vel explicite importari perſona, ſeu ſuppoſitum, quaſi ſubjectum, & medium, in quo illa prædicata uniuntur cum ſubjectis, de quibus prædicantur; v.g. in iſta, *Deus eſt homo*, Deitas, & humanitas, quæ ſignificantur, ut formæ per illa concreta importatæ, uniuntur in ſuppoſito, quod denotatur per utrumque extremum, & ſenſus eſt, quod illæ uniuntur, & ſubſiſtunt in eadem perſona Verbi.

Prob.2.p.1. nam concreta Deitatis non inſunt, nec uniuntur humanitati, niſi prout hæc eſt in eodem ſuppoſito, non autem prout eſt ab illo abſtracta; imo humanitas, ut abſtracta, ſeparatur a Deo; & viciſſim Deitas in abſtracto importatur ut ſeparata ab homine; ergo naturæ illæ, nec earum proprietates non prædicantur de ſe invicem, niſi in concreto, in quo involvitur perſona, in qua ambæ naturæ, & earum proprietates communicantur.

Prob.2. quia particula reduplicativa ſignificat formam ſubjecti, in quod cadit eſſe cauſam, ſeu rationem formalem convenientiæ prædicati cum illo ſubjecto: v.g. cum dicis, *Chriſtus ut homo eſt Deus*, eſt, quaſi diceres; humanitas, quæ eſt in Chriſto, eſt ratio, cur Chriſtus eſt Deus; & viciſſim, cum dicis, *Deus ut Deus eſt homo*, ſignificas, quod Deitas eſt ratio, cur Chriſtus habeat humanitatem; ſed utrumque falſum eſt; ergo &c. Idem eſt, ſi dicas, *Chriſtus ut homo eſt immortalis*, vel *æternus: Deus ut Deus eſt mortalis* &c.

Hęc igitur eſt principalis regula propoſitionum, quę fiunt

[1] 3.*d*.2.*q*.1.*H*.*n*.13.

fiunt de Chriſto, ut naturæ, vel proprietates earum de ſe invicem prædicentur.

Hinc colligis 1. regulam in his propoſitionibus obſervandam eſſe, ut ipſæ naturæ, vel earum proprietates de ſe invicem prædicentur in concreto ex parte tam ſubjecti, quam prædicati, non autem in abſtracto propter rationes allatas.

2. Eſt, ut nulla apponatur particula reduplicativa.

3. Ut prædicata enuntientur per concreta ſubſtantiva, non per adjectiva ſaltem accidentaliter denominativa. Ideo Concil. Epheſinum rejiciebat hanc propoſitionem; *Chriſtus eſt Deifer*, ſeu *Theoſphoros*. Significat enim eum eſſe hominem ſubſiſtentem in ſe, & ſcientem Deum, vel Deitatem. Eodem modo rejiciuntur iſtæ, *Chriſtus eſt Deificatus*: *eſt homo dominicur*, vel *Deificatus*; ſaltem debent admodum caute proferri; nam per iſtas, & ſimiles locutiones ſignificatur, Chriſtum non eſſe perſonam divinam, ſed perſonam Deificatam.

4. Reprobantur etiam illæ propoſitiones, quæ a Chriſto excludunt vel ſuppoſitum divinum, vel alterutram naturam; ut ſunt iſtæ: *Chriſtus eſt purus homo*, vel *purus Deus*. 1. enim excludit perſonam Verbi, & Deitatem. 2. vero *humanitatem*. Item & iſta, *Chriſtus aſſumpſit Verbum*, vel *hominem*, vel *Deitatem*, 2. vero *humanitatem*, vel *hominem*, vel *humanitas eſt incarnata*; licet poſſit dici, *Verbum eſt incarnatum*, vel *aſſumpſit humanitatem*.

5. Non debent ullæ propoſitiones de Chriſto exprimere unitionem naturæ cum ſuppoſito Verbi. Nam, inquit Scotus, (1) *cum veritas propoſitionum reciprocarum pendeat ab unione naturarum in Verbo, debent ſemper illam ſupponere*. Ideo hæc non probatur: *Chriſtus eſt factus Deus*: quia illud ſuppoſitum de ſe Deus eſt, & talis de ſe præſupponitur; bene vero dicitur, *factus eſt homo*; ſicut natura divina aſſumpſit humanam, non e contra, nec Chriſtus aſſumpſit divinam.

DIS-

(1) *d.7.q.2.E.9.*

DISPUTATIO V.

De anima Chriſti, & proprietatibus ejus.

JAM ſuppoſuimus, imo & probavimus Chriſtum fuiſſe verum hominem *ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtentem.* Jam id ſpecialiter examinamus; ſicut ea, quæ ad illius perfectiones ſpectant, ſed breviter, ne in repetitionibus teramus tempus.

QUÆSTIO I.

An in Chriſto fuerit Anima rationalis ſimilis noſtræ, & ut forma corporis.

APollinaris hæreſiarcha inter alios errores docebat Verbum aſſumpſiſſe ſolam carnem ex V. Maria, juxta illud: *Verbum caro factum eſt;* animam vero non aliam fuiſſe, quam ipſum Verbum ſupplens vicem animæ. Alii putaruut in Chriſto quidem fuiſſe animam, ſed ſine intellectu humano. Parum viguerunt illæ hæreſes.

CONCLUSIO I.

IN Chriſto fuit vera anima rationalis ejuſdem ſpeciei cum noſtra. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hanc veritatem ubique ſupponit, & maxime, dum quærit, *an Chriſti animæ collata fuerit ſumma gratia: An ſumma fruitio voluntati.* &c.

Prob. 2. ex Script. in qua Chriſtus ipſe de anima ſua loquitur, ut vere humana, cum illi tribuit noſtras aliquot paſſiones, v.g. triſtitiam: *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et, *nunc turbata eſt anima mea.* Et odium: *Solemnitates veſtras odit anima mea.* Et ſeparabilitatem; *poteſtatem habeo ponendi animam meam*, quæ, & ſimilia non poſſunt dici de anima ſenſitiva, nec de divinitate; ideo cum dixit, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*: Et, *inci-*

[1] 3.*d*.13.*q*.2.3. & 4. [2] *Matth*.26.

clinato capite emiſit ſpiritum, non commendat, nec tradit Deitatem; ergo &c.

Prob.3. ex Concil. nam in Symbolo Athanaſii: (1) *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne*. Et in Concilio Epheſino (2) S. Cyrillus ſcribit ad Neſtorium, quod Chriſtus habet veram animam. Et Damaſus ſcribit: (3) *Chriſtus continebat totum hominem*. Idem colligitur ex Concil. Chalcedonenſi, & in V. & VI. Synodo ex Lateran. IV. & alibi definitur, quod Chriſtus eſt perfectus homo.

Prob.4. ex PP. ex Hieron. in illud Pſalmi: (4) *Non derelinques animam meam in inferno; quia*, inquit, *illuc deſcendit, ut electos ſuos exinde ejiceret, & diabolum ligaret*. Et Auguſt. (5) dicit, *eum fuiſſe in inferno ſecundum animam, in ſepulcro ſecundum corpus; ſecundum autem quod Deus ubique, & in paradiſo erat, & ſic loquebatur ut Deus, cum dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiſo*. Idem docent unanimiter alii PP. & Theologi.

Dixi, *ejuſdem ſpeciei cum noſtra*; nam fuit homo verus, & ſimilis homini, qui peccavit, &, ut docet Apoſt. ipſe,(6) *Non confunditur eos fratres ſuos vocare... unde debuit per omnia fratribus aſſimilari*. Unde inquit S. Leo, (7) *Anima Chriſti excellit noſtras animas non diverſitate generis, ſed ſublimitate virtutis, eſt enim ejuſdem generis cum noſtris animabus, ſed excellit etiam Angelos ſecundum plenitudinem gratiæ, & veritatis .... tenens nobiſcum in corpore, animaque naturam*, &c. generis autem nomen non ſumit logice,& in rigore philoſophico, ſed pro ſpecie.

Objic. 1. Si Chriſtus habuiſſet totam noſtram humanitatem quoad corpus, & animam, habuiſſet etiam ſimiles cogitationes; ſed hoc illi repugnat, quia in cogitationibus humanis ſemper ſubeſt aliquid peccati, juxta illud *Sapientia carnis inimica eſt Deo*; ergo,&c.

Reſp. diſt. maj. ſimiles in natura, & phyſice, conc. maj. & neg. min. in moribus, & quoad defectus, neg. maj. & conſeq. Habuit ſimilem animam, & cogitationes phyſice ſpectatas, non moraliter, nec quoad defectus, quibus animæ, & cogitationes noſtræ ſubjacent ex peccato.

Objic.

[1] *ep.*1. [2] *act.*2. [3] *de hæret. in* 6. [4] *Pſ.*15. [5] *ep.*57. [6] *Hebr.*2. [7] *ep.*11.

Objic.2.Chriſtus non egebat humana mente,ſeu ratione ad ſuarum actionum directionem; ergo nec anima rationali, quia hæc illi erat inutilis. Prob.antec. nam ſufficiebat mens divina.

Reſp.neg.ant.& prob. ejus. Non enim minus egebat facultatibus animæ, quam ipſius animæ entitate, & ſubſtantia, imo & ipſa humanitate.

Objic.3.Damnatur quædam propoſitio, qua dicebatur, animam Chriſti non fuiſſe perfectiorem anima Judæ; ſed non fuiſſet perfectior,ſi fuiſſet ejuſdem ſpeciei; ergo &c. Prob. min. nam individua omnia ejuſdem, & unius ſpeciei ſunt æqualia; ergo, &c.

Reſp.diſt.maj.non fuiſſe perfectiorem ſimpliciter,& abſolute, & cum illa comparatione ad Judam, conc. quoad eſſentiam, neg. maj. & min. Illa comparatio animæ Chriſti cum anima Judæ eſt odioſa, niſi cum addito, ſc. in ſpecie, & quoad eſſentialia; nam quoad dona accidentalia tam naturæ, quam gratiæ fuit ſumme perfectior extra omnem comparationem ſuper omnes animas creatas,& ipſos Angelos. Ideo parce utendum tali comparatione, & propoſitione.

QUÆSTIO II.

Utrum anima in Chriſto habuerit uſum rationis ab inſtanti conceptionis.

SUppoſita veritate de anima rationali in Chriſto, & quod in nobis non habeat uſum rationis, niſi poſt acquiſitam perfectionem aliquam facultatum corporalium, etiam extra uterum maternum, & ſenſim, atque ſucceſſive, merito hic quærimus, An id ita contigerit in Chriſto, an potius ab ipſo inſtanti conceptionis,& infuſionis ejus in corpus habuerit uſum liberum, & perfectum ſuæ rationis.

CONCLUSIO.

CHriſtus ab ipſo primo inſtanti conceptionis habuit perfectum uſum rationis. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto. (1) Nam ideo putat,Chriſtum potuiſſe mereri in primo inſtanti conceptionis, quia inquit,

[1] 3.*d*.18.*E*.*n*.11.

quit, *hæc omnia fuerunt in Chriſto in primo inſtanti conceptionis, ſcilicet potentia perfecta, gratia, objectum præſens per intellectum, ſcilicet tota Trinitas, cui poteſt velle bonum propter ſe, & non impediebatur .... cum igitur Chriſtus a principio ſuæ conceptionis fuerit perfectus in cognitione omnium, ſaltem abſtractiva, potuit ſine ſyllogizatione eligere*, &c. Certe non potuit mereri ſine perfecto uſu rationis, & perfecta cognitione. Idem colligitur ex aliis concluſionibus, quibus docet eum fuiſſe beatum, & beatitudinem illi fuiſſe coævam, &c.

Prob.2. ex illo vaticinio Jeremiæ. [1] *Creavit Dominus novum ſuper terram: fœmina circumdabit virum, vir oriens nomen ejus*, ſcilicet a conceptione erit vir formatus, & perfectus, non quidem corpore, ſed mente; quia, inquit Gloſſa ex D.Hieron. *juxta incrementa ætatis per vagitus, & infantiam proficere videbitur ſapientia, & ætate, ſed perfectus vir in ventre fœmineo ſolitis menſibus continebitur*.

Confirm. ex aliis Patribus. Nam inquit Auguſtinus: *In aliis infantibus membris anima rationalis miſerabili ignorantia prægravatur, quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuiſſe in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt .... nec illam animi infirmitatem fuerim in Chriſto parvulo ſuſpicatus*. Et Euſebius Cæſarienſis [2] Chriſtum inducit cum Pſalmiſta loquentem: *De ventre matris meæ Deus meus es tu ..... putabar, ut reliqui infantes, imperfectus eſſe, & abſque uſu rationis; non enim eram talis, licet mihi cæteris hominibus ſimile eſſet corpus, cum intra cellam geſtantis me in utero adhuc laterem, te tamen Deum meum videbam*, &c. Et S. Bernard. [3] in locum citatum ex Jeremia: *virum dixerim Jeſum, non tantum cum diceretur vir potens in opere, & ſermone, ſed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater foveret in gremio, vel geſtaſſet in utero... neque minus habuit ſapientiæ ... conceptus, quam natus ... conſtat ergo, quod ſemper Jeſus virilem animum habuit*, &c.

Prob. denique ex dicendis de viſione beata, & fruitione, & merito ejus; nam ſi, ut videbimus ex omnium ſenſu,

[1] *Jer.31.* [2] *lib.ver.demonſt.c.ult.*
[3] *hom.7.ſup.Miſſus.*

ſenſu, hæc habuit ab ipſo inſtanti conceptionis; ergo multo magis uſum rationis, ſine quo illa eſſe non poſſunt.

Objic. 1. In Chriſto talem uſum non probat nec textus ullus Scripturæ, nec ulla experientia; ergo gratis aſſeritur: prob. ant. nam potius contrarium colligitur ex eo, quod etiam natus dicitur *infans pannis involutus*. Et non videmus, quod Maria, vel Joſeph in illo deprehenderint ſignum talis uſus.

Reſp. 1. neg. conſ. Nam ex axiomate Scotiſtico, Chriſto tribuenda eſt omnis illa perfectio, quæ non repugnat Script. vel traditioni Eccleſiæ, & tantum eſt glorificandus, quantum poteſt abſque contradictione Scripturæ; talis autem eſt hæc perfectio in ejus anima, licet de illa nec Scriptura, nec traditio loquerentur.

Reſp. 2. neg. ant. nam locus ille Scripturæ, & Patres id aperte ſatis docent, & magis patebit de merito, & beatitudine ejus.

Objic. 2. Chriſtus humanitatem noſtram aſſumpſit cum omnibus infirmitatibus, excepto peccato, & quæ comitantur peccatum; ſed carentia uſus rationis in illo ſtatu non eſt peccatum, & forte infantes in ſtatu innocentiæ, & in utero matrum caruiſſent tali uſu; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. cum infirmitatibus conferentibus ad paſſionem, & meritum, con. abſolute cum omnibus, neg. maj. & min. nam potius ille uſus conferebat ad meritum, & ad finem redemptionis.

QUÆSTIO III.

Utrum in anima Chriſti fuerint paſsiones humanæ ſimiles noſtris.

Diximus in Philoſophia nomine paſſionum intelligi quoſdam actus, vel motus appetitus ſenſitivi, vel rationalis, quibus fertur in bonum ſuum, vel quibus averſatur, & fugit malum ſibi. De his diximus in tract. de anima, (1) & in tract. 5. hujus ſummæ diſp. 3. per totam, & quidem ſatis fuſe. Ideo breviter agemus de illis quatenus ad Chriſtum pertinent. *Paſſiones* au-

(1) *Diſp.* 11. *q.* 4.

autem communiter numerantur undecim, *amor*, & *odium*: *deſiderium*, & *fuga*: *gaudium*, & *triſtitia*: *ſpes*, & *timor*, & *deſperatio*: *audacia*, & *ira*; & quinque dicuntur pertinere ad appetitum iraſcibilem, & ſex ad concupiſcibilem.

Suppono autem illos motus ſolere eſſe in nobis cum plurimis defectibus; & maxime ex quo per peccatum excitata eſt diſſenſio inter appetitum ſenſitivum, & rationalem. 1. in nobis præveniunt uſum rationis, ſeu ejus advertentiam, & judicium. 2. ſæpe feruntur circa illicita. 3. perturbant rationem, & impediunt rectum judicium. 4. per rebellionem movent contra dictamen rationis, etiam rectæ, & avertunt a bono honeſto, ut inclinent ad inhoneſtum, &c. At certiſſimum eſt, quod in Chriſto non fuerunt cum illis defectibus: ideo dicuntur *propaſſiones* potius, quam *paſſiones*.

CONCLUSIO.

Paſſiones noſtræ omnes fuerunt in Chriſto; ſed ordinatiſſimæ, & pacatiſſimæ, & ſine defectibus, quibus ſubjacent, vel ſubjacere poſſunt in creaturis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet triſtitiam fuiſſe in Chriſto, ſicut & gaudium. Quia, inquit, *gaudium, & triſtitia non ſunt oppoſita, niſi ſint reſpectu ejuſdem objecti. Unde ſumme amare Deum, & odire peccatum, non ſunt oppoſita*, &c. Vides hic gaudium, & triſtitiam, amorem, & odium; ergo idem eſt de aliis paſſionibus; nam major eſt controverſia, & difficultas de triſtitia, & dolore, quam de aliis, quia iſta duo repugnant perfectæ beatitudini, qua fruebatur ab inſtanti conceptionis.

Prob. 2. ex Script. 1. quia ex Apoſt. [2] aſſumpſit corpus, & animam noſtris prorſus ſimilem; ſed anima noſtra ſubjacet illis omnibus motibus, & affectibus; ergo & anima Chriſti. Maj. prob. nam *debuit in omnibus fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret*, &c. Item, [3] *nam habemus Pontificem, qui cum poſſit compati infirmitatibus noſtris*. Compaſſio non eſt ſine paſſione, ſicut nec miſericordia.

Prob.

[1] *3.d.15.V.n.33.* [2] *Hebr.2.* [3] *Ibid.4.*

Prob. 3. diſcurrendo per ſingulas. 1. *de amore, & odio*. Nam de illo creditur dictum, *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*. Amabat Lazarum, de quo ſorores, *ecce quem amas, infirmatur*. Et ipſe: *Lazarus amicus noſter dormit*, & non magis hi duo affectus animam Chriſti dedecebant, quam ipſum Deum, cui tribuitur dictum, *Jacob dilexi*, &c. Et de Joanne dicitur, *diſcipulus, quem diligebat Jeſus*. Denique ſine dubio diligebat bonum virtutis, & malum peccati odiebat. 2. *de deſiderio, & fuga*. Ipſe dicebat, *deſiderio deſideravi hoc Paſcha*; & fugiebat mortem, cum *abſcondit ſe ab eis*, (ſc. Judæis volentibus illum præcipitare, aut lapidare) & *fugit in montem*. Et certe potuit deſiderare converſionem peccatorum, & Judæorum, & nolle peccata, & duritiem eorum; ideo per Prophetas queritur: *Quoties volui congregare pullos tuos*?

3. De *gaudio*, & *triſtitia*; nam ipſe dicebat: *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos*. Et, *loquutus ſum vobis, & gaudium meum in vobis ſit*. Et ut loquitur Auguſt. *Quod eſt gaudium Chriſti in nobis, niſi quia dignatur gaudere de nobis? De triſtitia* autem ipſa queritur dicens; *triſtis eſt anima*, &c. Sed de hac infra, quia ſpecialis eſt de illa difficultas propter incompatibilitatem cum ſumma beatitudine.

4. *De timore*, & *audacia* eſt etiam aliqualis difficultas; tamen legimus, quod *cœpit pavere, & tædere*. Et cum timor nihil aliud ſit, quam odium, & fuga imminentis mali, non dubium eſt, quin ſecundum partem inferiorem, & ſenſitivam timeret mortem, & alia mala ſibi imminentia. [1] *Anima eſt, quæ timet*, dicit Gloſſa ordinaria, & *triſtatur Chriſtus, & timet, quia ut Deus in corpore conſtitutus fragilitatem carnis exponit. Qui corpus ſuſcepit, omnia, quæ corporis ſunt, ſuſcipere debuit*. De *audacia* autem non dubitatur; quia dicitur *Deus fortis*. Et vere audacem oſtendit ſe, cum occurrit militibus quærentibus ſe ad mortem. *Quem quæritis? Ego ſum*.

5. *De ſpe, & deſperatione*, conſtat de 1. quia illi morienti tribuitur hoc dictum: *caro mea requieſcet in ſpe*, &c. ſc. ſperavit reſurrectionem ſuam. *Vox Chriſti*, inquit Hieron. *pro perſona corporis reſurre-* M 2 *ctio-*

[1] *tr.* 83. *Jo.*

ctionis. Et Auguſt. *caro mea non deficiet in æternum, ſed in ſpe reſurrectionis*. Et certe cū ſpes ſit expectatio boni habendi cum aliqua certitudine, dubitari non poteſt, quin Chriſtus ſperarit reſurrectionem ſuam, & alia bona, & præmia mortis ſuæ, nec ſine ſpe orabat, cum dicebat, *Pater, ſi poſſibile eſt* &c. *De deſperatione* autem impie loquitur Calvinus, cum tribuat illi deſperationem reproborum; nos loquimur de illa deſperatione, quæ reſpicit malum ſenſibile imminens, & inevitabile, ita ut nulla ſit ſpes evadendi, & talem ſine dubio habuit in Cruce reſpectu mortis.

6. *De ira*, & *admiratione*; nam de 1. legimus, (1) *circumſpiciens eos*, ſc. Phariſæos, *cum ira, contriſtatus ſuper cæcitatem eorum*; id eſt (inquit Gloſſa) *incredulitati eorum iraſcens*. Et ſine dubio iratus fecit flagellum de funiculis, & ejecit de templo profanatores. Unde Apoſtoli hoc videntes de illo dictum putarunt: *zelus domus tuæ comedit me*; & certe ira eſt appetitus vindictæ, qui ſi ſit ſecundum regulam rectæ rationis, nihil habet, quod Chriſtum dedeceat, imo nec Deum ipſum, cui dicitur, (2) *cum iratus fueris* &c. *De admiratione* autem dicitur, quod (3) centurionis fidem miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: *non inveni tantam fidem in Iſrael*, & ex admiratione dicebat Chananææ, *o mulier, magna eſt fides tua*; nam admiratio non ſemper eſt de ignotis, nec ſupponit ſemper ignorantiam, quæ non erat in Chriſto, ſed eſt de rebus inſolitis, & talis erat illa fides centurionis, & mulieris.

Prob. 2. p. Nam illi defectus dedecent perſonam Chriſti, ſc. ſapientiam, & ſanctitatem intemerabilem, & ſtatum ejus ſummæ gratiæ, ac beatitudinis: ergo non debent, nec poſſunt paſſiones iſtæ tribui Chriſto cum ſuis defectibus.

Confir. nam in nobis iſti defectus oriuntur vel ex fomite peccati, & rebellione appetitus contra ſpiritum; qui fomes venit ex peccato, & per conſequens non fuit in Chriſto, vel ex præventione, qua illi motus inſurgunt inconſulta ratione, & deliberatione, & hæc etiam non cadunt in illum propter ſummam ſapientiam; ergo &c.

Prob.

(1) *Mar.* 3. (2) *Matth.* 8.
(3) *Ibid.* 15.

Prob. 2. nam paſſiones conſiderantur in nobis vel quoad principium, vel quoad objectum, vel quoad effectum; ſed nullum horum dici poteſt de Chriſto; ergo nec paſſiones illi ineſſe potuerunt quoad defectus noſtros. Prob. min. 1. principium illud in nobis venit ex indeliberatione judicii, & præcipitatione, & excæcatione, & violentia motuum, & hæc non cadebant in ejus ſapientiam, ut dicebamus; unde (1) *in poteſtate ejus erat ſic, vel non ſic affici .... & ubi ſumma poteſtas eſt, ſecundum voluntatis nutum tractatur infirmitas; hoc eſt ipſemet volens turbavit ſemetipſum*; inquit Auguſt. 2. non ex objectis; nam, cum eſſet impeccabilis, non potuit ferri, niſi circa honeſtum. 3. non quoad defectum, quatenus vel excæcant rationem, & perturbant; vel quandam faciunt voluntati violentiam, adeo ut quaſi nolens trahatur in malum, & quod *non vult malum, hoc agat*, ut loquitur Apoſt. (2) de ſua carne, & ſtimulo carnis ejus; ſed neque hoc etiam potuit ineſſe Chriſto, qui fuit ſemper Dominus ſuorum motuum; nam *hos motus certe diſpenſationis gratia ita, cum voluit, ſuſcepit animo humano, ut cum voluit, factus eſt homo*, ait idem S. Doctor, (3) & id probat ex loco cit. *infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum; id eſt, ipſe ſe turbavit, quem alii turbare non poterant*, inquit Gloſſa Lyrani, *quis enim cum poſſet, niſi ſeipſum ipſe turbaret. Itaque fratres mei, primo hic attendite poteſtatem. Turbaris tu nolens. Turbatus eſt Chriſtus, quia voluit. Eſurivit I. ſed quia voluit; dormivit, quia voluit .. in illius poteſtate erat ſic affici*.

Ideo multi nolunt abſolute hos motus vocare *paſſiones*, ſed *propaſſiones*; quia ſunt quidam motus in parte ſenſitiva, vel etiam in anima, & movent quidem, ſed non dimovent rationem. Et ſic loquitur Hieron. *Ly*, eſt de vocibus, non de re, ſeu de ſenſu. Quin etiam nomen paſſionis in Chriſto fugiunt, quia forte putant cum Stoicis paſſiones eſſe non poſſe ſine defectu, & hoc ideo nomen horreſcunt; ſed ſcrupulum deponant: carent enim vitio paſſiones ex natura ſua, & tam ad virtutes, quam ad vitia juvare poſſunt ſecluſo fomite peccati.

(1) *tr.49.Jo.23.*
(2) *Rom.7.* (3) *15.civit.9.*

Objic. 1. Paſſiones de ſe pugnant cum ratione; ergo non ſunt in anima; quia hæc non repugnat ſibi ipſi: prob. ant. nam de paſſionibus intelligitur illud Apoſtoli, *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*.

Reſp. neg. utrumque ant. nam etiam in anima ipſa inſurgunt diverſi affectus. Unde Cyprianus dicebat; *quod* [1] *caro adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem contendere dicitur, arbitror improprie dictum: quia ſolius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat*.

Inſt. Saltem repugnant cum ſumma beatitudine; quia major earum pars turbat quietem animæ, & maxime timor, dolor, triſtitia, ſpes, deſperatio, &c. ſed anima Chriſti erat ſumme beata; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. & rationem ejus, naturaliter, con. ſupernaturaliter, & ex diſpenſatione divina, neg. maj. & conſ. nam ſicut ex divina diſpenſatione Chriſtus erat ſimul viator, & comprehenſor; ita etiam ut eſſet ſimul paſſibilis, & impaſſibilis, ſic erat quidem ſumme beatus quoad partem ſuperiorem animæ, ſed non pure quoad inferiorem.

Objic. 2. Homo in ſtatu innocentiæ carebat paſſionibus: nam, inquit Auguſt. *ſi habebant* (primi parentes) *iſtos affectus, quomodo erant beati in hoc paradiſo? Quiſnam autem beatus dici poteſt, ſi timore afficitur, vel dolore?* ſed Chriſtus longe innocentior, & felicior fuit protoparentibus; ergo a fortiori carebat paſſionibus.

Reſp. 1. diſt. maj. carebant paſſionibus turbulentis, quales evaſerunt per peccatum, con. abſolute, & ſimpliciter, neg. maj. & conſ. in ſtatu innocentiæ non abſolute caruiſſet paſſionibus homo, ſed turbulentis.

Reſpon. 2. neg. parit. nam licet Chriſtus eſſet longe ſanctior, & beatior, fuit tamen aliunde miſerior, quia venit moriturus, labores, & dolores peccatorum portaturus.

Objic. 3. Nuſquam legitur gaudium de Chriſto, & ideo dicitur nuſquam riſiſſe; imo gaudium non decet ſanctos; quia monet Boetius, *gaudia pelle*, ergo &c.

Reſpon. neg. ant. ut patet ex Script. cit. nec neceſſe eſt,

[1] *l. de oper. chr.*

eſt, ut riſerit; nam riſus eſt effectus gaudii ſenſibilis, & in re levi, & ludicra, non in ſeriis, & ſpiritualibus. Imo de pluribus narratur, quod numquam riſerint, ut de Heraclito, de Anaxagora, de Ariſtoxene, de Marco Livio Craſſo &c. Quid mirum, ſi hoc dicitur de Chriſto, qui nihil ludicrum, nec leve cogitabat, ſed peccata noſtra, & miſerias deflebat? Dicitur vero lacrymatum eſſe, cum Lazarum ſuſcitavit, & ſuper Jeruſalem flevit. Boetius vero loquitur de gaudio immoderato, quod fateor dedecuiſſe Chriſtum, nec tale fuit in eo. Idem eſt de cæteris paſſionibus, quæ illi negantur.

Objic. 4. Admiratio eſt de inſolitis, & inſperatis, quorum ignoratur cauſa; ſed Chriſto nihil tale occurrere poterat; ergo non erat capax admirationis. prob. min. nihil Dei ſcientiæ novum, aut inſolitum, aut inſperatum, ſed animæ Chriſti communicabatur ſcientia Verbi; ergo &c.

Reſp. diſt. min. Nihil tale quoad ſcientiam divinam, & infuſam, con. quoad ſcientiam experimentalem, & acquiſitam humanitus, neg. min. & conſ. prob. Chriſtus quoad ſcientiam experimentalem videbat fidem centurionis inſolitam, & maximam pro tali viro, utpote gentili, & militari. Similiter in muliere Chananæa. Et hæc mirari voluit ſaltem ad exemplum, & confuſionem Judæorum.

Objic. 5. *Ira,* [1] *& furor ſunt vitia execrabilia*, inquit ſapiens: & ipſe Chriſtus dicit; [2] *qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*. Et Jacobus, [3] *ira viri juſtitiam Dei non operatur*; ſed hæc repugnant Chriſto; ergo & ira.

Reſp. diſt. maj. ira irrationabilis, & exceſſiva, con. rationabilis, & moderata, neg. maj. & min. ira rationabilis eſt juſtus, & rationabilis appetitus vindictæ. *Ira Dei nihil aliud eſt, niſi juſta vindicta*, inquit Auguſt. *ira Dei non eſt perturbatio animi*, ſed judicium, quo irrogatur pœna pro peccato. Imo nec in homine ſemper mala eſt. Unde dicitur, *iraſcimini, & nolite peccare*. Et Auguſt. *iraſci peccanti, ut corrigatur, reprehenſibile non eſt*; ergo hæc potuit eſſe in Chriſto.

Objic. 6. Spes Chriſti fuiſſet actualis, vel habitualis; M 4 ſed

[1] *Eccl.* 27. [2] *Matt.* 5. [3] *Jac.* 1.

ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. prob. min. ſpes eſt de re abſenti, & in præſenti deſiderata; ſed hoc non fuit in Chriſto actu, nec habitu: ergo &c. Prob.min. nihil potuit deſiderare niſi pro tempore, quo erat *futurum*; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. & conſ. 3. argumenti; nam de ratione ſpei non eſt, ut deſideretur bonum abſens pro alio tempore, quam pro illo, quo debet adeſſe; ſic ſpero & ex nunc vitam æternam ſuo tempore futuram.

Objic. 7. Timor eſt fuga mali cum ſpe evadendi; ſed in Chriſto non erat ſpes evadendi mortem; ergo nec timor ejus; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Timor efficax, qui facit conſultare, & quærere media vitandi mali imminentis, con. timor inefficax, qui eſt ſimplex diſplicentia mali certo futuri, neg. maj. & conſ. nam in Chriſto fuit iſte timor: præterquam quod in eo fuit voluntarius, & ſic neque opponebatur fortitudini, nec alteri virtuti: ita eſt de aliis paſſionibus.

CONCLUSIO II.

IN *Chriſti anima vere fuit triſtitia, & dolor*. Eſt communis.

Porro ſuppono ex dictis cum Scoto, [1] & Auguſt. [2] quod dolor dicitur eſſe in ſenſibus, & triſtitia in voluntate. *Dolor carnis tantummodo offenſio eſt animæ ex carne, & quædam ab ejus paſſione diſſenſio; ſicut animi dolor, qui triſtitia nuncupatur, eſt ejus diſſenſio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*. Igitur proprie ineſt animæ ex carne, & ſecundum partem ſenſitivam; triſtitia vero ineſt animæ ſecundum ſe, & ſecundum partem intellectivam.

Dixi autem *in anima*, nam de ſenſibus nemo diſputat, nec dubitare licet. (3) *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Et ipſe per Prophetam dicit: (4) *Videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus*. Et in Evangel. (5) *oportuit Chriſtum pati*: Et certe (6) in omnibus partibus ſui corporis in paſſio-

[1] 3.*d*.15.*A*.4. [2] 14.*civit*.15.
[3] *Iſa*.53. [4] *Trin*.1.
[5] *Luc*.24. [6] *Ibid*.*K*.20.

paſſione læſus eſt; ſed læſio non eſt ſine dolore; ergo &c.

Supponit etiam Doctor, quod licet anima Christi, & omnium hominum ſit in ſua entitate indiviſibilis; tamen in illa diſtingui ſolet pars *ſuperior* ab *inferiori*: Illa eſt, quæ reſpicit ſola æterna; iſta vero, quæ reſpicit temporalia, ſeu potius eadem anima dicitur *ſuperior*, prout reſpicit æterna, & *inferior*, prout reſpicit temporalia, & ſic dicit Chriſtum non potuiſſe triſtari de carentia beatitudinis, quia non caruit illa, nec de peccato ſuo, quia non peccavit; ſed de peccatis alienis. Unde inquit Ambroſ. [1] *Doles Domine non tua vulnera, ſed mea; ideſt triſtaris de meis peccatis naturam meam vulnerantibus, non de tuis*. Reſtat ergo, ut triſtatus fuerit vel de morte, & vulneribus corporeis, & opprobriis mortis ſuæ, quæ reſpiciuntur a parte inferiori, vel de peccatis, quæ in ejus paſſione committebantur a Judæis, & reſpici poterant a parte ſuperiori, quatenus opponuntur ultimo fini, & legi æternæ. His ſuppoſitis

Prob. 6. ex eodem; (2) Nam poſt multa ſic tandem concludit: ſic ſalvatur Gloſſa illa: *repleta eſt malis anima mea, id eſt triſtitiis, ſive pœnis, quia tota anima ſecundum utramque portionem triſtabatur, & ut natura, & ut libera ex nolitione conditionata*, quantum ſc. in ipſo fuit, apprehendebat diſconveniens voluntas naturaliter, & conditionaliter.

Prob. 2. ex Script. (3) nam dicitur, quod accedens ad hortum *Cœpit triſtari, & mœſtus eſſe*. Et ipſe dicit, (4) *triſtis eſt anima mea*, &c. Quod de triſtitia animæ explicant Concilia, & PP. ut Agatho in VI. Synodo, & Sophronius ibidem. Ubi hos textus citant contra Monothelitas, ut probent in Chriſto voluntatem humanam cum divina; quod non præſtarent, niſi hæc triſtitia fuiſſet in voluntate. Idem patet ex eo, quod *factus in agonia prolixius orabat*.

Confir. Nam conſtat ſatis aperte ex iſtis textibus, quod in anima Chriſti erat aliqualis volitio mortis vitandæ; ergo & aliqualis triſtitia de morte ferenda. Prob. ant. nam orabat: *Pater, ſi fieri poteſt*, &c. Ecce nolitionem mortis, ſaltem conditionatam; & cum

 addit,

[1] *in Luc.* [2] *Ibid.* 5. *n.* 30.
[3] *Matth.* 26. [4] *act.* 4. & 11.

addit, *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu;* &c. teſtatur in volitione, ut tranſeat calix, ſi tamen id velit Pater, & quod nollet mortem illam, niſi Pater eam ipſi vellet; ſed talis voluntas Chriſti conditionata ſufficiebat ad veram triſtitiam in animæ Chriſti; ergo &c. Prob. min. Nam illa nolitio licet conditionata probat diſconvenientiam mortis cum appetitu illo rationali; ergo & quod reſpiciebat illam, ut objectum triſtitiæ.

Confir. 2. ex eo, quod *videns civitatem flevit* &c. videns ſc. Judæorum duritiem, & cecitatem voluntariam. Et quod in extremis doloribus mortis clamabat: *Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* hæc enim ſunt ſigna non incerta doloris intimi. Et certe, cum Chriſtus ſumme cuperet gloriam Patris ſui, & hominum ſalutem, non potuit ſine ſummo dolore videre tot peccata, & Patris offenſas, & hominum damnationem; & hæc reſpiciuntur a parte ſuperiori æque, ac ab inferiori, nam offenſa Dei eſt objectum ſuperioris, quæ reſpicit æterna, & ultimum finem, & damnatio peccatorum eſt objectum inferioris, quæ reſpicit inferiora, & humana.

Prob. 3. ex PP. Nam, inquit Ambroſ. [1] *ut homo triſtitiam habuit, ſuſcepit enim triſtitiam meam. Confidenter triſtitiam nomino, qui crucem prædico.* Et Gloſſa ordinaria: [2] *Chriſtus timet, quia ut Deus in corpore conſtitutus fragilitatem carnis exponit.*

Prob. 4. Nam triſtitia eſt dolor de malo præſenti, & nolito; ſed animæ Chriſti erant præſentia mala graviſſima, quæ noluiſſet, ſed quæ oderat; ergo de illis debuit dolere etiam interius: prob. min. videbat blaſphemias, & offenſas in Deum, & duritiem Judæorum, quos venerat convertere, & perditionem tot animarũ, quas voluiſſet ſalvare, & pro quibus moriebatur.

Objic. 1. Chriſtus quoad animam habuit gaudium beatificum, & quidem perfectum; ergo non potuit ibi pati triſtitiam. Prob. conſ. gaudium beatificum replet totam animam; imo miraculoſe continebatur, ne redundaret in carnem; ergo excludebat omnem dolorem, & triſtitiam: hoc argum. ſatis vexat Theologos. Quidam dicunt ſuſpenſum fuiſſe pro illo tempore gaudium beatitudinis etiam in anima.

[1] 2. *de fid.* 2. [2] *Matth.* 26.

ma. Alii admittunt triſtitiam ſecundum partem inferiorem animæ, dum gaudebat in ſuperiori. Alii volunt triſtitiam illam præceſſiſſe natura gaudium, imo & Chriſtum illam in Verbo vidiſſe cum gaudio. Alii dicunt gaudium beatificum, & triſtitiam fuiſſe ſimul in anima Chriſti, ſed in gradu remiſſo, ſaltem quoad triſtitiam. Alii dicunt hæc non repugnare reſpectu diverſorum objectorum, etiam in ſummo. Ideo Chriſtus ſumme gaudebat de viſione beata, & ſumme dolebat de peccatis, ſicut eadem paſſio ſub diverſis motivis poterat eſſe ſumme volita, & nolita; volita quidem propter decretum divinum, & reparationem offenſæ Dei, & redemptionem, nolita vero propter offenſas Dei ex parte Judæorum. Sic plures Scotiſtæ reſpondent; ego vero cum aliis.

Reſp. diſt. conſ. ſecluſo miraculo omnipotentię Dei, con. dato miraculo, neg. utramque conſ. verum quidem eſt illas paſſiones gaudii, & triſtitiæ in ſummo fuiſſe de diverſis objectis formalibus, ſed hæc diverſitas non videbatur ſufficere ad compoſſibilitatem illarum paſſionum in tali gradu, niſi adfuiſſet ſuprema diſpenſatio, & poteſtas, qua noluit ſummum illum gaudium excludere ſummum illum dolorem; ſicut ex Dei diſpenſatione fuit ſimul viator, & comprehenſor. Vide Maſtrium ſuper hoc. [1]

Objic. 2. Triſtitia eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt; ſed nihil tale accidere poterat Chriſto, quod nollet; ergo neque triſtitia: min. patet, nam ipſam mortem voluit: (2) *oblatus eſt, quia voluit*.

Reſp. diſt. maj. nolitione abſoluta, vel conditionata, con. maj. & min. abſoluta, neg. maj. & conſ. Chriſtus noluiſſet mortem conditionate, ſi poſſibile fuiſſet per voluntatem Patris; ſed abſolute, & conformiter ad voluntatem Patris eam voluit.

Objic. 3. ex Script. de Chriſto prædicitur, quod *non erit triſtis, nec turbulentus*. Et, *non contriſtabit juſtum, quidquid acciderit ei*; ſed Chriſtus erat ſumme juſtus: *vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. de triſtitia irrationabili, & perturbante, cō. de rationabili, & virtuoſa, & moderata, neg. maj. & conſ. loca illa intelliguntur de triſtitia maligna, &c. qualem non admittimus in Chriſto, neque in juſtis.

[1] *Diſp. 5. a. n. 155.* [2] *Iſa. 53.*

QUÆSTIO IV.

Utrum in anima Christi fuerit peccatum originale, & ignorantia.

QUia diximus in Christi anima fuiſſe paſſiones, forte ſuſpicari quis poſſet, eas ex peccato originali veniſſe, ſicut in cæteris hominibus, non quidem quoad eſſe, ſed quoad deordinationem, & inter defectus, quibus ſubjacemus, notior eſt ignorantia, & ideo quærimus, an illos defectus aſſumpſerit Verbum in Chriſto.

De peccato originali diximus expreſſe in tract. de peccatis, ſicut etiam de ignorantia, & ad propoſitum recordandum, quod triplex eſt. 1. dicitur *ſimplex*, quæ eſt carentia notitiæ rerum nullatenus utilium hominis ſtatui, v. g. quot ſint piſces in mari, & arenæ ejus grana. Dicitur etiam *ſimplex neſcientia*, ſeu *negatio ſcientiæ*. 2. *privativa*, quæ eſt carentia notitiæ neceſſariæ, & debitæ ineſſe homini pro ſtatu ſuo. 3. *poſitiva*, ſeu *pravæ diſpoſitionis*, ſeu *affectata*, qua quis non curat, aut non vult ſcire, quæ debet, ut liberius omittat agenda, aut agat omittenda; dicitur etiam *craſſa*: de *ſimplici*, & *privativa* poteſt eſſe quæſtio, non de *poſitiva*, quæ eſt culpabilis, & quam nemo credit fuiſſe in Chriſto, ſicut neque errorem.

Imo etiam *de ſimplici neſcientia* non agimus, quid enim intereſt ad gloriam, & perfectionem animæ Chriſti, quod ſciverit, vel ignoraverit numerum muſcarum ab initio mundi uſque in finem? Et ſic de ſimilibus notitiis, quæ nihili faciendæ ſunt. De ſola igitur ignorantia privativa agimus.

CONCLUSIO.

CHriſtus non habuit, nec habere debuit, vel potuit peccatum originale. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Patet, qualiter Chriſtus non contraxerit peccatum originale, quia non fuit filius naturalis Adæ, & ideo non erat debitor juſtitiæ originalis. Acceperunt enim illi ſoli juſtitiam in Adam, qui*

[1] 3. *d.* 1. *q.* 2. *A. n.* 3.

qui ab eo erant deſcenſuri per rationem ſeminalem . . . unde ſicut illis ſolis potuit ſervare juſtitiam, ita illis ſolis potuit perdere illam . Et ideo ſi Chriſtus fuiſſet purus homo, & non Deus, miraculoſe tamen natus de Virgine ſecundum Anſelmum, non contraxiſſet peccatum originale &c. & addit ex eodem, quod ſanctificatio Virginis Matris, & miraculoſa formatio corporis fuit, non per propagationem communem; utraque ratio per ſe ſufficeret, *ut Chriſtus innocens naſceretur* .

Prob.2. Nam, inquit Angelus ad Mariam, (1) *quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur*, non filius Adæ, ſed *filius Dei* .. Et ipſe Judęis dicebat: (2) *Quis ex vobis arguet me de peccato?* &c. Ex Apoſtolo: (3) *ſecundus homo de Cœlo cœleſtis*, ſc. nihil contraxit ex carne. Et dicitur *Pontifex Sanctus, impollutus, ſegregatus a peccatoribus* &c.ſed hæc non eſſent vera, ſi contraxiſſet peccatum; ergo &c.

Confir.ex Auguſtino. (4) *Omnes ex illa radice veniunt, & ex illa progenie, de qua cantat gemens David; Ego in iniquitatibus conceptus ſum . . . ſolus ergo ille Agnus, qui non ſic venit . . . carnem tantum aſſumpſit de Adam, peccatum non aſſumpſit* &c. Et alibi ſive ipſe, ſive Fulgentius dicit, quod (5) *J. C. ſine peccato conceptus, ſine peccato natus . . . . pro nobis peccatum factus eſt* .

Prob.3. ex Concil. Ephesino in Epiſtola S. Cyrilli; Chriſtus dicitur expers omnis peccati. Item ex dictis de filiatione divina: nam ſi natus eſt filius Dei naturalis; ergo non potuit naſci filius Adæ, & multo minus diaboli per peccatum: 3. ex dicendis de ejus gratia, & beatitudine ab ipſo inſtanti conceptionis; non enim potuit pro eodem inſtanti eſſe in illo peccato, & in gratia, & in viſione beata.

Prob.2. p.ſc. quod non potuerit, nec debuerit illud contrahere, quia ut patet ex Script.& PP. & ex dictis de peccato originali, illud non tranſmittitur ab Adamo, niſi in poſteros, qui naſcuntur ex illius ſemine per naturalem propagationem viri, & mulieris; ſed Chriſtus non ita conceptus eſt, ſed per miraculoſam operationem Spiritus S. ergo &c. Prob.min.ex Scrip. *Spiritus S. ſuperveniet in te* &c. Et, *quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*; ergo &c.

Objic.1.

[1] *Luc.* 1. [2] *Jo.* 8. [3] 1. *Cor.* 15. [4] *tr.* 4. *Jo.* [5] *de fide* ...

Objic. 1. Effectus peccati originalis fuerunt in Chriſto; ergo & illud: prob. ant. mortalitas, alięque miſeriæ, quibus homo ſubjacet ex peccato, & paſſiones humanæ fuerunt in illo; ergo.

Reſp. diſt. ant. effectus peccati Adæ, & ſuorum, con. effectus ſui peccati, neg. ant. & conſ. prob. nam in ſe aſſumpſit pœnas omnes peccati Adæ, & ſuorum, ſed non peccatum, ſeu in ſe non admiſit peccatum eorum. In omnibus factus eſt nobis ſimilis abſque peccato.

CONCLUSIO II.

IN *anima Chriſti non fuit ignorantia privativa*. Eſt communis contra veteres hæreticos, Gnoſticos, & Agnoitas, qui ſomniarunt, Chriſtum indiguiſſe Pædagogo, quod finxerunt alii recentiores, ut Buccerus, & Zuinglius.

Prob. 1. ex Scoto. *Chriſtus nullam ignorantiam habuit ſecundum magiſtrum; quia non expediebat nobis Chriſtum aſſumere defectum illum*: ergo ex Scoto ignorantia non fuit in illo.

Prob. 2. ex Script. (1) *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus*. Et (2) *In eo ſunt Theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*. Et, (3) *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*. Hæc autem omnia cum illi debebantur, & data ſunt intuitu unionis hypoſtaticæ, debuerunt etiam dari, & data ſunt in ipſo inſtanti conceptionis. Si autem plenus ſcientia, & veritate, non fuit locus ignorantiæ.

Prob. 3. ex Patribus, ex Auguſtino, (4) *In infantilibus membris anima rationalis miſerabili ignorantia prægravatur, quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuiſſe in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt*. Et Damaſc. dicit, (5) *Neſtorianum ſapere, qui dicit contrarium, quaſi perſona humana Chriſti ignorantia, ſicut cæteri homines, laboraverit*.

Prob. 4. ex dictis ſupra de uſu rationis ab inſtanti conceptionis, & ex dicendis de viſione Beata, quæ non ſtat cum ignorantia.

Objic. 1. ex Script. Verbum aſſumpſit humanitatem

[1] *Iſai.* 11. [2] *Coloſſ.* 2. [3] *Joan.* 1.
[4] 2. *de pecca. mer.* 29. 3. [5] *de fid.* 22.

tem ſimilem noſtræ. [1] *Nam debuit per omnia fratribus aſſimilari.* Et, *habemus Pontificem .... tentatum per omnia pro ſimilitudine*; ſed omnis homo ſubjacet ignorantiæ etiam privativæ; ergo &c.

Reſp. diſt.maj. aſſimilari in his, quæ conducebant ad finem redemptionis, con. quæ non conducebant, ſed potius nocebant, neg. maj. & conſ. Chriſtus debuit nobis aſſimilari in infirmitatibus corporalibus, quia faciebant ad finem redemptionis per patientiam, & labores; ſed defectus animæ, & maxime ignorantia nihil ad hoc conferebat, ſed potius nocebat.

Objic.2.ex eadem Script. Inquiſitio arguit ignorantiam rei, de qua inquiritur; ſed Chriſtus de pluribus rebus inquiſivit; ergo eas ignoravit: prob. min. nam quæſivit de Lazaro mortuo? [2] *Ubi poſuiſtis eum?* A diſcipulis, *qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem?* Et, [3] *unde eſſent triſtes.* Et, *quænam eſſent nuper facta in Jeruſalem, de quibus loquebantur, & dolebant.* A Petro; [4] *Simon Joannis diligis me plus his?* quaſi dubitans de ejus amore. Et, [5] *venit ad ficulneam ſperans in ea habere fructum, & non invenit.*

Reſp.neg.maj. non enim ſemper inquirimus ex neſcientia rei inquiſitæ, ſed confeſſionem exigimus a reſpondentibus, vel ad eorum inſtructionem, vel ex aliis motivis licitis, alioqui deberemus ignorantiam tribuere Deo inquirenti in paradiſo ab Adam, [6] *Ubi es?* Et a Caino, *Ubi eſt Abel frater tuus?* Igitur Chriſtus quærit de ſepulchro Lazari, ut invitet ſorores, & alios ad ſpectaculum reſurrectionis ejus. Et certe *qui abſens ſcivit mortuum, ſcivit, ubi ſepultus*, ait Gloſſa. Inquirit a diſcipulis de ſubjecto ſermonum, & conferentiæ, & triſtitiæ, ut habeat occaſionem docendi eos. Inquirit a Petro confeſſionem dilectionis in aliorum ædificationem, & ut ſumat ex ea confeſſione occaſionem conſtituendi eum Paſtorem Eccleſiæ ſuæ, reparata per eam confeſſionem culpa trinæ negationis. Denique quod legitur de ficulnea, eſt parabola, non hiſtoria. Eodem modo reſpondent PP. ad alias ſimiles interrogationes, ut cum quærit de Energumeno: [7] *Ex quo tempore hoc ei accidit*, Gloſſa inter-

[1] *Hebr.*2.& 4. [2] *Jo.*11. [3] *Luc.*24.
[4] *Jo.*21. [5] *Matth.*21. [6] *Gen.*3. [7] *Mar.*9.

terlinearis addit, *non quaſi ignorans interrogavit*; ſed ut diuturnitas infirmitatis oſtenſa curationem gratiorem oſtendat, & mirabiliorem. Item cum deſcendens ad diſcipulos ſuos, & turbas conquirentes interrogavit eos: *Quid inter vos conquiritis?* Gloſſa ordinaria notat: *ſcit, & interrogat, ut confeſſio pariat ſalutem*. Sic cum interrogat Philippum: *Unde ememus panes?* Et Apoſtolos, [1] *quot panes habetis?* Ipſemet textus addit; *hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus*. Sic cum interrogat dæmonem in arreptitio: *Quod tibi nomen?* Certe, *non quaſi neſciens interrogat, ſed confeſſa publica peſte, quam toleraverat, virtus curantis gratior appareret*, ait Beda: ſic de muliere curata a profluvio ſanguinis interrogat: *quis me tetigit?* Lyranus ex eodem Beda: *interrogat, ut ſalus, quam mulieri dederat, declarata, & agnita fidei virtute multis proficiat*.

Objic.3. Chriſtus neſcivit diem judicii; nam inquirentibus diſcipulis de illa reſpondet ipſemet: *De die illa nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque filius, niſi Pater*. Certe cognitio diei illius non erat indifferens ſcientiæ Chriſti; ergo habuit ignorantiam privativam.

Reſp. ex Hieronymo, quod particula, *neque filius*, non legitur nec in codicibus græcis, nec in Euangelio.

Reſp. 2. Chriſtum ſic loqui, ut reprimat curioſitatem diſcipulorum, quibus hanc diem ſcire non expediebat. Ideo dicit: *non eſt veſtrum noſſe tempora* &c. Ideo nequidem hanc novit filius hominis, ut dicat eis; ſed eam ſcientiam ſibi reſervat cum Patre; quod autem Chriſtus id ſibi ſciret, poteſt colligi ex eo, quod dicat nobis de Patre: *Omne judicium dedit filio*. Item dicit ſe venturum in majeſtate ad judicium. Et, [2] *omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, neque Patrem quis novit, niſi filius, & cui voluerit filius revelare*. Sic cenſent PP. quos citat Card. de Laurea.

Objic.4. Qui proficit in ſapientia, non eſt ante profectum perfecte ſapiens; ſed Chriſtus *puer I. proficiebat ætate, & ſapientia* &c. ergo ab initio non erat perfectus in omni ſcientia.

Reſp.

[1] *Joan.6.*
[2] *Diſput.14.A.n.11.*

Reſp. diſt. min. proficiebat quoad oſtenſionem, & manifeſtationem gratiæ, & ſapientiæ, imo & acquiſitionem ſcientiæ experimentalis, con. quoad acquiſitionem perfectionis, vel notitiæ rei alias ignotæ ſibi, & apud ſe, neg. min. & conſ. proficiebat, ait Nazian. [1] *non quod hoc in illo incrementum caperet. Quid enim in eo, quod a principio perfectum erat, perfectius eſſe poſſit? ſed ut hæc paulatim detegerentur, & eluceſcerent.* Hæc clarius patebunt ex dicendis de ſcientia, & viſione beata.

QUÆSTIO V.

De fomite peccati, an fuerit in Chriſto.

FOmes peccati ex communi uſu Theologorum ſignificat appetitum ſenſitivum boni delectabilis, vel utilis, qui in nobis accenditur contra dictamen rationis, & excitat paſſiones, prout illud objectum apprehenditur ut conveniens, vel diſconveniens, & facile, aut arduum: & inde ſollicitat voluntatem, ut in ſimiles affectus eam trahat, quidquid in contrarium dictet ratio, juxta illud: [2] *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus, deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum*; quando videlicet voluntas conſentit.

Porro ſicut paſſiones in Chriſto admiſimus rationi, ſeu ſpiritui perfecte obedientes, ita ſatis conſequens eſt in eo non fuiſſe hunc fomitem; nam fomes iſte duo dicit præter appetitum, ſc. negationem obedientiæ, ſeu ſubjectionis ad rationem, & pronitatem, ſeu inclinationem ad peccatum, quæ inclinatio ſequitur illam negationem obedientiæ, & eſt quid poſitivum; & hæc duo proveniunt a peccato originali, per quod amiſimus juſtitiam illam, quam Deus infuderat Adamo cum obligatione illam tranſmittendi ad poſteros, & qua fiebat, ut appetitus eſſet perfecte obediens rationi, & inclinaretur ad bonum honeſtum, ſeu virtutis, ut diximus ſuo loco. Dicitur autem ille appetitus, ſeu concupiſcentia *fomes peccati*, ſeu *fomes concupiſcentiæ*; quia excitat,

[1] *Orat. 20. hom. domin. 1. poſt Epiphan.*
[2] *Jacobi* 1.

tat, ſeu inflammat ad peccatum. Quæritur ergo, an in Chriſto fuerit ille fomes, & unde ab eo immunis fuerit.

CONCLUSIO.

IN Chriſto non fuit fomes peccati, *& hoc, quia caro ejus non erat peccati, nec concepta ex fomite, ſeu ardore concupiſcentiæ, ſed ex Dei voluntate.* Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex doct. Scoti citati in præcedenti. Nam ſicut docet Chriſtum fuiſſe impeccabilem propter ſummam gratiam, & beatitudinem; quia, inquit, [1] *beatitudo ſibi abſtulit omnem peccabilitatem, vel poſſibilitatem peccandi, quæ poteſt auferri per beatitudinem*; a fortiori abſtulit omnem fomitem peccati. Item colligitur ex eo, quod, ut vidimus, docet non habuiſſe peccatum originale; quia, inquit, [2] *non fuit filius naturalis Adæ, & ideo non erat debitor juſtitiæ originalis.*

Prob. 2. ex Conc. Conſtantinop. II. & Generali V. in quo Vigilius contra Theodorum Moſveſtenum ſcribit: *Chriſtus inducitur purus homo, qui ratione animæ dicitur manſuetas feciſſe corporis libidines, & erudiviſſe animam, & exercitaſſe eam, ut paſſiones ſuas vinceret, & carnis in ſe libidines refrænaret* &c. *Qui ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, anathema ſit*; ergo definit, Chriſtum non habuiſſe fomitem coercendum.

Prob. 3. ex PP. nam inquit Auguſt. [3) *Vivificatis corporibus non remanet in eis concupiſcentia, quam ſpiritui reſiſtentem habere in carne mortali ille tantummodo homo non potuit, qui non per ipſam ad homines venit: habet & immunitatem fomitis, & rationem immunitatis, nempe quia caro eius non formata eſt per concupiſcentiam.* Et S. Leo de Chriſto dicit: *Nihil carnis ſuæ habebat adverſum, nec diſcordia deſideriorum gignebat compugnantiam voluntatum.*

Prob. 4. Caro, & tota humanitas Chriſti non minus fuit opus Spiritus S. quam humanitas Adæ, nec debuit

[1] *d. 12. A. n. 3.*
[2] *d. 12. A. n. 2. d. 3. q. 2. A. n. 3.*
[3[*con. Ep. pelag. 11.*

buit minoribus gratiis, & donis præveniri, imo & incomparabiliter majoribus intuitu unionis, qua donabatur; ſed Adam fuit factus immunis a fomite; ergo & Christus a fortiori.

Confir. ex Apoſt. *primus Adam de terra terrenus*, 2. *de cœlo cœleſtis*; ergo multo minus debuit ſubjacere fomiti.

Confir. 2. ex aliis PP. & Theologis, qui docent, illum fomitem veniſſe ex peccato originali, & ex privatione juſtitiæ originalis; ſed in Chriſto non fuit illud peccatum, nequidem quoad debitum; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam de facto Chriſtus ita conceptus eſt, ſc. de Spiritu S. & non eſt filius Adæ per naturalem ſeminis propagationem; ergo ſicut non debuit contrahere peccatum Adæ, ita nec pœnam ejus, ſcilicet rebellionem appetitus, ſed potius debebatur ei ejus immunitas, & gratia, per quam ille fomes excludebatur, nec patet alia validior ratio.

Prob. 3. p. Quia ſine dubio voluntas Dei, qui Chriſtum deſtinabat ad remedium peccati, noluit eum ſubjacere pœnis, quæ ad peccatum inclinant, qualis eſt fomes.

Alias rationes afferunt alii, v. g. ſummam gratiam, & gloriam, & alia dona: ſed nobis iſtæ ſufficiunt.

Objic. 1. Chriſtus aſſumpſit omnes miſerias humanitatis, & maxime in carne; ergo & fomitem concupiſcentiæ. Prob. ant. nam ille fomes non eſt peccatum, imo dicitur *fuiſſe tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*; & hoc, *ut poſſit compati infirmitatibus noſtris*, & quia *debuit per omnia fratribus aſſimilari* &c.

Reſp. diſt. ant. omnes miſerias, quæ nullam indecentiam ex peccato redundantem, & in peccatum inclinantem habebant, ſed conducebant ad opus redemptionis, con. quæ illam indecentiam, & relationem ad peccatum habebant, neg. ant. & conſ. & diſt. etiam prob. fuit tentatus per omnia ab extrinſeco, con. ab intrinſeco, neg. ant. tentatus eſt ab inimicis, ab impiis, a diabolo &c. ſed non decuit eum tentari, & inclinari ex ſeipſo ad peccatum.

Reſp. 2. ex gloſſatoribus Chriſtum tentatum fuiſſe per omnia per labores Crucis. *Quod natus, educa-*

tus

ius crevit, *paſſus*, *mortuus* &c. inquit Gloſſa ordinaria, & idem dicit Lyranus, Theodoretus, & alii Interpretes.

Objic. 2. Chriſtus expertus eſt horrorem mortis, etiam contra voluntatem Dei Patris; ergo & fomitem, nam ille horror veniebat ex concupiſcentia, & amore vitæ. Prob. ant. nam ipſe fatetur; *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Et orat, ut *tranſeat calix iſte*. Et, *factus eſt ſudor ejus*, ille, inquam, ſudor veniebat ex lucta carnis cum ſpiritu, illa nolente mortem, illo volente ex obedientia ad Patrem, & ex charitate ad nos; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. paſſus eſt horrorem mortis voluntarie, con. ex vera oppoſitione carnis cum ſpiritu, neg. ant. & prob. ejus: nam, inquit Hieronymus in Gloſſa, *cœpit contriſtari, ut veritatem aſſumptæ carnis probaret, vere contriſtatus eſt, ſed non paſſio ejus animo dominatur, ſed propaſſio eſt*. Oravit autem ad exemplum, & eruditionem noſtram, ut diſcamus recurrere ad Deum in ſimilibus, non oravit ex neceſſitate, nec pro ſe, ideo monet diſcipulos, *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem* &c.

Objic. 3. Nihil repugnabat eum aſſumere hunc defectum, & juvabat ad majorem patientiam, & meritum coronæ ex lucta, & ut expertus miſeriam hanc noſtram magis inclinaretur ad compatiendum infirmitatibus noſtris; ergo hanc aſſumpſit.

Reſp. neg. conſ. quia ſatis aliunde lucet ejus fortitudo, & victoria; & ipſe de ſe ſatis *cognovit figmentum noſtrum* &c. ex charitate inclinatur ad miſericordiam.

QUÆSTIO VI.

De ſanctitate animæ Chriſti, & ejus impeccabilitate.

IAm excluſimus ab anima Chriſti plures defectus, ſed reſtat principalior, & eſſentialior perfectio aſtruenda, & notabilior imperfectio removenda, quale eſt peccatum.

Sanctitatis nomen large ſignificat ſeparationem alicujus rei a profanis uſibus, & deſtinationem ejus ad cultum Dei, quo ſenſu dicitur, *Omne, quod aperit vulvam, ſanctum domino vocabitur*. Proprie vero ſigni-

ſignificat, & deſcribitur a D. Dionyſio, *ab omni immunditia libera, & perfecta, & immaculata munditia*. Et hæc eſt tantum ſanctitas *negativa*: *poſitiva* autem *eſt forma illa, quæ facit hominem Deo amicum, charum, dilectum, & vitæ æternæ hæredem, ſi finaliter perſeveret*. De hac poſitiva ſanctitate animæ Chriſti magis patebit ex dicendis de illius gratia, & charitate, nunc directe agimus de negativa, ſc. de immunitate ejus abſolutiſſima ab omni peccato perſonali; nam de immunitate ab originali jam diximus.

Quæſtio igitur eſt de ſanctitate Chriſti in hoc ſenſu, id eſt, de immunitate illius ab omni macula peccati, tam de facto, quam de poſſibili.

CONCLUSIO I.

Chriſti ſanctitas fuit ſine omni peccato, imo nec potuit peccare de potentia ordinaria. Eſt communiſſima quoad utramque partem, & de fide quoad 1. contra hæreticos, & maxime Calviniſtas, qui putant eum peccaſſe in horto defectu conformitatis cum voluntate Patris, cum petiit transferri calicem, & peccato deſperationis in Cruce, dum clamat ſe derelictum a Patre: hanc blaſphemiam horrent Catholici omnes.

Prob. 1. ex Scoto, qui probat impeccabilitatem Chriſti:[2] *Quia de potentia ordinaria non poteſt Deus non coagere ad actus ſecundos perpetuæ viſionis, & fruitionis, qui actus repugnant peccato. Sic Deus naturæ ſibi unitæ perſonaliter non poteſt de potentia ordinaria non dare ſummam charitatem, & ſummam fruitionem, quæ excludit peccatum, & ſic ex hac unione eſt impeccabilis non formaliter, ſed virtualiter diſpoſitive, diſpoſitione remota*; ergo ex Scoto Chriſtus fuit ſine peccato tam de facto, quam de poſſibili de potentia ordinaria.

Prob. ex Script. in qua dicitur per antonomaſiam [2] *Sanctus*, & *Sanctus ſanctorum*, & *Nazaræus*, ut interpretatur Hieronymus, qui dicit, quod (3] *Nazaræus interpretatur Sanctus*. Sanctum autem Dominum

[1] 3.*d*.2.*q*.1.*H*.*n*.12.
[2] *Matth*.2. [3] *Jo*.8.1.*p*.2.

rum omnis Scriptura commemorat. Item ubique prædicatur ſine peccato *immaculatus*, *innocens*, *impollutus*; & ipſemet negat ſe poſſe *argui de peccato*. Et, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*. Et, *talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus* &c.

Prob.3. ex Conc. & PP. in Epheſino definitur, [1] *Chriſtum non indiguiſſe ablutione pro ſeipſo, quia peccatum neſcivit*. Et in Lateran. I. definitur, (2) *noſtram ſubſtantiam eſſe in Chriſto perfecte abſque peccato*. Et ita docent unanimiter SS. PP. nam inquit Auguſt. *in ejus non tantum divinitate, ſed nec in anima, vel in carne ullum potuit eſſe peccatum*.

Prob.2.p. ratione Scoti. Nam Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit una perſona in Verbo, & intuitu unionis cum Verbo fuit plenus ſumma gratia, & fruebatur ſumma gloria quoad portionem ſuperiorem animæ; ſed peccatum de potentia ordinaria repugnat cum ſumma gratia, & gloria; ergo & repugnabat in Chriſto: maj. ſupponitur ex dictis, & dicendis; min. etiam patet ex dictis de beatitudine, & viſione Dei, & de gratia ſanctificante.

Objic. cont. 1. p. ex Script. Chriſto tribuitur illud pſ.21. *Deus meus, quare me dereliquiſti?* &c. Et illud, *non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum*. Hæc de perſona Chriſti docet Auguſt. Item in horto libertatem a morte, & in cruce deſperavit; ergo peccavit.

Reſp. neg. impiam conſ. nec recte infertur ex illis textibus licet Chriſto attributis: nam Chriſtus per charitatem delicta noſtra ſibi ſumpſit expianda, & ſic dicit ſua. *Quomodo dicit, delictorum meorum*, ait Auguſt. *niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta noſtra fecit ſua, ut juſtitiam ſuam noſtram faceret?*

Objic.con.2.p. Chriſtus de potentia ordinaria fuit liber ad bonum, & malum, alioqui non potuiſſet mereri; ergo potuit peccare de via ordinaria.

Reſp. diſt. ant. in actu 1. & intrinſece, con. in actu ſecundo, & extrinſece, neg.ant. & conſ. eodem modo: nam in actu 2. voluntas ejus fuit cum ſumma gratia, & fruitione Dei, quibus reddebatur impeccabilis.

Inſt. potuit mereri; ergo & demereri.

Reſp.

[1] *Can.*10. [2] *Can.*5.

Reſpon. neg. conſ. nam ad meritum ſufficit libertas contradictionis, & ut voluntas viatoris informata gratia eligibiliter, & complacenter operetur bonum; ad demeritum vero requiritur libertas contrarietatis, & ſeparatio a principiis invicte retrahentibus a malo, qualia ſunt ſumma gratia, & beatitudo in Chriſto.

CONCLUSIO II.

Sanctitas, ſeu impeccabilitas animæ Chriſti non veniebat præciſe, proxime, & immediate, & formaliter ab unione hypoſtatica. Eſt Scotiſtarum, & aliorum contra Thomiſtas, & alios plurimos.

Prob. 1. ex Scoto cit. ubi dicit expreſſe, quod (1) *ex hac unione Chriſtus eſt impeccabilis, non formaliter, ſed virtualiter, diſpoſitive diſpoſitione remota.* Et alibi refundit hanc impeccabilitatem in beatitudinem. *Dico, quod Chriſtus in 1. inſtanti unionis ejus cum Deo fuit beatus, & beatitudo abſtulit ſibi omnem peccabilitatem, quia excludit omnem poteſtatem avertendi ſe a fine*, ſeu ab objecto fruitionis.

Prob. 2. Si illa impeccabilitas veniret proxime, & formaliter ab unione, id eſſet, vel quia unio illa facit eum neceſſario beatum, vel quia de ſe formaliter repugnat cum peccato; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non poteſt oſtendi neceſſaria illa connexio beatitudinis cum unione hypoſtatica, imo patet ejus ſeparabilitas, 1. ex proprietate unionis, quia omne prius poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori; prius eſt perſonari, quam operari. 2. quia unio humanitatis cum Verbo in ratione ſuppoſiti non infert neceſſario unionem ejus cum Deo in ratione objecti. 3. quia non ſufficit præſentia, & unio intellectus, & voluntatis cum Deo in ratione objecti, ſed adhuc requiritur elevatio, & concurſus Dei cum illis potentiis ad viſionem, & fruitionem, illud autem auxilium, & concurſum poſſet Deus negare, nec enim eſt identificatus cum unione. 4. Si Verbum aſſumeret naturam irrationalem, non cauſaret beatitudinem; ergo unio hypoſtatica non habet neceſſariam connexionem.

Prob. eadem min. quoad 2. p. nam unio hypoſtatica per ſe non determinat voluntatem humanam Chri-

[1] *d. 32. A. n. 2.*

Chriſti ad bonum, neque determinat Deum, ut concurrat cum ipſa ad bonum, & detineat eam a peccato; ergo voluntas humana Chriſti adhuc cum unione, & quantum eſt de ſe, non eſt impeccabilis: prob. ant. illa determinatio eſſet vel phyſica, vel moralis. 1. non phyſica, quia illa unio eſt pura relatio, ut diximus; ergo non habet actionem, vel influxum determinativum, ne quidem in creaturam, & multo minus in Deum. 2. non moraliter, quia ſic non poſſet determinare, niſi efficiendo, ut vel ipſa unio, vel Verbum in ratione objecti ita fortiter attraheret voluntatem, ut non poſſet aliud velle; ſed hoc eſt falſum, quia nec ipſa unio, nec ipſum Verbum uniuntur humanitati objective, ſed ipſa unio formaliter, & per ſe ineſt, & Verbum adeſt perſonaliter, & in ratione ſuſtentantis, non autem in ratione objecti, ſaltem neceſſario; ergo unio nec phyſice, nec moraliter determinat voluntatem humanam ad non peccandum.

Confir. Oppoſitio unionis hypoſtaticæ cum peccato non eſt formalis, ſicut albedinis cum nigredine; ergo non ſe expellunt formaliter: prob. ant. non ſunt in eodem ſubjecto, nam peccatum eſt in ſola voluntate, & unio ſubjectatur in tota humanitate, nec etiam reſpiciunt idem objectum. 3. non ſunt ſub eodem genere, nam unio eſt ens phyſicum, peccatum vero eſt ens morale; ergo non vere ſunt contraria.

Dices. Unio hypoſtatica exigit negationem concurſus Dei ad peccatum, ſed potius concurſum ad bonum oppoſitum peccato.

Contra. Vel ideo hæc exigeret neceſſario, quia non poſſet conſervari ullo modo cum peccato; ſed hoc gratis dicitur, quia de hoc eſt quæſtio, & petitur principium.

Prob. 3. concl. Quia ſanctitas, & impeccabilitas abſolute, & ſimpliciter ſoli Deo propria eſt; ergo omnis creatura rationalis de ſe eſt peccabilis; ergo & humanitas Chriſti quantum eſt de ſe: ant. patet; nam inquit Hieron. *ſolus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum.* Et Ambroſ. (1) *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia eſt, ſola autem eſt a peccato immunis,*

(1) *Tr. de fil. prod.*

nis, & immaculata ſempiterna Deitas. Unde colligit Auguſt. *quod cuicumque rationabili creaturæ præſtatur, ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed gratiæ Dei*; ergo nulla neceſſitate Deus tribuit humanitati Chriſti, etiam ut ſubſiſtenti in Verbo, ut non poſſit peccare; ſed hoc libere, & ex gratia illi concedit per viſionem, & fruitionem beatam, & gratiam conſummatam.

Confir. hoc ex verbis Apoſtoli, qui de Chriſti ſanctitate, & impeccabilitate loquens non dicit hoc fuiſſe neceſſarium ſimpliciter, ſed conveniens, ſeu decens; [1] *talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus*.

Confir. 2. Nam ſolus Deus eſt neceſſario, & ſimpliciter ſanctus, & impeccabilis; ergo ſanctitas, & impeccabilitas humanitatis Chriſti non eſt neceſſaria ſimpliciter, ſed ex gratia; alioqui ſanctitas Chriſti hominis eſſet illi extrinſeca, ſicut ipſa Deitas; quia non eſſet ſanctus niſi ſanctitate Verbi, ſeu Deitatis.

Confir. 3. ex Script. Nam de Chriſto intelligitur, *ſpecioſus forma præ filiis hominum*, ſcil. propter unionem hypoſtaticam cum Verbo, quæ eſt radix aliorum donorum; unde conſequenter *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*. Et rurſus propter unionem, & gratiam habet alias benedictiones, ſc. gloriam. *Propterea benedixit te* &c. *Quare*? inquit Auguſt. reſpondet; *propter gratiam*; *illa enim gratia quo pertinet? ad regnum cœlorum*. Vides, quod gratia eſt immediatum, & formale principium ſanctitatis.

Prob. 4. Illa impeccabilitas eſſet a ſanctitate Verbi formaliter, vel efficienter; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non formaliter; tum quia ſanctitas Verbi eſt attributum Deitatis, & communis tribus perſonis, & extrinſeca ipſi humanitati; tum quia illud attributum Deitatis non aliter communicatur humanitati ex vi unionis, quam immortalitas, immutabilitas, &c. ergo ſicut humanitas, vel Chriſtus ut homo non eſt immortalis, &c. proxime & formaliter; ita nec impeccabilis per unionem. 2. non efficienter; tum quia omnis efficientia ad extra eſt indiviſa tribus perſonis; tum quia ſic humanitas eſſet impeccabilis formaliter, & proxime non per unionem, ſed per id, quod Deus in ea cauſaret, aut produceret intuitu unionis.

[1] *Hebr. 7.*

Confir. Quia unio ad Verbum, & ad ejus impeccabilitatem non tollit a voluntate libertatem ad bonum, & malum; quia non immutat naturam; alioqui non poſſet mereri per abſtinentiam a peccato; ergo per id non fit proxime impeccabilis.

Confir. 2. Nam ſi per unionem formaliter humanitas fit ſancta, & impeccabilis ſanctitate divina, confunduntur aliquo modo naturæ in Chriſto; vel ſaltem datur occaſio Eutychianis, & Apollinariſtis eas confundendi; quia ſicut attributa confunderentur, ita & naturæ; ergo melius eſt dicere, quod humanitas Chriſti eſt ſancta, & impeccabilis per aliquod donum creatum, v. g. per gratiam conſummatam, & viſionem, ac fruitionem, quam per unionem.

Hinc ſequitur, quod illa ſanctitas, & impeccabilitas venit formaliter, & proxime a ſumma gratia, & beatitudine, quæ intuitu unionis collatæ ſunt Chriſto ab inſtanti conceptionis.

Objic. 1. ex Synodo VI. dicitur, [1] *Chriſtum habuiſſe voluntatem humanam impeccabilem*. 2. ex Athanaſio vocatur *ſanctus natura ſua, & immutabilis ad malum*. 3. Nazianzenus dicit, [2] *Voluntatem eius ſic deificatam, ut non poſſet repugnare divinæ*. 4. Chryſoſt. [3] *Qui aliorum tollit peccata, utique immunis eſt ab omni peccato, nec peccare poteſt*. 5. Cyrillus Alex. dicit, [4] *Animam Chriſti per unionem ad Verbum factam eſſe ſuperiorem omni peccato, & immutabilem*. 6. Origenes: [5] *Ferrum natura ſua caloris, & frigoris capax eſt, ſi tamen ſemper intra fornacem ignis ſemper contineatur, dici poterit incapax frigoris. Sic beatiſſima Chriſti anima in Deo ſemper exiſtens, quidquid agit; quidquid intelligit, Deus eſt; & ideo inconvertibilis, & immutabilis, quæ anima inconvertibilitatem ex Dei Verbi unione indeficienter ignita procedit*. 7. Ambroſ. dicit, [6] *Animam Chriſti eſſe incapacem peccati, quia per unionem facta eſt impeccabilis*. 8. Hilarius docet, [7] *Peccatum ita repugnare Chriſto, ſicut repugnat Chriſtum non eſſe Chriſtum*; ſc. implicat contradictionem, & hoc propter unionem. 9. Anſelmus: [8] *Primus Adam peccare potuit, quia purus homo; ſecundus Adam*

[1] *Act.8.* [2] *ſerm.2.con.Arria.* [3] *orat.36.*
[4] *c.7.Iſai.de fid.* [5] *2.Peri.6.* [6] *lib. de inc.7.*
[7] *10.tr.* [8] *1.car.de ho. 10.*

Adam peccare non potuit, quia Deus eſt. 10. denique Auguſt. [1] *neque metuendum erat, quid in iſto ineffabili modo in unitatem perſonæ Verbo Deo humana natura ſuſcepta, per liberum voluntatis arbitrium peccaret, cum ipſa ſuſceptio talis eſſet, ut natura hominis a Deo ita ſuſcepta nullum motum in ſe malæ voluntatis admitteret;* ergo omnes iſti SS. PP. & alii omnes non ſolum docent Chriſtum impeccabilem, ſed etiam hoc tribuunt unioni.

Reſp. neg. conſ. ex omnibus illis textibus illatam; quia illi omnes ſalvantur, & intelligendi ſunt de impeccabilitate per ordinem ad potentiam ordinariam, non abſolutam. 2. de cauſa radicali, fundamentali, & remota ſanctitatis formalis, & proximæ: quatenus ſumma gratia, & beatitudo collatæ ſunt, ſicut & alia omnia dona, intuitu unionis hypoſtaticæ cum Verbo, ex qua venit Chriſto divina quædam dignitas, & ſanctitas. Quod facile reperies, ſi diſcurras per allatos textus, & ſimiles, quos congerunt adverſarii.

Adde, quod ſcribebant PP. contra Arrianos, qui Chriſtum ut purum hominem peccare poſſe dicebant, aut etiam Deum ipſum, & Verbum eſſe puram creaturam. Ideo negabant Chriſto potentiam peccandi.

Quantum ad Origenem, forte exaggerat paulo altius, nec multum auctoritatis habet in libris illis dictis Periarchon, in quibus ſæpe erravit. Illa comparatio ferri igniti inclinat in Eutychianiſmum ſuper mixtionem naturarum. Imo ſicut Deus poſset conſervare frigiditatem ferri in igne, ita & ea ex paritate conſervare libertatem humanitatis in ea unione. Denique Auguſt. loquitur de facto, non de poſſibili, de quo eſt quæſtio.

Objic. 2. Unio hypoſtatica Verbi confert humanitati ſanctitatem perſonalem, & ſubſtantialem; ergo & impeccabilitatem, & ſanctitatem moralem; nam peccatum repugnat ſanctitati: ant. prob. nam confert Chriſto eſse ſuppoſitum divinum, & per eam homo fit Deus.

Reſp. neg. conſ. Nam ex vi unionis præciſe non alia ſanctitas hypoſtatica, ſeu perſonalis confertur humanitati, quam alteri naturæ, ſi eam aſsumeret. Dico, *præciſe*, & *formaliter*, quia ſic etiam conferret illi natu-

[1] *de corrept.* 11.

naturæ ſummam dignitatem, & eſſe quoddam divinum; eſſet ſanctitas phyſica; nos autem hic loquimur de morali, quæ opponitur peccato. At in creatura rationali illa unio ſecum affert alia omnia dona gratiæ, & gloriæ, quorum eſt capax, & per conſequens ſanctitatem moralem, ſeu gratiam, & gloriam.

Inſt. Sanctitas illa ſubſtantialis eſt longe validior ad excludendum peccatum, quam ulla ſanctitas accidentalis, quæ ſit ex gratia, vel viſione, aut fruitione beata; ſed per nos iſta accidentalis confert proxime impeccabilitatem: ergo a fortiori ſubſtantialis, quam confert unio iſta.

Reſp. 1. diſt. min. confert impeccabilitatem de via ordinaria, & de lege poſita, con. de via extraordinaria, neg. min. quod patet ex dictis de gratia, & oppoſitione peccati cum gratia, quam diximus eſſe moralem, non phyſicam.

Reſp. 2. diſt. maj. conſequenter, & fundamentaliter, con. per ſe immediate, & formaliter, neg. maj. non enim video implicantiam, quin Deus poſſet permittere hanc humanitatem peccare, & amittere unionem, ſicut poſſet permittere beatos peccare, & amittere viſionem, & fruitionem beatam, licet de via ordinaria hæc fieri non poſſint.

Objic. 3. Peccatum immediate repugnat divino ſuppoſito; ergo peccabilitas repugnat Chriſto immediate propter unionem cum ſuppoſito Verbi.

Reſp. neg. conſ. nam ſuppoſito Verbi, & ipſi Verbo repugnat peccatum, quia Deus eſt; ſed humanitas Chriſti, ut unita Verbo præciſe remanet humanitas, & libera, & defectibilis, niſi aliunde determinetur.

Inſt. Actiones ſunt ſuppoſitorum; ergo ſi Chriſtus cum illa unione poſſet peccare, ita & ſuppoſitum divinum; ergo impeccabilitas venit immediate ab illa unione.

Reſp. ut alias, ſunt ſuppoſitorum denominative, non elicitive. Diceretur ergo, quod humanitas unita Verbo peccare poteſt, quantum eſt de ſe, & ſecluſis donis, quæ connaturaliter, & de via ordinaria exigit illa unio. Quid in hoc implicantiæ?

Inſt. 2. Ex vi unionis debet Verbum dirigere humanitatem, ne peccet: alioqui peccatum illi imputaretur; ergo impeccabilitas venit ex illa directione; ergo ex illa

illa unione: prob. ant. ex Epiphanio. [1] *Verbum virtute ſua frænabat inferiorem naturam ab omni inutili, carnali turba..... animam vero humanam continuit Deus* &c. Idem docet Anaſtaſius Sinaita: [2] *Confitemur animam, & corpus, quæ Verbo hypoſtatice uniuntur Verbo ſubjici.... ut ab eodem regantur, cum longe arctius cum Verbo coniuncta ſint, quam ullæ aliæ res creatæ;* ergo &c.

Reſp. diſt. ant. dirigit mediante gratia, & aliis donis, quæ intuitu unionis Deus confert illi humanitati, con. immediate, & formaliter per ipſam unionem, neg. ant. & conſ. & in eo ſenſu loquuntur illi PP. nec enim vel ſomniarunt, quod illa formalis unio ſit forma ſanctificans, & neceſsario reddens impeccabilem naturam illam.

Objic. 3. Humanitas longe magis ſanctificabatur per unionem, quam per ullam gratiam, vel donum; ergo & magis redditur impeccabilis per illam. Prob. ant. tum quia unio eſt ſumma gratia, tum quia per eam communicatur illi immediate ſanctitas Verbi; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſanctitate perſonali, & ſubſtantiali, con. accidentali, ſeu formali, & inhærente ſaltem præciſe, & ſe ſola, neg. ant. & conſ. prob. nam unio eſt ſumma gratia tum fundamentaliter, quia ex iſta ſequuntur omnes aliæ; tum quia minus cadit ſub meritum; ſed non magis opponitur peccato. Ideo ſit

CONCLUSIO III.

I*Mpeccabilitas non eſt de ratione intrinſeca phyſica unionis hypoſtaticæ, ita ut repugnet naturæ ſic unitæ Verbo poſſe peccare de potentia abſoluta.* Eſt Scotiſtarum contra Thom. & recentiores; quorum aliqui notare cenſuris auſi ſunt hanc opinionem, alii dicunt temerariam, alii blaſphemam, alii judaicam &c. ſed temere, ut patebit.

Prob. 1. ex Scoto cit. [3] nam ſi impeccabilitas Chriſti non venit præciſe, & proxime ab illa unione, ſatis aperte indicat, eam de ſe, & ex ratione ſua phyſica formali non repugnare cum potentia peccandi.

Prob. 2. ex generali medio: ſc. quia in hoc nulla

[1] *Anchor.* 3. [2] *c.* 21. [3] *diſp.* 34. 30.

poteſt aſſignari evidens implicantia; quod facile ex ipſis adverſariis patebit, qui inter ſe pugnant de rationibus, quibus illa probetur, ut notat Arriaga: item ex ſolutione objectionum.

Confir. nam poſset Deus velle aſſumere humanitatem cum plena libertate ad bonum, & malum, & cum decreto concurrendi ad utrumque, & dandi ei gratias proportionatas; nec in hoc video implicantiam; ſicut nec repugnavit ei aſſumere naturam cum ſua paſſibilitate, & aliis defectibus.

Prob.3. Nam de ratione primaria, & phyſica hujus unionis nihil eſt aliud, quam reddere iſtam humanitatem dependentem a Verbo perſonaliter; ſed præciſe, & per ſe loquendo id poſset eſſe independenter a peccabilitate; ergo &c. Prob. nam talis unio per ſe, & ex ratione ſua intrinſeca reſpicit naturam phyſicam; ergo potius deberet communicare alias proprietates phyſicas Verbi, v.g. immortalitatem, omnipotentiam &c. quam morales, qualis eſt impeccabilitas.

Confir. Nam illa unio per ſe, & phyſice nihil immutavit in naturalibus proprietatibus humanitatis, inter quas eſt libertas ad utramque partem, quæ eſt eſſentialis voluntati.

Prob. denique ex præced. concluſione: Nam ſi impeccabilitas Chriſti non veniebat immediate ex unione, ſequitur eam non eſſe neceſſario illi connexam: ſed quatenus ex decreto ſuo æterno Deus voluit cum illa dare humanitati gratiam conſummatam, & viſionem beatam, & alia auxilia, quibus detineretur omnino, & invincibiliter, ne peccaret. Unde fit, ut ex vi præſentis decreti, & de via ordinaria non potuerit peccare: ſed ceſsante illo, & ex vi alterius, id potuiſset ſine dubio.

Objic. 1. Perſonæ divinæ per omnipotentiam repugnat peccare; ſed ex vi unionis hypoſtaticæ Chriſtus, ſeu natura aſſumpta fit perſona divina; ergo ex vi unionis repugnat Chriſto peccare.

Reſp. diſt.maj. perſonæ divinæ in ſe ipſa, & per ſeipſam elicitive, con.naturæ creatæ iſti unitæ, neg.maj. & diſt. min. eſt perſona divina terminative, quatenus humanitas ejus ſubſiſtit in Verbo, con. eſt perſona divina adæquate tam ſecundum naturam, quam ſubſiſtentiam, neg.min.& conſ. ideo peccabilitas repugnat

Ver-

Verbo, non humanitati, quæ in eo ſubſiſtit. Addo, quod hoc argumentum nimis probat: non enim minus repugnat perſonæ divinæ mori, quam peccare. Et ſic Chriſtus ut homo tam fuiſſet immortalis, quam impeccabilis.

Inſt. 1. Actiones ſunt ſuppoſitorum; ergo & peccata.

Reſp. diſt. ant. denominative, & velut conditione, ſine qua non poſſent agere, con. elicitive, neg. ant. ut ſæpe dictum eſt.

Inſt. 2. Implicat, Deum denominari peccatorem; ergo reſponſio non ſalvat inſtantiam.

Reſp. diſt. ant. denominatione intrinſeca, conc. extrinſeca, neg. abſolute enim non magis repugnat, quam dici hominem, mortalem &c. nihil enim hoc aliud eſſet, quam Deum terminare unionem hypoſtaticam naturæ peccatricis, aut mortalis &c.

Objic. 2. Non minus peccatum repugnat unioni hypoſtaticæ cum Verbo, quam gratiæ conſummatæ, & viſioni beatæ; Sed peccatum repugnat iſtis; ergo & illi: min. patet ex Scoto cit. qui vult impeccabilitatem Chriſti venire ab illa gratia, & viſione. Prob. maj. nam hæc unio intimius unit naturam Verbo, quam gratia; vel viſio; & major eſt gratia, & facit, ut Chriſtus ſit Deus, & homo, & quod Deus ſit homo, & homo Deus in unitate perfecta perſonæ.

Reſp. 1. diſt. min. peccatum repugnat cum gratia, & viſione moraliter, & de via ordinaria, con. phyſice, & potentia abſoluta, neg. min. nam ex dictis de gratia, & de beatitudine, gratia, & peccatum non repugnant phyſice, nec de potentia abſoluta.

Objic. 3. varias authoritates PP. qui omnem repugnantiam peccati in Chriſto tribuunt unioni cum Verbo; ſed reſponſum eſt in præcedenti, PP. loqui de Chriſto ex vi præſentis decreti, quo Deus intuitu unionis decreverat non concurrere, nec permittere peccatum, ſed eum contra illud præmunire ſumma gratia, & viſione, & fruitione beata, & aliis donis, cum quibus moraliter impeccabilis fuit.

Objic. 4. Si Chriſtus per ullam potentiam peccare poſſet, diceretur, aut dici poſſet, Deus peccat, aut peccare poteſt; conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. tum quia Deus eſſet, & eſt in Chriſto principale agens; humanitas vero inſtrumentum, & per com-

municationem idiomatum tam diceretur, Deus peccat, quam Deus patitur, Deus moritur.

Reſp. 1. neg. ſeq. nam per communicationem idiomatum non denominatur ab his, quæ illi ex ratione ſua illi repugnant, & dedecent, ut peccatum.

Reſp. 2. diſt. min. repugnat per denominationem intrinſecam, con. per extrinſecam, neg. min. nam per talem denominationem nihil aliud ſignificaretur, niſi quod humanitas, quæ ſubſiſtit in Verbo, peccat, quod æque dici poteſt, ſicut propter eandem unionem, & ſimili denominatione dicitur, Deus moritur &c.

Ad id, quod dicitur Verbum eſſe principale agens reſpectu actuum naturalium, humanitatem vero inſtrumentale, falſum eſt; id quidem dicitur de actibus ſupernaturalibus, & miraculoſis; ſed pro naturalibus illa habet principium formale agentis principalis.

Inſt. Sequeretur dici poſſe Verbum eſse odibile Deo, punibile &c. quia hæc ſequuntur denominationem peccatoris; conſeq. eſt abſurdum, & implicat; ergo &c.

Reſp. neg. ſeq. Nam hæc dici ſolent proprie, ſicut etiam denominatio peccatoris de ſuppoſito proprio naturæ peccantis, quale non eſt Verbum in propoſito. Alias objectiones propoſui in præcedenti.

DISPUTATIO VI.

De intellectu, & ſcientia Chriſti.

AB animæ in ſuis perfectionibus conſideratione ad potentias ejuſdem deſcendimus, & 1. de intellectu, qui ordine præcedit voluntatem: nam de memoria nihil ſpeciale dicendum occurrit.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An, & qualis fuerit ſcientia in intellectu Chriſti.

SUppono ex dictis de anima humana Chriſti, eam fuiſſe perfectam, & ſimilem noſtræ; & per conſequens eum habuiſſe duos intellectus, & duas voluntates proprias duabus naturis ejus, ſc. intellectum divinum, & humanum, & operationes ſingulis proprias, ut docetur in VI. Synodo; [1] ſc. *Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem animabus noſtris contribulem, & mentem menti noſtræ comparem*. Et in Conc. Lateran. [2] ſub Martino I. definitur in Chriſto omnia fuiſſe duplicia, duas naturas, intellectus, & voluntates, & operationes; tamen, quia non ſolum Monothelitæ, & alii hæretici putarunt, Chriſtum non intellexiſſe, niſi per cognitionem, & ſcientiam increatam Verbi, ſicut non ſubſiſtit, niſi per ejus ſubſiſtentiam; ſed etiam aliqui Theologi Catholici idem ſenſiſſe dicuntur, & inter alios Joan. de Ripa, & Hugo Victorinus. Ideo ſit

CONCLUSIO.

CHriſtus non fuit intelligens per ſcientiam increatam, ſed creatam, imo nec potuit. Eſt communis, & videtur de fide, quidquid dicat Arriaga.

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui ubique ſupponit, & docet in eo fuiſſe veram animam ſimilem noſtræ cum ſuis facultatibus ſibi realiter identificatis, & propria voluntate, & intellectu. Imo & tota diſt. 14. docet in eo fuiſſe ſcientiam beatam, & infuſam, ut vidimus.

Prob. 2. ex Script. in qua Chriſto tribuitur ſcientia in quibuſdam circumſtantiis, in quibus non poteſt convenire divinæ; ut cum dicit, ſe ſcire Patrem, ut obediat præceptis ejus, [4] *ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo*, & ut vadat ad eum per paſſionem Crucis; *ſciens, quia venerat hora ejus*. Et cum tribuitur illi admiratio, & profectus in ſapientia, & ſcientia experimentali, *didicit ex eis, quæ paſſus eſt, obedientiam*; hæc

[1] *Act.* 11. [2] *can.* 15. [4] 3. *d.* 13. [5] *Jo.* 8. & 13.

hæc enim omnia non poſſunt dici de ſcientia increata Verbi.

Prob. 3. ex citatis Concil. quia non potuerunt eſſe in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent cum ſuis proprietatibus, quin etiam habuerit operationes proprias intellectus, & voluntatis, & ut loquitur S. Leo allegatus ab Agathone in Epiſt. Synodi Romanæ, *Verbo operante quod Verbi eſt, & carne,* ſeu humanitate *exequente, quod carnis eſt*. Certe ſi duæ ſunt voluntates, & volitiones; ergo & duæ cognitiones, ſc. unicuique ſua, nec major eſt ratio de volitione, quam de cognitione creata; & ſi hæc deeſſet, non dicerent Concilia fuiſſe in unaquaque natura, quæ ad ſingulas pertinent; nam intellectio eſt principalis proprietas, & operatio naturæ rationalis.

Prob. 4. Si ſcientia, & cognitio creata non eſſet in Chriſto, fruſtra fuiſſet intellectus humanus, quia ſine propria operatione ſaltem elicita, & ſic non fuiſſet perfectus homo; defuiſſet enim illi notabiliſſima operatio, & potentia.

Prob. 2. p. quod nequidem potuerit intellectus creatus Chriſti ſcire & intelligere per ſcientiam, & cognitionem increatam: quia Agatho citatus loquitur de poſſibili: & Ambroſ. *ubi eſt ſubſtantia diverſa, nequit eſſe operatio una*; quod etiam colligitur ex Damaſceno, & Leone.

Prob. 2. Intellectio divina identificatur realiter cum eſſentia divina, & eſt realiter ipſa eſſentia divina: ergo non poteſt informare intellectum creatum, ut conſtituat eum formaliter intelligentem: prob. conſ. nam intellectio eſt qualitas, ſeu forma conſtituens intellectum formaliter intelligentem; ſed hoc repugnat ſubſtantiæ divinæ: ergo &c.

Confir. Voluntas creata Chriſti non poteſt fieri formaliter volens per volitionem increatam Verbi: ergo nec intellectus intelligens formaliter per intellectionem ejus: ant. patet, nam volitio creata debet eſſe in poteſtate voluntatis item creatæ: prob. conſ. non enim magis poteſt communicari, & uniri intellectio divina intellectui creato, quam volitio voluntati: ergo &c.

Objic. 1. con. primam partem. Chriſtus ſufficienter ſcit omnia per ſcientiam increatam; ergo fruſtra eſſet ſcientia creata.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. per intellectum divinum, & ut Deus, con. per intellectum humanum, & ut homo, neg. ant. nam loquimur de Chriſto ſecundum humanitatem.

Inſt. Chriſtus etiam ut homo ſubſiſtebat per ſubſiſtentiam divinam Verbi; ergo & intelligebat per ſcientiam Verbi.

Reſp. 1. retorqueri poſſe argum. contra Catholicos de volitione.

Reſp. 2. neg. conſ. & parit. tum quia ſubſiſtentia Verbi ſe habebat per modum puri termini; ſcientia vero per modum cujuſdam formæ informantis. 2. quia ſubſiſtentiæ duplicitas feciſſet duo ſuppoſita realiter diſtincta, quod repugnat Chriſto; duplicitas vero operationum non duplicat ſuppoſita, ſed notat duplicitatem intellectuum.

Objic. 2. Si quid probat, animam Chriſti non fuiſſe ſcientem per ſcientiam increatam, maxime quia ſcientia, & intellectus creatus fuiſſet ſuperfluus eidem ſuppoſito, quippe non reducendus ad actum; ſed non ſequitur illa ſuperfluitas; ergo &c. prob. min. nam ſemper fuiſſet ad ornamentum, & integritatem humanitatis, & plures aliæ potentiæ fuerunt in Chriſto otioſæ, ut potentia generativa; ergo ita eſt de potentia intellectiva creata.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam illæ potentiæ, quæ fuerunt otioſæ, nihil conferebant ad redemptionem; bene vero intellectus, & voluntas per operationes ſibi proprias.

Objic. 1. con. 2. p. Non magis repugnat, intellectum humanum Chriſti ſcire per ſcientiam Verbi, quam humanitatem ejus ſubſiſtere per ſubſiſtentiam ejus; ſed iſtud non repugnat; ergo nec illud: probatur maj. ut ſciat per ſcientiam Verbi, nihil aliud requiritur, quam intima unio, & applicatio ſcientiæ Verbi ad intellectum humanum; ſicut ad ſubſiſtentiam ejus per ſubſiſtentiam Verbi ſufficit intima unio naturæ ad illam; ſed anima Chriſti per unionem hypoſtaticam habet ſcientiam æque, ac ſubſiſtentiam Verbi unitam intime, & applicatam; ergo &c.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. unitam, & applicatam per modum formæ informantis, & afficientis intellectum, con. maj. & neg. min. per modum termini ſu-

ſtentificantis, neg. maj. & conſ.nam ſubſiſtentia Verbi unitur humanitati per modum termini ſuſtentificantis: intellectio vero, ſeu ſcientia, per quam intellectus fit formaliter intelligens, unitur intellectui per modum formæ afficientis, & informantis, ut diximus in Philoſophia. *Intelligere eſt quoddam pati*.

Inſt. Tam poteſt dignitas, & ſcientia Verbi uniri Intellectui per modum formæ, quam per modum ſpeciei intelligibilis, vel ſubſiſtentiæ; ſed eſſentia divina poteſt uniri animæ per modum ſpeciei,& ſubſiſtentiæ; ergo & per modum intellectionis informantis: patet min. nam in viſione beatifica eſſentia Dei ſe habet ad intellectum per modum ſpeciei intelligibilis. Prob. maj. non enim poteſt ulla dari majoris repugnantiæ ratio; & per talem unionem eſſentiæ in ratione ſpeciei vere fit intelligens, & per unionem ſubſiſtentiæ humanitas fit ſubſiſtens formaliter; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam quod eſſentia in viſione beata uniatur animæ per modum ſpeciei, remanet ſemper extrinſeca intellectui: non ita eſt de formali intellectione, qua homo conſtituitur videns: eſt enim forma de genere qualitatis, ab ipſo intellectu elicita, ſeu producta per actum, qui dicitur dictio, & ipſa dicitur verbum mentis, & recepta in ipſomet, per illam receptionem, & informationem ipſe conſtituitur formaliter videns, quod repugnat ſubſtantiæ, & ſcientiæ increatæ. Ad ſubſiſtentiam autem jam dictum eſt, quod non ſuſtentat, nec unitur per modum formæ intrinſece informantis, ſed per modum termini.

Objic. 2. Sufficiebat Chriſto ſcire omnia per ſcientiam increatam; ergo ſuperfluit creata.

Reſp. diſt. ant. ſufficiebat ipſi, ut Deus erat, con. ſecundum quod homo, neg. ant. ſecundum quod Deus erat, omnia ſciebat per ſcientiam increatam; ſed ut homo non debuit carere dotibus intellectus humani, ſicut nec aliis.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus habuerit ſcientiam beatam.

IN Chriſto diſtingui ſolet quadruplex ſcientia; *increata*, quæ eſt propria Deitati ejus; *infuſa*, quæ indita fuit animæ ejus ſupernaturaliter; *beata*, per quam intuitive videbat eſſentiam,& perſonas divinas; & *acquiſita*, quam in dies per experientiam ſibi comparabat, & dicitur etiam *experimentalis*. De increata diximus in tract. 1. ubi de ſcientia Dei. De aliis dicemus ſucceſſive, & incipimus a beata, quæ poſt increatam nobilior eſt, & quærimus, an vivens in terris, & ante mortem habuerit viſionem intuitivam eſſentiæ Dei, ſicut habent Angeli, & Beati in cœlo, & ipſe jam habet ab inſtanti ſuæ aſcenſionis,ſedens ad dexteram majeſtatis in excelſis.

Porro viſio Dei alia eſt *comprehenſiva*, qua Deus tam perfecte cognoſcitur, & videtur, quantum eſt cognoſcibilis,& viſibilis, ita ut viſio adæquet, & commenſuretur cognoſcibilitati Dei, ſic de cognitione comprehenſiva cujuſcumque rei: non raro tamen *comprehenſio* ſumitur pro viſione beata, & creata, & ſic comprehendere idem ſignificat,ac poſſidere,ſeu tenere: [1] *Sic currite, ut comprehendatis*: Alia ſimpliciter *intuitiva*, qua nullo medio, ſed facie ad faciem attingitur eſſentia divina. Diximus autem *comprehenſivam* ſoli Deo propriam eſſe, *intuitivam* autem Angelis, & Beatis permitti in cœlo.

Diximus etiam creaturas omnes poſſibiles exiſtentes, præteritas, & futuras repræſentari,& videri in eſſentia Dei,velut in ſpeculo,&quidem perfectius,quam in ſeipſis; & ideo cognitio creata, qua videntur in eſſentia, aut ſcientia, ſeu in Verbo, dicitur *matutina*, quia clariſſima eſt præ alia, qua videntur in ſeipſis, quæ ideo dicitur *veſpertina*, ideſt obſcurior, & imperfectior. Quæ autem cognoſcuntur in ſcientia Dei, dicuntur videri, ſeu cognoſci in Verbo, quod procedit, ut diximus, a Patre, ut imago, & expreſſio ſubſtantialis tam eſſentiæ divinæ, quam perſonarum, attributorum, & omnium, quæ ſunt in Deo, imo & crea-

[1] 1. Cor. 9.

turarum omnium, etiam poſſibilium, quæ in eo repreſentantur, ut objecta ſecundaria, & ideo in eodem Verbo omnia hæc videri poſſunt.

CONCLUSIO I.

Chriſtus habuit ſcientiam, ſeu viſionem beatam, & quidem ab inſtanti ſuæ conceptionis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Chriſtus in primo inſtanti unionis ejus cum Verbo fuit beatus, & beatitudo abſtulit ſibi omnem peccabilitatem.* Et idem docet, [2] aut ſupponit ubique, & dicit, *beatitudinem fuiſſe animæ ejus coævam.*

Prob. 2. ex Script. Chriſtus adhuc erat in terris, & paſſibilis, cum dicebat: [3] *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo,* ſc. per viſionem, & fruitionem beatam. Item, *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt,* loquitur de ſeipſo, *quod vidit, & audivit, hoc teſtatur.* Et, *Ego, quæ audivi a Patre meo, hæc loquor in mundo.* Forte tamen hic loquitur de ſe, ut Deus eſt. Item, *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Quod poteſt intelligi de gloria animæ. Alios ſimiles textus adducunt Theologi, qui tamen rem penitus non evincunt, quia non ſatis aperte loquuntur de Chriſto homine.

Prob. 3. ex PP. nam apud Euſebium Cæſarienſem, qui interfuit Concilio Niceno, inducitur Chriſtus dicens cum Propheta: [4] *De ventre matris meæ Deus meus es tu; id eſt, cum adhuc intra cellam geſtantis me in utero laterem, te tamen Deum meum videbam.* Et Fulgentius: *Quam vero perdurum eſt, & & ſanctitati fidei alienum, ut dicamus animam Chriſti non plenam divinitatis ſuæ habere notitiam, cum qua creditur unicam habere perſonam .... non enim exiſtimo illi animæ in aliquo plenæ divinitatis deeſſe notitiam, cujus una eſt perſona cum Verbo,* &c. .... *ſicut ergo Chriſtus ſingulariter habet, ut ſit Deus verus, ſic totam divinitatem ſuam ſingulariter novit, & plenam habet notitiam divinitatis ſuæ, ſcil. ſecundum animam.* Et Iſidorus apud Scotum: *Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini aſſumpto.*

Prob.

[1] 3. *d.* 12. *A. n.* 2. [2] *d.* 14. *q.* 1. *&* 2.
[3] *Jo.* 1. [4] *Pſal.* 21.

Prob.4. ex communi ſenſu totius Eccleſiæ,& Theolog. Nam, ut notat Card.de Laurea: [1] *Nuſquam in ſcholis, vel aliqua particulari Eccleſia privilegium hoc fuit negatum animæ Chriſti*; ergo ſignum eſt, quod Spiritus Sancti ductu, a quo regitur Eccleſia,hoc privilegium novit in anima Chriſti.

Quod autem illud habuerit ab initio ſuæ conceptionis, prob. nam ab ipſo inſtanti adfuit illa eadem ratio id aſſerendi, quæ in reliquo decurſu vitæ; ergo ita dicendum. Prob.ant. ratio fundamentalis, quæ movet PP. & Theologos ad tribuendum animæ Chriſti ſcientiam beatam in hac mortali vita, eſt dignitas ipſius filii Dei, & unio hypoſtatica Verbi, ut docent textus allati. Certe ſi filius, & hæres eſt; ſed hanc filiationem, & unionem habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis; ergo & hanc ſcientiam.

Confirm. Nam Chriſtus debuit effici [2] *tanto melior Angelis, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Nam cui dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te?* ſed Angeli boni parum poſt initium creationis ſuæ donati ſunt viſione beata; ergo Chriſtus Dei filius naturalis ea donari debuit in ipſo initio conceptionis.

Objic.1. De Chriſto dicitur, & de Apoſtolis; *Nondum erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Et ipſe Chriſtus inſtante morte orabat; *Clarifica me Pater*, &c. ergo nondum habebat, vel habuerat viſionem beatam.

Reſp.neg.conſ. nam illi textus loquuntur de gloria corporis, & manifeſtatione nominis, & gloriæ ſuæ. Quo ſenſu dicitur, *humiliavit ſemetipſum ..... propter quod exaltavit, & dedit illi nomen*, &c.

Objic. Præmium non antecedit meritum;ſed Chriſtus meruit ſibi viſionem beatam per paſſionem, & alias virtutes, quas operatus eſt in decurſu vitæ; ergo non habuit eam ab inſtanti conceptionis. Prob.min. nam glorioſius eſt illi, quod illam meruerit; ergo,&c.

Reſp.neg.min.& ant.prob. nam glorioſius eſt, quod hæc beata viſio illi deberetur titulo hæreditatis, & filiationis divinæ,quam titulo mercedis, licet hic etiam titulus non defuerit quoad alias coronas.

Objic. 3. Si Chriſtus in hac vita, & maxime ab inſtanti

[1] *d.14.q.2.A.n.2.* [2] *Hebr.1.*

ſtanti conceptionis habuiſſet viſionem beatam, non potuiſſet nec mori, nec pati, nec mereri, non fuiſſet liber; ſed conſ. eſt falſum in fide; ergo, &c. Prob.maj. nam viſio beata ſecum affert impaſſibilitatem, & aufert libertatem merendi, & demerendi; ergo, &c.

Reſp.diſt. maj. non potuiſſet, &c. ſecluſo miraculo, & diſpenſatione divina, conc. ex miraculo, & diſpenſatione,neg.maj. & ant.prob. Nam ex illa diſpenſatione fiebat, ut ſimul ſecundum portionem animæ ſuperiorem videret, & gauderet, & ſecundum inferiorem triſtaretur, ſecundum diverſa objecta lætificativa, ut eſſentia Dei viſa, & poſſeſſa per amorem, & afflictiva, ut ſunt mors, & dolores. De libertate ad meritum dicemus infra: cum hoc diſpenſative ſtabat poteſtas merendi.

Objic. 4. Deus decrevit ſe non conceſſurum ſui viſionem in hac vita; ergo violavit decretum ſuum in Chriſto. Prob. ant. Moyſi petenti, [1] *Oſtende mihi faciem tuam*, reſpondet: *Non videbit me homo, & vivet*. Et, [2] *Deum nemo vidit unquam*. Et Apoſt. [3] *Deus habitat lucem inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. de puro homine, conc. de homine Deo, neg. ant. Chriſtus autem non erat purus homo.

Reſp. diſt. ant. Non videbit me homo in hac vita permanenter, & ſine privilegio, conc. tranſeunter,& ad breve tempus, & ex ſingulari privilegio, neg. ant. nam de multis legimus eos vidiſſe. Jacob, *Vidi Deum facie ad faciem*. Moyſes, & Paulus itidem.

Inſt.Nullibi Scriptura vel Concil.tribuunt illi hanc ſcientiam; ergo gratis id dicimus.

Reſp.neg.conſeq. nam, ut merito, & vere hoc dicamus, ſufficit, quod nihil habeamus in contrarium, & quod hoc cedat in majorem Chriſti gloriam. Nam inquit Doctor, [4] *In commendando Chriſtum malo excedere, quam deficere a laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*. Et, ut docet Auguſt. apud eundem, *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcito hoc Deum magis feciſſe*.

CON-

[1] *Ex.33.* [2] *Jo.1.* [3] *1.Tim.6.*
[4] *d.13.q.4.H.n.9.*

CONCLUSIO II.

Viſio beata fuit quidem perfectiſſima, & ſumma in anima Chriſti, non autem comprehenſiva.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui quærens, *an Chriſtus poſſit perfici viſione perfectiſſima Verbi*, dicit, *quod ſic propter eandem rationem, propter quam dixi diſt. præcedenti quæſt. 1. voluntatem ejus poſſe habere ſummam charitatem, & ita veriſimile eſt eſſe de facto*. Viſio autem beata, & fruitio dantur ad menſuram gratiæ.

Prob. 2. quoad 1. par. Nam viſio beata datur ad menſuram gratiæ, & charitatis; ſed gratia, ſeu charitas in anima Chriſti fuit ſumma, ut ſuppono ex dicendis; ergo & viſio, & fruitio.

Prob. 2. p. ex dictis ſupra, & ex Philoſophia. Scientia perfecte comprehenſiva Dei adæquatur cognoſcibilitati Dei; ſed hæc adæquatio repugnat intellectui creato, qualis eſt intellectus animæ Chriſti; ergo & ſcientia comprehenſiva Dei.

Confir. ex Auguſt. [2] nam *quod ſe comprehendit, finitum eſt ſibi*; ſed eſſentia Dei non poteſt finiri intellectui animæ Chriſti; ergo nec ab eo comprehendi.

Objic. 1. cont. 1. par. Viſio beata in Angelo eſſet perfectior, quam in Chriſto; ergo in Chriſto non eſt ſumma. Prob. ant. Intellectus Angeli eſt perfectior intellectu Chriſti; ſed perfectior intellectus elicit perfectiorem viſionem; ergo viſio illa in Chriſto non fuit ſumma; quia ſupra ſummum nihil eſt.

Reſp. diſt. ant. & min. prob. perfectior cæteris paribus, conc. cæteris non paribus, neg. ant. & min. Perfectio viſionis creſcit etiam ex majori perfectione habitus, ſeu luminis. Unde lumen gloriæ, quo elevatur intellectus Chriſti ad viſionem beatam, eſt ſumme perfectum in comparatione luminis, quod eſt in Angelo, ita & viſio ejus beata.

Objic. cont. 2. Chriſtus videt eſſentiam Dei, ut infinitam, alioqui non ſatiaretur ejus viſione, ut docet Scotus; (3) ſed viſio infinitatis eſſentiæ eſt comprehenſiva; ergo & viſio beata Chriſti eſt comprehenſiva.

Reſp. diſt. maj. ſi videat infinite, & quantum eſt viſibi-

ſibi-

[1] *d. 14. q. 2. A. n. 2.* (2) 83. *qq. q.* 14.
[3] *ibid.*

ſibilis, conc. ſi finite, neg. maj. & conſ. Videt quidem eſſentiam eſſe infinite perfectam, & incomprehenſibilem, ſed non videt infinite, nec comprehenſive; infinitas eſt in eſſentia, non in viſione illa.

Objic. Sanctus Iſidorus citatus ęquat ſcientiam beatam Chriſti ſcientiæ Trinitatis; ſed iſta eſt comprehenſiva; ergo & illa. Prob. maj. *Trinitas*, inquit, *ſibi ſoli cognita eſt, & homini aſſumpto;* ergo notitiam Chriſti hominis de Trinitate æquat notitiæ Trinitatis de ſeipſa.

Reſpond. neg. maj. & conſeq. prob. Nam aliud eſt dicere, quod, excepta Trinitate, nemo illam novit, præter Chriſtum hominem, & aliud, quod iſte homo eam cognoſcat tam perfecte, quam illa ſeipſam; illud docet Iſidorus, non iſtud.

QUÆSTIO III.

An præter ſcientiam beatam detur etiam ſcientia infuſa, vel acquiſita in Chriſto homine.

JAm diximus, Chriſtum habuiſſe ab inſtanti conceptionis perfectum uſum rationis ſine ulla ignorantia eorum, quæ ſcire decebat ipſum. Mox dicebamus, eum habuiſſe perfectiſſimam, & ſummam viſionem beatam, qua in eſſentia, & in Verbo videre potuit omnia, quæ ſcire debebat. De extenſione autem illius, an videret omnia prorſus, quæ Verbum videt, dicemus poſtea. Nunc quærimus, an aliqua videret extra eſſentiam, & Verbum per aliam ſcientiam infuſam, vel acquiſitam.

Nomine ſcientiæ *infuſæ* intelligimus eam, quæ habetur per Dei liberalitatem ſine labore, & ſtudio ex parte noſtra; *acquiſita* vero eſt ea, quam ſtudio, & labore comparamus. Rurſus alia dicitur *per ſe infuſa*, quæ eſt de rebus, quæ nullo humano labore poſſunt haberi, alia *per accidens infuſa*, quæ eſt de rebus quæ quidem poſſunt haberi ſtudio, & labore, ſed non ita facile, & perfecte, nec tam cito.

CON-

CONCLUSIO I.

IN *Chriſto fuit etiam ſcientia infuſa de rebus omnibus creatis, quarum ſcientia decuit eum*. Eſt communis,

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam inquit: *Poteſt dici, quod illa anima novit omnia univerſalia, ſive quidditates habitualiter per ſpecies infuſas*, &c.

Prob. 2. ex Script. (2) *In eo ſunt theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*. Et de illo prædixit Iſaias: (3) *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus ſcientiæ*, &c. Et, *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*, ideſt ſcientiæ. Et ipſe fatetur ſe ſcientiam ſuam habere a Patre: (4) *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, Patris*. Et denique mirabantur Judæi, unde ſcientiam acceperat, quam in verbis oſtendebat; *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?*

Confir. ex PP. Nam inquit Ambroſ. *Omnis ratio ſupernæ ſcientiæ totius creaturæ ſupernæ, vel terrenæ in eo eſt, qui eſt caput eorum, & auctor*, &, ut dicebam ſupra ex Auguſt. [5] *Quidquid vera ratione melius occurrerit, ſcias hoc Deum magis feciſſe, quam non feciſſe*: ſed hæc ſcientia magis decebat Chriſtum; nec ullum eſt inconveniens, vel implicantia illam in ipſo admittere; ergo admittenda eſt.

Prob. 3. nam hæc ſcientia fuit in Angelis, & Adamo; ergo a fortiori in Chriſto. Nam inquit S. Bonav. *Intellectus animæ Chriſti non eſt minus perfectus, quam intellectus Angeli, vel primi hominis*.

Prob. 4. In voluntate Chriſti fuit plenitudo gratiæ, ut videbimus; ergo in intellectu ejus fuit plenitudo omnis ſcientiæ, ut diceretur *plenus veritatis* æque, ac *gratiæ*; ergo non debuit deeſſe ſcientia infuſa omnium rerum in proprio genere.

Objic. 1. In Chriſto fuit ſcientia beata, per quam omnia videbat in Verbo; ergo non debuit, nec potuit eſſe infuſa. Prob. conſ. primo, quia ſcientia infuſa eſt incompatibilis cum beata; illa enim eſt obſcura, imperfecta, & abſtractiva, & dicitur veſpertina, hæc ve-

ro

[1] *d. 14. q. 3. A. n. 4.* [2] *Coloſs. 2.* [3] *Iſa. 11.*
[4] *Jo. 7.* (5) *lib. 3. de lib. arb.*

ro clariſſima, & matutina; ſed claritas, & obſcuritas de eadem re non ſe compatiuntur in eodem intellectu; ergo infuſa non potuit eſſe cum beata.

Reſp. neg. conſ. & diſt. min. prob. de eadem re per eadem media, & lumina, conc. per diverſa, neg. min. & conſ. Nam claritas ſcientiæ beatæ venit ex lumine gloriæ, & perfectione eſſentiæ, & ſcientiæ Dei, in qua repræſentantur objecta omnia creata perfectius, quam in ſpeciebus infuſis, imo & quam in ſeipſis.

Inſt. Scientia, & opinio repugnat in eodem intellectu ſimul, & de eodem objecto; ergo & beata, quæ eſt clariſſima, & intuitiva cum infuſa, quæ eſt obſcura, & abſtractiva.

Reſp. neg. conſeq. & parit. Nam opinio parit conſenſum incertum, & ſcientia certum, utraque enim ſcientia illa, tam infuſa, quam beata parit aſſenſum certum. Præterquamquod forte etiam ſcientia, & opinio ex diverſis mediis non repugnant in eodem intellectu ſaltem quoad habitum.

Inſt. 2. Saltem infuſa ſuperfluit cum beata; ſed in Chriſto nihil eſt ſuperfluum; ergo, &c. Prob. maj. Cum habetur ſcientia perfectior, ſuperfluit imperfectior, & illa iſtam perficit, aut expellit, ſicut lux diſſipat tenebras, & ſtella diſparet coram ſole; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. perfectior, & imperfectior ſub eodem genere, & ejuſdem ordinis, conc. ſub diverſo genere, & ordine, neg. antec. Utraque ſcientia in ſuo genere, & ordine eſt perfecta, licet comparative beata ſit perfectior. Hæc pertinet ad ordinem, & ſtatum gloriæ, illa ad ſtatum, & ordinem gratiæ. Quod autem non ſit ſuperflua, patet, quia cum utraque ſit perfecta in ſuo genere, glorioſum eſt Chriſto noſſe omnia omnibus modis, & mediis, quibus ſciri poſſunt.

Inſt. 2. Idem actus non poteſt ſimul eſſe perfectus, & imperfectus, nec intuitivus, & abſtractivus; ſed ſcientia beata eſt intuitiva, & perfecta, & infuſa abſtractiva, & imperfecta; ergo nequeunt eſſe ſimul.

Reſpon. diſt. conſeq. eſſe ſimul quoad actum, & in eodem actu, conc. quoad habitum, & diverſos actus, & ſucceſſive, neg. conſ. Non enim dicimus, quod Chriſtus eodem actu habuerit viſionem, & intellectionem abſtractivam circa eadem objecta; ſufficit nobis, quod utram-

utramque ſcientiam habuerit quoad habitus, & potuerit ſucceſſive habere illarum actus.

Objic.2. In beatis non manebit fides, nec ſcientia abſtractiva ſimul cum intuitiva beata; ergo nec fuerunt ſimul in Chriſto. Prob. ant. *Cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.*

Reſp. neg. conſ. & parit. Apoſt. loquitur de obſcuritate fidei, quæ evacuabitur per lumen gloriæ, & per viſionem, non de aliis cognitionibus, & ſpeciebus infuſis, quæ forte manebunt in patria. Et præterea Chriſtus erat ſimul viator, & comprehenſor, & ſic ex eadem diſpenſatione, & miraculo, quo uniebantur in illo hi duo ſtatus, potuerunt uniri & iſti habitus.

Objic.3. Omnia creata, ſaltem poſſibilia, ſunt infinita; ergo Chriſtus non potuit ea ſcire per ſcientiam infuſam, alioqui hæc fuiſſet infinita.

Reſp.diſt.conſeq. omnia ſcire ſimul, & actu, & in ſingulari, conc. ſucceſſive, & habitualiter, & in genere, neg.conſ. & prob. Nam inquit Scotus, [1] *Poteſt dici, quod illa anima novit omnia univerſalia, ſive quidditates habitualiter per ſpecies infuſas*,&c. Ad hoc non requiritur infinitas nec in intellectu, nec in habitu, ſicut materia non eſt infinita, licet ſit capax infinitarum formarum.

Quæres, *An illa ſcientia fuerit infuſa per ſe, an per accidens.*

Reſp.Quoad objecta ſupernaturalia, v.g. in ordine, & myſteriis gratiæ, & gloriæ, quæ viribus naturæ humani intellectus attingi non poſſunt, fuit infuſa per ſe; quoad alia vero, quæ viribus, & lumine naturæ attingi poſſunt, dicenda eſt infuſa per accidens. Nam intellectus humanus Chriſti eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtro; ergo eodem modo eſt diſcurrendum de illo, ac de noſtro: ſed ſcientia dicitur per ſe infuſa reſpectu objectorum, quæ viribus naturæ non poteſt intellectus noſter attingere, ut ſunt myſteria gratiæ, & gloriæ, & per accidens infuſa dicitur reſpectu objectorum, quæ poſſet naturaliter attingere; ergo ita eſt de Chriſto.

[1] *d.14.q.3.A.n.4.*

CONCLUSIO II.

PRæter ſcientiam beatam, & infuſam habuit etiam acquiſitam, & experimentalem.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quantum ad cognitionem acquiſitam potuit proficere, quia habuit intellectum agentem, & poſſibilem, ſicut & nos, quorum operatio propria eſt abſtrahere hujuſmodi ſpecies intelligibiles, & illas recipere; ergo in hoc poterant in Chriſto proficere.*

Prob. 2. ex Script. [2] *Jeſus proficiebat ætate, & ſapientia,* &c. *Et hoc,* inquit Doctor, *non eſt exponendum, quaſi tantum profecerit ſecundum apparentiam, quia ſecundum Auguſt. lib. 83. qq. q. 9. contra Apollinariſtas, Euangeliſtæ narrant hiſtorias; & ideo verba eorum vera ſunt, ut exprimuntur; non ſic de aliis ſermonibus tropicis Sacræ Scripturæ.* Item ex Apoſt. [3] *Cum eſſet filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam,* ideſt, inquit Gloſſa, *ſecundum quod homo expertus.* Idem dicit Lyranus: *Didicit ex tempore in natura humana, & hoc fuit tantum experimentali notitia.*

Confirm. ex PP. Nam inquit Ambroſ. [4] explicans cit. locum Lucæ: *Proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientia hominis; ſapientia autem ſenſu profecit, quia a ſenſu ſapientia,* ſc. ab experientia. Et Auguſt. [5] *In hac forma* (humana) *ſecundum Euangelium ſapientia, & ſtudio profecit,* &c.

Prob. 3. ratione cum D. Bonavent. Anima Chriſti debuit eſſe perfecta non ſolum ſecundum ſuperiorem portionem, ſed etiam ſecundum inferiorem, & partem ſenſibilem, & ſecundum ſtatum viæ æque, ac patriæ: & ſtatus viæ duplex eſt, ſcilicet innocentiæ, & naturæ lapſæ; ideo Chriſtus habuit triplicem cognitionem, ſc. gloriæ, naturæ integræ, & pœnalis experientiæ, ut de quolibet ſtatu aliquid haberet; ergo ſcientia acquiſita pertinet ad ſtatum naturæ paſſibilis, & mortalis experientiæ.

Rurſus inquit idem D. Bonavent. anima Chriſti fuit perfecta quantum ad cognitionem objectorum, & quantum ad modum cognoſcendi. Iſti autem modi

[1] *ibid.* [2] *Luc. 2.* [3] *Heb. 5.*
[4] *lib. de incarn.* [5] *ſerm. 5. diverſ.*

di ſunt tres ſecundum triplex eſſe, quod habent. 1. *habent eſſe in Verbo*, 2. *in intellectu creato*, & 3. *in proprio genere*; ergo ut anima Chriſti haberet plenam cognitionem de rebus, eas cognovit ex triplici cognitione, ſc. in Verbo, per ſpecies infuſas, & in ſeipſis, ſc. per ſcientiam experientiæ.

Prob. denique. Nam certum eſt, Chriſtum non tantum in Verbo, nec tantum per ſpecies infuſas, ſed etiam de facto, & ſenſibiliter cognoviſſe, & expertum eſſe vitæ hujus miſerias, labores, & dolores. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & labores noſtros ipſe portavit.*

Objic. 1. ex PP. cit. ſupra, qui expellunt a Chriſto omnem ignorantiam; & ideo locum illum Euangelii de profectu in ſapientia explicant de profectu quoad apparentiam coram hominibus; ergo, &c. Prob. ant. Chriſtus *proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia, non quod iſta incrementum caperent ....ſed quod paulatim aperirentur, ac ſe proderent*, ait Gregor. [1] ergo nullam ſcientiam acquiſivit.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam PP. iſti negant profectum quoad divinitatem, non quoad humanitatem: nam inquit Rupertus, [2] *Ille, in quem hæc dicuntur, cum non tantum homo, ſed & Deus ſit, licet ſecundum humanitatem ſapientia, ætate, & gratia profecerit; attamen ſecundum id, quod eſt, & erat Deus, nullum profectum habuit.*

Objic. 2. ex V. Synodo [2] damnatur Theodorus Mopſueſtenus, qui docebat, *Chriſtum a paſſionibus animæ, ... & a deterioribus paulatim recedentem, & ſic ex profectu operum melioratum*; ...... ſed ſi acquiſiiſſet ſcientiam aliquam, ab ignorantia receſſiſſet, & fuiſſet ex ſcientia acquiſita melioratus, ut docemus; ergo incurrimus idem anathema.

Reſp. diſt. min. fuiſſet melioratus quoad aliqua naturalia, conc. quoad ſupernaturalia dona, neg. min. & conſ. Nam Concil. agit contra Theodorum, & Neſtorianos, qui docentes duas in Chriſto perſonas, volebant eum eſſe purum hominem, & iiſdem defectibus obnoxium, quibus puri homines, quod merito damnabat, & nos damnamus; ſed negari non poſſunt in illo aliqua humanitatis incrementa quoad naturalia; ſic ex infantili corpore, & ſtatu corporeo crevit ad virilem ſtatu-

[1] *orat. 25.* [2) *1. Gen. c. 21.* (3) *act. 8.*

ſtaturam, & operationes. Imo & nova ſemper accumulavit merita pro nobis.

Inſt. ex Bernar. non minus habuit ſapientiæ, vel non minor fuit ſapientia Jeſu conceptus, tam natus, parvus, quam magnus; ergo nihil de novo ſcivit, vel ſcire potuit.

Reſp. diſt. ant. ſeu mentem Bern. non minor ſapientia quoad ſapientiam divinam, beatam, & infuſam ex parte Dei, conc. quoad experimentalem, & humanam, neg. ant. De hac enim ſapientia non loquitur, nec alii PP. qui non negant, quin ex tactu, viſu, & aliis ſenſibus multa noverit intuitive, & experientia, quæ ante non noverat niſi abſtractive ex ſcientia infuſa, vel intuitive ex beata.

Objic. 3. Fruſtra multiplicantur tot ſcientiæ in Chriſto, cum unica ſuffi ceret; imo ipſa repugnabat cum beata, quæ erat perfectiſſima; ergo &c. Prob. antec. In beatis aliæ ſcientiæ ceſſabunt, *ſcientia deſtruetur*; ergo &c.

Reſp. neg. antec. quoad utramque partem: nam quoad 1. diximus, quod ad majorem perfectionem animæ Chriſti faciebat, ut omnibus modis agnoſceret cognoſcenda. Quoad 2. vero Apoſtolus loquitur de ceſſatione ſcientiæ quoad actus, non quoad habitus, & maxime quoad actus ſcientiæ experimentalis; quia in beatis anima eſt ſeparata a corpore, & ſic nihil per ſenſationem experitur, nec agnoſcit.

QUÆSTIO VI.

Quænam videret, aut agnoſceret per illas ſcientias. An per beatam videat omnia, quæ Verbum videt.

SUppono ex dictis, in Deo dari duplicem ſcientiam, ſcilicet *viſionis*, qua reſpicit futura ſecundum exiſtentiam, quam habitura ſunt ex vi decretorum ejus: & *ſimplicis intelligentiæ*, qua reſpicit res pure poſſibiles, nihil decernens circa illas; & ideo quæri ſolet, an Chriſtus videret in Verbo omnia, quę videt Verbum per utramque illam ſcientiam. Et idem eſt de ſcientia infuſa; an Deus dederit animæ Chriſti ſpecies omnium omnino creaturarum, tam futurarum, præ-

præteritarum, & præſentium, quam poſſibilium.
Porro quæſtio eſſe poteſt de cognitione actuali, an videlicet actu uno, vel pluribus anima Chriſti videat in Deo omnia, quæ actu ipſe videt, an autem ſaltem habitualiter, non quod detur unus, vel plures habitus illa omnia intellectui creato ejus repræſentantes, ſed ita ut nulla ſit res futura, vel poſſibilis, quam Deus non ſit paratus illi oſtendere, ſi velit eam videre: hoc ſenſu viſio habitualis hic uſurpatur a Scoto. [1]

CONCLUSIO I.

PRobabilius eſt, intellectum animæ Chriſti non videre actu omnia, quæ Verbum videt, & maxime omnia objecta ſimplicis intelligentiæ, bene vero habitualiter in ſenſu prædicto. Eſt communis inter Scotiſtas, qui recte notant Scotum in hanc magis inclinare, quia ejus fundamenta proponit, nec illa reſolvit, nec impugnat, ut fundamenta aliarum opinionum, quamvis eas non improbet, ſed potius permittit, dicens, *ſed ſi iſta via non placet* &c.

Prob. 1. ex Scoto quoad utramque partem. [2] *Poteſt dici, quod videt omnia habitualiter, non tamen actualiter, exponendo per diſtinctionem hoc modo, quod per aliquem actum Chriſtus videt Verbum, & per illum actum omnia, quæ relucent in Verbo, ſunt ſibi præſentia in actu 1. & per hoc habitualiter ſibi nota. Quia generaliter loquendo illud dicitur habitualiter notum, cujus actus primus eſt ſufficienter oſtenſivus. Non eſt ergo aliquis unus habitus in anima illa, qui unica ſua ratione oſtendat infinita, ſed actus, quo primo videtur Verbum, eſt actus primus præſens, quo ſibi relucent omnia, quæ lucent in Verbo, & hoc, quia Verbum eſt ſibi manifeſtativum, ut ſpeculum voluntarium repræſentans omnia.* Longiuſcule præter morem, ſed nihil ſuperflue, quia hæc dant lucem huic quæſtioni.

Prob. 2. Quia ſi anima Chriſti illa omnia videret actu, id præſtaret unico actu attingente omnia, vel pluribus, ſcilicet ſingulis actibus attingeret ſingula in particulari; ſed neutrum dici poteſt; ergo non videt actu omnia. Prob. min. 1. non per unicum: nam vel ille

[1] *Ibid. N. n. 13. & 20.* [2] *Ibid. O. n. 20.*

ille actus in ſe ex natura ſua repræſentaret omnia formaliter, vel id præſtaret per novos reſpectus ſibi ſuperadditos, & ad ſingula terminatos; ſed neutrum dici poteſt; ergo illa non videbat actu unico: prob. hæc 2. min. quoad 1. quia ſic viſio illa eſſet infinitæ perfectionis, quandoquidem repræſentaret ex natura ſua intrinſeca, & formaliter infinita, imo & ipſe intellectus eſſet infinitæ virtutis, quandoquidem eliceret actum viſionis infinitæ, non tantum extenſive, ſed etiam intenſive: nam viſio centum hominum eſt intenſive æque, ac extenſive perfectior viſione duorum, aut decem, ita eſt de ipſa facultate viſiva. Prob. hæc min. quoad 2. nam illi reſpectus ſuperadditi eſſent actu, & categorematice infiniti; ſed repugnat tale infinitum, ut ſuppono ex Philoſophia; ergo &c. Item illa viſio eſſet in ſe pura relatio, & non qualitas abſoluta, ut aliæ viſiones, quod etiam falſum eſt ex eadem Philoſophia; ergo.

Confir. hæc ejuſdem 1. partis minoris probatio: nam ex dictis in tr. de Angelis, repugnat ſpecies impreſſa univerſalis, ſeu quæ ſit una realiter in ſua entitate, & repræſentet plura, ſeu omnia viſibilia; ergo & iſta viſio, ſeu ſpecies expreſſa.

Prob. eadem min. principalis quoad 2. p. ſc. quod ſingula poſſibilia in particulari non videat per ſingulos actus, ſeu viſiones: nam, ſi intellectus haberet ſimul infinitas viſiones, eſſet etiam infinitæ virtutis; ſed hoc repugnat virtuti creatæ; ergo &c. Prob. min. ex axiomate communi, quod *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; ergo ſicut major eſt virtus potentiæ, quæ ſufficit ad decem viſiones ſimul, quam quæ ad duas, quia deberet magis diſtrahi per decem, quam per duas, ita eſt infinita in intellectu, qui poteſt ſimul habere infinitas viſiones infinitorum objectorum, & quidem intuitivas.

Prob. 3. Quia objecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ ſunt infinita; ergo non ſunt attingibilia actu ab intellectu creato: nam ſi intellectus eſt in ſe limitatus, debet etiam limitari quoad actus ſuos, & objecta ſua, quæ attingit actu, & ſimul; ſed intellectus humanus Chriſti eſt creatus, & in ſe finitus; ergo &c.

Prob. 3. p. Nam Chriſtum habitualiter videre omnia,

mnia, quæ Verbum videt, nihil eſt aliud, quam illa omnia repræſentari in eſſentia, & ſcientia Verbi, & Verbum eſſe velut ſpeculum voluntarium, & paratum velle exhibere illi videnda, quæcumque vellet videre, & ex parte intellectus creati nullum eſſe objectum, quod non poſſet attingere: nam inde ſequitur, Chriſtum eſſe in actu primo proximo ad videnda omnia etiam poſſibilia ex parte tam potentiæ, quam objecti, ſeu medii; ſed intellectus animæ Chriſti ſic ſe habet; ergo hoc ſenſu videt omnia, quæ Verbum videt etiam poſſibilia. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, &c.

Objic. 5. ex PP. qui volunt animam Chriſti [1] *plenam habuiſſe ſuæ Deitatis notitiam*, inquit S. Fulgentius; ſed non poteſt habere plenam ſcientiam Deitatis, niſi videat totam ejus ſcientiam, tam de poſſibilibus, quam de futuris; ergo &c. Prob. min. ex eodem, dicit enim, quod anima Chriſti videbat, *non ſicut Deus*, ſcilicet per ſcientiam æque perfectam, & intenſam, ſed *quantum Deus*, id eſt æque extenſam, & quoad omnia, quæ videt. Idem docet Damaſcen. *Domini anima ob unionem cum ipſo Verbo, ac perſonalem identitatem, ut reliquorum miraculorum, ſic etiam futurarum rerum cognitionem adepta eſt.* Sic Magiſter: [2] *dicimus animam Chriſti per ſapientiam ſibi gratis datam in Verbo .... unde etiam perfecte intelligit omnia ſcire, quæ Deus ſcit, ſed non omnia poſſe*; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. non enim ſunt intelligendi PP. de illa totalitate, & æqualitate extenſiva in rigore, & maxime de cognitione actuali omnium, maxime poſſibilium, ſed ad ſummum de viſione habituali in ſenſu prædicto.

Objic. 2. Si cognitio plurium objectorum debilior eſſet de ſingulis, quam de uno, vel paucioribus, Chriſti viſio circa eſſentiam Dei, cum qua cognoſceret aliquas creaturas, inde fieret minor; ſed conſ. eſt falſum; ergo & falſum eſt ejus cognitionem diſtrahi per omnium poſſibilium viſionem in Verbo, & male inde impugnatur illa viſio.

Reſp. diſt. maj. fieret minor circa plura objecta non ſubordinata, conc. circa ſubordinata, neg. maj. & conſ. nam quæ Chriſtus videt in Verbo, ſunt reſpectu

[1] *q.3.ad ſer.* [2] *lib.3.ſt.c.21.3.d.4.*

videntis objecta ſecundaria, & ſubordinata; ideo non minuunt viſionem objecti primarii, bene vero ipſorum objectorum ſecundariorum, & hoc accidit omni intellectui, & facultati finitæ.

Inſt. Saltem per cognitiones ſcientiæ infuſæ, vel acquiſitæ minuerentur actus ſcientiæ beatæ; ſed hoc dici non poteſt, alioqui infuſa, & acquiſita de iiſdem, vel aliis objectis non ſolum eſſet ſuperflua, ſed etiam importuna, & nociva.

Reſp.diſt.maj. per ſe loquendo, & niſi Deus aliunde ſuppleret, ut redderet ſcientiam beatam perfectiſſimā in ſummo, con. ſi ſuppleret, nego maj. & conſ. nam re vera, & quantum eſt ex ſe, omnis facultas limitata diſtrahitur per multiplicitatem actuum circa diverſa objecta diſparata; ſed quoad Chriſtum, Deus aliunde ſupplet, & corroborat ex ſpeciali gratia ſcientiam beatam, ut per alias non diſtrahatur.

Objic. 3. Si quid impediret viſionem omnium rerum, etiam poſſibilium, eſſet propter infinitatem earum, quæ requireret in intellectu virtutem infinitam intenſive; ſed ſequela illa falſa eſt; ergo &c. Prob. min. nam infinitas objectorum arguit tantum infinitatem extenſivam, & extrinſecam, ſeu terminativam; ſed hæc non facit infinitatem intenſivam; ergo &c. Prob. min. nam infinitas eſſentiæ Dei, ad quam terminatur viſio, non reddit viſionem infinitam intenſive; ergo nec viſio infinitorum poſſibilium.

Reſp.neg.min.1.argum.maj.2.& conſ. 3. & diſparitas eſt, quia eſſentia videtur quidem infinita, ſed non infinite, nec comprehenſive, ita ut cognitio creata Chriſti complectatur totam infinitatem eſſentiæ, ſed videret actu, & diſtincte totam infinitatem poſſibilium, & ideo illa viſio coaleſceret ex infinitis cognitionibus actualibus, aut ſaltem æquivaleret infinitis; ergo eſſet infinita intenſive, & extenſive.

Inſt. ex Scoto non ſequitur infinitas intenſiva ex viſione terminata ad infinita objecta; ergo ſolutio non eſt de mente Scoti: [1] ant. patet ex ipſo textu, ubi ſolvit hanc, & alias rationes.

Reſp.neg. ant. nam reſpondet quidem, & refellere videtur hanc infinitatem, ſed non propterea his reſponſionibus adhæret, ſed permittit, dicamus Chriſtum

[1] *Ibid.M.& N.n.21.*

ſtum non videre actu omnia, ſed habitualiter, in ſenſu concluſionis noſtræ.

Objic.1. con.2. Si Chriſti anima non videret omnia in Verbo niſi habitualiter in ſenſu explicato, idem poſſet dici de aliis beatis, & ſic ejus ſcientia beata non eſſet perfectior aliis; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes; ergo &c. Prob. maj. nam Deus ex ſe tam eſt ſpeculum voluntarium, in quo relucent omnia entia etiam poſſibilia, & ea omnia poteſt eis oſtendere, & ipſi poſſunt eas viſiones recipere, vel attingere; nam eorum intellectus eſt ejuſdem perfectionis eſſentialis; ergo tam ſunt in actu primo ad videnda omnia in Verbo, quam intellectus Chriſti.

Reſp.neg.maj.& diſt. ant. prob. tam poſſet ea oſtendere de potentia abſoluta, con. de potentia ordinaria, neg. ant. & prob. ejus: nam Verbum, ſeu Deus non ſolum poteſt oſtendere omnia intellectui Chriſti, ſed etiam eſt proxime paratus, & volens, quantum eſt de ſe, omnia oſtendere: non ita eſt de Angelis, & beatis, quibus ſcientiam, & beatitudinem deſtinavit proportionatam meritis, & conditioni ſingulorum, & ſic non eſt ita diſpoſitus circa illos, ſicut erga Chriſtum, qui dicit, *omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*; ſc. quantum potui recipere ab ipſo.

Objic.2. Si ſic viſio fieret in Chriſto, viſio beata pateretur aliquam mutationem, & ſucceſſionem; ſed conſ. eſt falſum, quia repugnat æternitati, & ſtabilitati inalterabili beatitudinis, *Ubi cogitationes non erunt volubiles*, ex Auguſt. [1] ergo &c. Prob. maj. qui modo videret aliqua, & modo illa, prout illi oſtenderentur a Verbo, & nunc plura, modo pauciora, & ſic eſſet nunc beatior, modo minus; ſed hæc abſurda ſunt; ergo &c.

Reſp.diſt. maj. aliquam mutationem accidentalem, & circa objectum ſecundarium, con.maj. & neg. min. mutationem ſubſtantialem, & circa objectum primarium, neg. maj. & ſic ad 2. argum. certe illa varietas eſſet pure accidentalis, imo & quia placeret magis illi animæ, quia nova objecta illi oſtenderentur, prout vellet, nihil derogaretur ſummæ ejus beatitudini: Auguſt. autem loquitur de volubilitate cogitationum circa objectum primarium, ex quo venit

[1] 14.*de Trin.*

ſubſtantialis beatitudo. Unde, inquit, *beatus, qui te, & illa videt, ſed non beatior propter illa*; ergo beatitudo non cenſetur creſcere, nec minui propter objecta ſecundaria.

Objic. 3. Ex hac potentia proxima, ſeu ſcientia in actu primo videndi omnia ſequitur, quod illa ſit infinita intenſive æque, ac ſi videret actu; ſed conſ. eſt contra nos, quia prætextu infinitatis negamus viſionem actualem omnium poſſibilium in Verbo; ergo etiam repugnat eum videre habitualiter omnia: prob. maj. potentia videndi habitualiter infinita objecta, ſive per infinitos actus, ſive per unicum, non minus eſt infinitæ virtutis, quam quæ actu illa videt: nam illa habet eamdem virtutem in actu primo, quam iſta habet in actu ſecundo; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. potentia videndi infinita in actu primo, & collective, & ſimul, & quæ habet hanc vim in ſe, & de ſe, con. videndi diviſive, & ſingillatim, & per vim, quæ non eſt in ea, neg. ant. & conſ. nam intellectus Chriſti non eſt in actu primo, nec potentia illa proxima de ſe, nec ſimul poteſt elicere illas viſiones, illa viſ ſe tenet ex parte Verbi, in quo illa omnia repræſentantur, & relucent actu, & in quo intellectus Chriſti poteſt ea videre, prout illi oſtenduntur ab ipſo Verbo, & quidem non per elicitas a ſe viſiones ſimul, ſed ſucceſſive, prout libuerit videre modo iſta, modo illa.

CONCLUSIO II.

Probabile eſt, quod intellectus humanus Chriſti per ſcientiam infuſam novit omnia univerſalia, ſeu quidditates omnium rerum naturalium ſaltem habitualiter, item & ſupernaturalia, ſcilicet myſterium Trinitatis, Incarnationis, & virtutes ſupernaturales, & gratiam, & gloriam, ſeu viſionem beatam, & lumen gloriæ &c. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Poteſt dici, quod illa anima novit omnia univerſalia, ſive quidditates habitualiter per ſpecies infuſas* &c.

Prob. 2. quoad 1. p. Sic cognoſcere omnia, nihil eſt aliud, quam habere ſpecies infuſas omnium natura-
rum

[1] 3. *d.* 14. *q.* 3. *A. n.* 4.

rum ſic diſpoſitas, & concurſum Dei ſic paratum, ut eas, quoties voluerit, cognoſcere poſſit; ſed talis ſcientia non eſt neganda in Chriſto, quia id facit ad perfectionem animæ illius ſine inconvenienti; ergo &c.

Prob. quoad 2. p. Quia, ex dictis tract. 1. poſſibilis eſt ſpecies impreſſa eſſentiæ Dei, & aliarum ejus perfectionum, & myſteriorum, v. g. Unitatis, Trinitatis, & eſt ingens donum Dei; ergo potuit infundi animæ Chriſti in inſtanti ſuæ conceptionis; ergo probabilius eſt hoc donum illi conceſſum fuiſſe.

Confir. Nam ex dictis de Angelis hæc cognitio fuit conceſſa ipſis in ſtatu viæ; ergo non debuit negari Chriſto Dei filio naturali.

Prob. 3. p. Chriſtus habuit ſcientiam abſtractivam eorum omnium, de quibus habere potuit ſpecies; ſed potuit habere ſpecies gratiæ, & ſimilium donorum ſupernaturalium; ergo &c. min. patet; nulla enim eſt in his repugnantia: prob. maj. nam debuit habere ſpecies, & ſcientiam omnium eorum, quæ ſtatum ejus viæ decebant quoad intellectum; ſed harum rerum ſupernaturalium cognitio decebat ſtatum Chriſti ut viatoris; ergo &c. Prob. maj. non minus perfici debuit ut viator in his, quæ ad intellectum pertinent, quam in his, quæ ſpectant ad voluntatem; ſed in his, quæ ſpectant ad voluntatem, habuit habitus, & dona omnia tam naturalia, quam ſupernaturalia gratiæ; ergo & eorum ſcientiam, & ſpecies habere debuit in intellectu.

Objic. 1. con. 1. p. Species non datur de his, quæ non poſſunt ſciri, niſi intuitive; ſed eſſentia, & Trinitas Dei non poteſt ſciri, niſi intuitive, quia ſciri non poteſt, niſi ut exiſtens; ergo nec niſi intuitive, quia intuitio eſt de re exiſtenti, ut exiſtenti. Prob. ant. nam exiſtentia eſt de conceptu formali Dei.

Reſp. neg. ant. & conſ. & diſt. prob. de re exiſtenti, ita ut cognitio cauſetur per ipſam rem, ut præſentem, con. ſi non ita cauſetur, ſed per ſpeciem aliquam, neg. ant. nam poſſum ſcire, Deum exiſtere, quamvis id non ſciam per exiſtentiam, quæ erit quidem objectum, ſed non cauſa motiva cognitionis.

Reſp. 2. neg. ant. & prob. ejus. Nam exiſtentia eſt

quidem modus intrinſecus eſſentiæ Dei, ſed non ratio ejus formalis conſtitutiva; & ſic eſſentia præſcindit ab exiſtentia, & ſine illa poteſt concipi.

Objic. 2. Scientia de Deo infuſa eſſet ſuperflua in Chriſto, imo & impoſſibilis; ergo &c. Prob. ant. nam cognoſcit Deum intuitive per viſionem beatam; ſed viſio clara, & cognitio abſtractiva non ſe compatiuntur, ſicut nec claritas, & obſcuritas, nec lux cum tenebris.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. ex eodem medio, con. ex diverſis mediis, neg. ant. nam ſicut Chriſtus fuit ſimul viator, & comprehenſor, ita potuit, & debuit cognoſcere Deum, & myſteria ejus abſtractive, & per ſpecies infuſas, & intuitive per lumen gloriæ, nec ſuperfluum erat ei cognoſcere pluribus mediis, & modis.

Objic. 3. Illa cognitio myſteriorum per ſpeciem, ſeu per ſcientiam infuſam eſſet clara, vel obſcura; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non obſcura, quia non compateretur cum viſione beata, ſicut nec fides cum ſcientia, aut viſione: 2. non clara, quia abſtractiva; ergo &c.

Reſp. neg. min. & 2. p. prob. quia eſſet clara, & certa per ſpeciem impreſſam ſupernaturalem longe clariorem, quam fides, quæ eſt ex auditu.

CONCLUSIO III.

Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcebat etiam ſecreta cordium, & futura contingentia, ſaltem habitualiter.

Prob. 1. ex Scoto cit. nam ibi non ſolum dicit, animam Chriſti habuiſſe ſpecies infuſas univerſalium, ſed addit; [1] *Poteſt dici, quod hæc anima novit habitualiter, & abſtractive aliqua ſingularia per proprias ſpecies infuſas, & aliqua non novit; poteſt tamen noſcere habitualiter, ſi illa fiant in exiſtentia reali* &c. ergo Chriſtus potuit habere ſpecies tam ſecretorum cordis, quam aliarum rerum etiam futurarum, quarum futuritio potuit ei revelari.

Prob. 1. p. ex Script. qua conſtat, [2] quod *opus ei non*

[1] *Ibid. B. n. 15.*
[2] *Joan. 2.*

non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine. Item videns paralyticum videt ejus peccata; dicitque; [1] *Fili remittuntur tibi peccata tua.* Et cum Scribæ cogitarent in cordibus ſuis, *quid hic loquuntur blaſphemias?* id novit Chriſtus, & dixit eis, [2] *Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?* Et alias, *ut vidit cogitationes eorum:* ſic cum diſcipuli intra ſemetipſos cogitarent de majoritate, *Ipſe videns cogitationes cordis eorum.* Denique Petrus ab ipſo interrogatus de amore, teſtem appellavit eum de amore ſuo interno, quem ipſe videbat: [3] *Tu ſcis Domine, quia amo te.*

Prob. 3. Quia hæc cognitio maxime decebat Chriſtum; ergo in eo debuit eſſe.

Prob. 2. p. Cognitio futurorum data eſt Prophetis; ergo a fortiori Chriſto, & de facto multa futura prædixit, & maxime deſolationem Jeruſalem, negationem Petri, & proditionem Judæ.

Objic. con. 1. Secreta cordium non cadunt ſub ſenſum; ergo non debuerunt cognoſci ab anima Chriſti. Prob.conſ. quia non operabatur niſi dependenter a ſenſibus, quia ſimilis erat nobis; ergo.

Reſp. neg.utramque conſ.nam hæc cognoſcebat ex dono ſupernaturali, quod non eſt in nobis, niſi ex ſpeciali gratia, & illo dono utebatur, ut volebat.

Objic.2.Actus interni ſunt liberi,& Deo ſoli reſervatur eorum cognitio; ergo non ſubjacebant cognitioni humanæ Chriſti.

Reſp.1.ex dictis alias, cognitionem illam non excedere facultatem naturalem Angelorum, ſed a Deo illam eſſe reſervatam, & ſic poterat non eſſe reſervata animæ Chriſti, quæ ex diſpenſatione divina poterat operari independenter a ſenſibus, ſicut animæ ſeparatæ.

Reſp.2. neg.conſ. nam licet ſecreta cordium, ratione libertatis, eſſent reſervata, & non ſubjacerent cognitioni alienæ creatæ contra intentionem cogitantium, adhuc potuit excipi ab ea lege Chriſtus: ſed re vera cogitationes cordis ſunt quidem liberæ ad fieri, & non fieri, ſed factæ non ſunt amplius in poteſtate noſtra; & ideo libertas per ſe præciſe non poteſt impedire, ne videantur factæ.

[1] *Marc.2.* [2] *Luc.11.* [3] *Jo. ult.*

Objic. con. 2. p. Futura ſunt infinita; ergo Chriſtus non potuit cognoſcere omnia futura, alioqui illa ſcientia eſſet infinita.

Reſp. diſt. conſ. non potuit cognoſcere omnia ſimul, & actualiter, con. habitualiter in ſenſu explicato, nego conſ. nam ſufficit, quod habuerit ſpecies futurorum, quæ aliquando cogniturus erat, & voliturus cognoſcere.

Quæres, *An ſcientia rerum fuerit intuitiva, vel abſtractiva*.

Reſp. fuiſſe abſtractivam: nam ſcientia intuitiva non eſt niſi de rebus, quæ in ſeipſis ut præſentibus cognoſcuntur, vel in mediis, in quibus repræſentantur, & exiſtunt eminenter, & perfectiori modo, quam in ſeipſis, qualiter ſunt, & repræſentantur in Verbo, vel in eſſentia Dei, & ideo cognitio rerum in Verbo dici poteſt intuitiva, non autem cognitio earum per ſpecies infuſas; quia iſtæ non continent eminenter illa objecta.

Colliges igitur ex dictis, quod intellectus animæ Chriſti non cognovit actualiter, & ſimul omnia neque intuitive, neque etiam abſtractive, propter finitatem ſuæ activitatis, & infinitatem, imo & nimiam multitudinem rerum, ſed habitualiter, & ſucceſſive, ſeu alternative modo iſta, modo illa, prout decebat, aut placebat.

Collig. 2. quod ſcientia Chriſti tam intuitiva, quam abſtractiva fuit perfectiſſima, quia lumen ſupernaturale, beata viſio Dei, & Verbi, & ſpecies fuerunt perfectiſſimæ, & quidem tales, ut ad eam perfectionem non attigerit cognitio ulla Angelica, etiam dato, quod intellectus Angelicus ſit in ſua ſpecie perfectior intellectu humano Chriſti.

Dico ratione luminis: nam quoad intuitivam, quæ cauſatur ab objecto, & potentia ex parte potentiæ fuit perfectior in Angelis, & æqualis ex parte objecti, ſed perfectio luminis, & gratiæ in Chriſto ſupplevit defectum potentiæ naturalis, imo & ex parte eſſentiæ Dei, & Verbi; nam, cum illa ſit ſpeculum voluntarium, potuit ſe manifeſtare abundantius, & perfectius animæ Chriſti, quam ulli Angelo.

Non ita eſt de intuitione rerum in proprio genere; nam

nam ejus perfectio pendet totaliter ab objectis, quæ ſe exhibent, qualia ſunt in ſe, & naturaliter, & a potentia, quæ pariter agit, quantum eſt ex ſe, & naturaliter, & ideo cognitiones naturales Angeli ſunt perfectiores cognitionibus etiam naturalibus Chriſti.

Collig. 3. me non dicere, quod futura contingentia cognoſceret ſimpliciter per ſpecies, ut futura, quia ſpecies, ut docet Scotus, ſecundum ſe repræſentant objecta abſtractive: [1] *Species infuſa repræſentat objectum, ut abſtrahit ab exiſtentia, & actu, quia eodem modo repræſentat, ſive objectum exiſtat, ſive non exiſtat*, & ſive ſit futurum, aut præteritum. Ideo dixi, hæc ſciviſſe, ut futura per donum aliquod, & revelationem ſpecialem, quæ dici poteſt donum prophetiæ. De quo infra.

QUÆSTIO V.

In qua breviter expediuntur aliquot dubia circa illas ſcientias creatas animæ Chriſti.

PRæter illa, quæ hucuſque diximus de ſcientiis Chriſti, quæri ſolet 1. *An ſcientia infuſa fuerit habitus inhærens intellectui ejus diſtinctus a ſpeciebus*.

Reſp. affirmative. Quia per illam ſcientiam cognoſcebat objecta ſupernaturalia per actus ſupernaturales; ſed ad tales actus requiritur non ſolum ſpecies ex parte objecti, & quæ ſuppleat vices ejus, ſed etiam habitus ex parte potentiæ; ergo præter ſpecies infuſas debuerunt eſſe habitus etiam infuſi talium ſcientiarum in intellectu Chriſti, ſicut requiruntur habitus fidei, & ſpei in nobis ad actus illarum virtutum.

Quæritur 2. *An illa ſpecies, & habitus fuerint ſupernaturales per ſe, an per accidens tantum*.

Reſp. eam fuiſſe *per ſe infuſam* de objectis ſupernaturalibus in ſubſtantia, quorum cognitio viribus naturæ haberi non poteſt, & *infuſam per accidens* de aliis objectis, quorum cognitio abſolute haberi pote-

[1] *Ibid.*

rat viribus naturæ. Idem dicendum de ſpeciebus pariter infuſis. Item duplex in eo fuit habitus ſcientiæ infuſæ, ſcilicet ſupernaturalis in ſubſtantia, & ſupernaturalis quoad modum. Ita eſt de duplici genere ſpecierum: 1. habitus, & 1. ſpecies pro cognitione objectorum ſupernaturalium; & 2. pro objectis naturalibus.

Quæritur 3. *An potuerit uti ſcientia infuſa ſine converſione ad phantaſmata*, ſeu *ſine concurſu ſenſuum externorum*.

Reſp. utroque modo potuiſſe intelligere, ſed non indiguiſſe tali recurſu.

1. Ad cognoſcendas res ſpirituales, aut abſentes ſufficiebant ſpecies infuſa, & ſcientia infuſa, quia talia objecta non cadunt ſub ſenſus per proprias ſpecies, &, ſi ſunt abſentia, non concurrunt per ſe ipſa ad ſui cognitionem, etiam in nobis, qui magis dependemus a ſenſibus poſt peccatum originale.

2. Ad cognoſcendas res materiales præſentes, & intuitive, poterat uti ſenſibus ex libitu, ſed non ex neceſſitate.

Ratio 1. p. eſt, quia ſcientiam experimentalem accipiebat ab objectis materialibus: v. g. pœnas ſitis, famis, laſſitudinis, &c. cognoſcebat ex ſenſibus, & objectis cauſativis earum, & tunc anima ejus, & intellectus operabatur, ſicut noſter, ſcilicet per converſionem ad phantaſmata.

Confir. nam niſi habuiſſet uſum ſenſuum, non potuiſſet pati, nec *dolores noſtros portaſſet*; dolor enim eſt *paſſio animæ ex carne*.

Prob. 2. p. ſcilicet quod non neceſſario penderet a ſenſibus in ſuis cognitionibus: nam, ut diximus, alligatio, & dependentia animæ a ſenſibus in operando venit ex peccato, & Adam in ſtatu innocentiæ potuiſſet operari, ſicut Angeli, & anima ſeparata ſine recurſu ad phantaſmata, & independenter ab illis. Et idem erit de beatis poſt reſurrectionem.

Dices. Scientia, & ſpecies infuſæ ſunt Chriſto, prout ei conveniebant, ut viatori; ſed de conditione viatoris eſt nihil intelligere, niſi per converſionem ad phantaſmata; ergo ita dicendum de Chriſto: min. patet ex Philoſopho, *oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata*.

Reſp.

Reſp. diſt. min. de cognitione viatoris pure, & obnoxii peccato, con. viatoris ſimul, & comprehenſoris, & innocentis, & cum natura integra, neg. min. & ant. prob. nam Chriſtus habuit humanitatem innocentem, & integram, non autem corruptam in pœnam peccati, & erat comprehenſor ſimul, ac viator, & ideo potuit, cum voluit, intelligere independenter a ſenſibus.

Quær. 4. *An ſcientia Chriſti fuerit diſcurſiva. An vero omnia intelligeret per ſimplicem intuitum.*

Reſp. Chriſtum potuiſſe diſcurrere, & ex una cognitione inferre aliam.

Prob. Diſcurſus eſt oratio, qua una cognitio, vel propoſitio infertur ex alia; ſed hoc potuit facere Chriſtus; nam potuit cognoſcere effectum ex cognitione cauſæ; potuit cognoſcere, quod homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis; ergo potuit diſcurrere in ſua ſcientia.

Dices. Propria ratio diſcurſus conſiſtit in hoc, quod procedatur a noto ad ignotum, & iſtud inferatur ex illo; ita ut notitia concluſionis, quæ non habebatur, acquiratur ex præmiſſis; ſed hæc acquiſitio repugnabat Chriſto; quia per nos nihil erat ei ignotum.

Reſp. neg. maj. nam, inquit Scotus, diſcurſus non ſemper facit acquirere cognitionem de concluſione, ad quam diſcurritur; ſed ſufficit, ut aliter cognoſcatur, quam ante diſcurſum: v. g. facit, quod in actu 2. cognoſcatur, quod ante non cognoſcebatur, niſi habitualiter; vel cognoſcatur modo ſcientifico, quod ante ſciebatur ſimplici notitia, & intuitu, aut in genere.

Dices 2. Modus connaturalis ſcientiæ infuſæ eſt cognoſcere per ſimplicem intuitum; ergo Chriſtus non potuit uti diſcurſu in ſua ſcientia infuſa, ſed hic illi repugnabat.

Reſp. neg. conſ. nam aliud eſt, quod ſcientia infuſa connaturaliter ſic faciat cognoſcere, & id concedimus; aliud eſt, quod illi repugnet alio modo cognoſcere objecta; quia habitus ſupernaturales non tollunt a potentiis naturalem modum operandi, qualis eſt operatio diſcurſiva in intellectu humano.

Inſt. Habitus primorum principiorum non eſt diſcurſivus; ergo nec habitus infuſus ſcientiæ, quia hic eſt nobilior, & perfectior illo.

Reſp.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia habitus primorum principiorum ſicut eſt ordinis inferioris; ita eſt magis limitatus, quam habitus ſcientiæ infuſæ, qui per conſequens poteſt inſervire ad cognoſcendas res variis modis; v. g. per ſimplicem intuitum, aut diſcurſum. Dixi autem *potuiſſe*, ſc. illi fuit liberum uti ſcientia ſua in diſcurſibus, non autem hunc modum cognoſcendi, ſeu ſciendi modum fuiſſe illi neceſſarium de facto. Patet ex Euangelio, quod ſæpe uſus eſt diſcurſu, ut cum ex Parabola de amico petente ab amico tres panes, & de patre non dante filio ſcorpionem; nam ex his infert: *Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris* &c.

Quæres 5. *An ſcientia infuſa Chriſti fuerit perfectior ſcientia Angelorum.*

Reſp. ut jam ſupra, quod non tantum ſcientia beata Chriſti fuit longe perfectior ſcientia pariter beata Angelorum, ſed etiam infuſa ex parte habitus, & ſpecierum.

De ſcientia beata nemo dubitat; nam hæc proportionatur dignitati, & meritis, & gratiæ; ſed hæc fuerunt ſumma in Chriſto, & limitata in Angelis; ergo &c.

Prob. de infuſa 1. ex Scoto cit. nam non poteſt perfectiſſime noſcere ex ea parte, qua intellectus eſt cauſa partialis reſpectu intellectionis; quia intellectus Chriſti non eſt perfectiſſimus intellectus creatus, non eſt perfectior intellectu Angeli. Et quanto iſta cauſa partialis eſt imperfectior, tanto intellectio eſt imperfectior &c. Sed defectus ille ſuppletur per ſpecies, & habitus adeo perfectos, ut ſimul cum intellectu totalis cauſa intellectionis ſuperaret totalem cauſam intellectionis Angelicæ; ergo intellectiones Chriſti fuerunt perfectiores Angelicis: prob. min. nam habitus, & ſpecies infuſæ Chriſti fuerunt proportionatæ dignitati, & aliis ejus donis; ſed in his longiſſime ſuperabat Angelos, & omnes creaturas ſimul, *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*, inquit Apoſtolus; ergo & ſumme perfectiores ſpecies, & habitus infuſos habuit.

Prob. 2. Nam iſti habitus, & iſtæ ſpecies fuerunt clariores, certiores, & faciebant ad cognitiones ma-

magis comprehenſivas, quam in Angelis; ergo &c.

Dices. Species debent commenſurari naturæ,in qua ſunt; ſed natura humana Chriſti fuit inferior naturæ Angeli; ergo & ejus ſpecies, & habitus infuſi.

Reſp. neg.abſolute maj. nam potius illæ commenſurantur objectis, quæ repræſentant, & tamen non ita ſpecies commenſurantur objectis, quin dentur aliæ aliis clariores, & perfectiores: & hoc etiam patet de gratia, & aliis donis, tam intellectualibus, quam moralibus, quæ non commenſurantur objectis. Item ſi hoc eſſet, diceretur etiam lumen gloriæ, & viſionem beatam debuiſſe dari in Angelis perfectiora, & commenſurari naturis.

Dices. Scientia, & ſpecies in Angelo ſunt per ſe infuſæ; in Chriſto autem infuſæ tantum per accidens; ſed ſpecies, & ſcientia per ſe infuſæ ſunt perfectiores naturalibus, & infuſis per accidens; ergo in Angelis fuerunt perfectiores: min.prob. ex Scoto, qui docet, ſpecies in Chriſto fuiſſe infuſas per accidens, & quoad modum.

Reſp.neg.maj. & hoc eſſe de mente Scoti; nam docet quidem ſpecies de rebus naturalibus fuiſſe infuſas per accidens, ſed de rebus ſupernaturalibus fuerunt infuſæ per ſe.

Inſt. 1. ergo ſaltem ſpecies de rebus naturalibus fuerunt perfectiores in Angelis, quia fuerunt infuſæ per ſe.

Reſp. neg. ſubſumpt. abſolute: nam ſufficit, quod in Chriſto fuerint aliquo modo ſupernaturales, ut dicantur perfectiores.

Inſt. 2. Scientia Angeli eſt immaterialior; ergo & perfectior. Prob. ant. nam anima Chriſti eſt actus corporis, & intelligit cum aliqua dependentia ad corpus, quod non dicitur de Angelo: ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque: nam anima Chriſti eſt abſolute immaterialis, & ſpiritualis, &, quod ſit unibilis corpori, non venit ex materialitate, ſed quia eſt ſubſtantia incompleta, & mox dicebamus, quod poterat operari,ſi volebat,independenter a ſenſibus,& a materia; ſpecies vero infuſæ ſunt ejuſdem immaterialitatis cum Angelicis.

CON-

QUÆSTIO VI.

An in Chriſto fuerint alii habitus intellectuales, ut fides, lumen gloriæ &c.

PRæter ſcientiam infuſam, beatam, & acquiſitam, de quibus diximus, ſunt etiam alii habitus intellectuales, & ſupernaturales æque, ac naturales; ut lumen gloriæ, quo intellectus creatus elevatur ad intuitionem eſſentiæ Dei; fides, qua elevatur ad aſſentiendum veritatibus revelatis; ſapientia, qua perficitur ad cognoſcenda ſublimia, & altiſſima; habitus prudentiæ, quo dirigitur circa agibilia; & ſcientiæ, quo juvatur ad capienda inferiora: de his duobus ultimis nihil reſtat addendum ſupradictis, de illis vero, & aliis donis aliqua dicenda ſunt.

CONCLUSIO II.

IN *intellectu humano Chriſti fuit lumen gloriæ*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quod *Chriſtus in 1. inſtanti unionis ejus cum Deo fuit beatus, & quidem in plenitudine gloriæ, qua ipſe fuit conjunctus fini non minus, quam alius beatus*. Et alibi docet, [2] quod *intellectus creatus, ſeu anima humana non eſt ſufficienter activa ex puris naturalibus ad conſequendum actum viſionis*, &c. ſc. non poteſt haberi viſio beata ſine lumine gloriæ; ergo ex Scoto lumen iſtud fuit in Chriſto, quia habuit viſionem beatam.

Prob. 2. Tum quia ex Concilio Viennenſi (3) definitur lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad viſionem Dei: Tum quia iſtud lumen eſt maxima perfectio animæ Chriſti; ergo Chriſti anima non debuit illo lumine carere. 2. quia illud lumen conceditur Angelis; ergo multo magis Chriſto, *qui tanto melior Angelis eſt effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditavit*.

Objic. 1. Anima Chriſti habebat Deum ſufficienter præſentem per unionem hypoſtaticam; ergo non egebat lumine ad viſionem ejus, quia ex Scoto lumen

[1] 3.*d*.12.*A*.2.*&* B.4. [2] 4.*d*.49.*q*.11.*F*.*n*.9.
[3] *c*.*ad noſtrum de hæret*.

men per hoc tantum concurrit ad viſionem, quod facit objectum præſens.

Reſp. diſt. ant. præſentem in ratione termini ſuſtentantis, con. in ratione objecti viſibilis, neg. ant. & conſ. nam per lumen eſſentia Dei fit præſens intellectui, quem elevat ad ejus intuitionem, quam elicere non poſſet ſine ipſo, ut dictum eſt alias.

CONCLUSIO II.

IN *Chriſto potuit eſſe fides quoad habitum, non quoad actum.*

Prob. 1. p. quia in hoc nulla eſt repugnantia; nam multi tenent, quod ille habitus in animabus beatis remanebit ſaltem ad ornatum; ergo idem dici poſſet de anima Chriſti; nam ſi quid obſtaret, eſſet viſio beata, per quam omnia videbat in ſplendore luminis gloriæ; fides autem eſt eſſentialiter obſcura, ſc. *ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium.* Chriſto autem omnia evidenter, & intuitive patebant. Hinc

Prob. 2. p. Nam viſio intuitiva, & clara, & cognitio obſcura in eodem intellectu ſimul non ſe compatiuntur; ſicut nec fides, & ſcientia actualis, ut diximus in Philoſophia.

Confir. ex Conc. Conſtantienſi, [1] in quo Hieronymus de Praga retractat, quod dixerat beatos retinere actualem fidem; ergo id a fortiori eſſet erroneum de Chriſto, qui longe clarius, & longe plura videt in Deo, quam ulla creatura beata.

Objic. De Chriſto dicitur, [2] quod *fides erit cinctorium renum ejus*; ergo fides fuit in Chriſto.

Reſp. neg. conſ. nam ille locus intelligitur de fide hominum, qui crediturі erant in Chriſtum; quatenus illorum fides eſt velut cinctorium ejus ad gloriam ejus. *Cingulum Domini, quo cinctus eſt*: & Jeremias, fides credentium ſit, ait Hieronymus, fides, ideſt, *juſti, & fideles adhærebunt ſibi, ſicut cingulum lumbare adhæret homini*; ait Gloſſa ordin. vide Lyranum ibi.

CON-

[1] *ſeſſ.* 14. [2] *Iſa.* 11.

CONCLUSIO III.

Chriſtus habuit prudentiam infuſam, & quidem in ſummo perfectionis gradu.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui docet in Chriſto fuiſſe ſummam gratiam poſſibilem; ſed hæc non poteſt eſſe ſumma ſine illis virtutibus. Prob. ant. ex Script. (2) *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ*, &c. ut videbimus infra.

Prob. 2. de prudentia ex Script. [3] *ſtupebant omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis ejus.* Item ex Iſaia [4] prædicitur, quod *requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, & conſilii*, &c. Plenitudo autem veritatis ſe tenet ex parte intellectus ſub omnibus habitibus ſcientiæ ſpeculativæ, & practicæ in eſſe quieto, ait Vulpes. (5)

Prob. 3. Nam prudentia eſt habitus *cum recta ratione activus circa ea, quæ humana bona ſunt*, inquit Philoſophus; (6) ſed talis habitus fuit in Chriſto, qui nihil unquam egit, vel agere potuit niſi conformiter ad rectam, & veram rationem. Nam fuit ſumme [7] *ſanctus, innocens, impollutus*; &c. Et, [8] *qui peccatum non fecit*. Et de illo prædicebatur, [9] *non ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet*, &c.

Prob. denique. Nam ille habitus fuit, & eſt in Angelis, & ſanctis; ergo non debuit deeſſe Chriſto. Et quia dicitur de Deo, non poteſt dedecere Chriſtum ſecundum humanitatem. De Deo autem dicitur, quod [10] *ſtabilivit cœlos prudentia*. Et [11] quod *prudentia ſua extendit cœlos*.

Prob. 2. p. de ſummo gradu: nam debuit eſſe hæc virtus cum proportione ad gratiam, & ſanctitatem, cæteraque dona; ſed hæc fuerunt illi conceſſa in ſummo gradu perfectionis; ergo & iſtud.

Objic. Chriſtus in Verbo ſufficienter videbat omnia agenda; ergo ſuperfluebat alius habitus directivus ejus circa agenda, qualis eſt habitus prudentiæ.

Reſp.

[1] 3.*d*.13.*q*.2. [2] *Jo*.1. [3] *Luc*.2. [4] *Iſai*.11.
(5) *To*.11.*d*.29.*a*.1.*n*.2. [6] *6.Eth*.
(7) *Heb*.7. (8) 1.*Petr*. 2. (9) *Iſa*.11.
[10] *Prov*.3. [11] *Idem* 10.& 31.

Reſp. neg. conſ. nam ſi hæc valeret, neganda eſſent pariter in eo alia dona, & ſcientia infuſa. Dicendum ergo, quod ut comprehenſor, & ſecundum portionem animæ ſuperiorem regulabatur per viſionem beatam; ſed ut viator, & ſecundum portionem inferiorem dirigebatur prudentia infuſa.

DISPUTATIO VII.

De voluntate, & gratia Chriſti.

JAm diximus, quod in Chriſto fuerunt ſicut duæ naturæ integræ, ita & duæ voluntates, divina ſc. & humana. Item de illius impeccabilitate, & ſanctitate. Reſtant pauca de illius libertate, gratia habituali, & cæteris donis, ac virtutibus, quæ hic ſubjiciemus.

QUÆSTIO I.

An voluntas humana Chriſti fuerit libera, & quomodo.

SUppono ex dictis alias, quod libertas alia eſt a *ſervitute*, qua quis eſt Dominus ſui, nec alterius dominio ſubjacet; alia *a peccato*, qualis eſt innocentia, & immunitas a peccato; alia *a coactione*, quæ excludit violentiam, quæ venit ab extrinſeco; alia *a neceſſitate*, ſeu *contingentiæ*, quatenus homo ſic liber poteſt agere, vel non agere, & dicitur *contingentiæ*, qua quis poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt vel agere, vel non agere, vel agere contraria. Et iſta eſt, vel *contrarietatis*, qua ex duobus actibus poſitivis, & contrariis poteſt eligere, & facere alterutrum, & dicitur etiam *ſpecificationis*, quia eſt inter actus ſpecie diverſos, amare, vel odiſſe, vel *contradictionis*, quæ eſt inter actum, & negationem, ſeu omiſſionem ejus, & dicitur etiam *exercitii*, quia eſt inter agere, aut non agere, amare, aut non amare. Denique alia dicitur libertas *eſſentialis*, quæ conſiſtit in modo proprio agendi voluntatis, quæ ſponte, delectabiliter, complacenter, & per modum ponderis, & inclinationis exercet actus ſuos.

Quæ-

Quæſtio maxime procedit de *libertate* a *neceſſitate*, ſeu *contingentiæ*, tam *contrarietatis*, quam *contradictionis*; *An ſc. fuerit in Chriſto*.

Conſtat autem ex dictis, quod Chriſtus ut homo non fuit abſolute liber a ſervitute, & ſubjectione erga Deum; ſed illi fuit ſervus, ſervitute ſaltem naturali, & ſubjectus ſubjectione ſaltem filiali. 2. non fuit liber ad malum morale, quia non potuit peccare. 3. fuit liber a peccato, imo & impeccabilis. 4. fuit liber libertate eſſentiali, quæ inſeparabilis eſt ab omni voluntate etiam divina. Hæc libertas ſtat cum neceſſitate. Ideo diximus ſpirationem in Deo eſſe liberam, quantumcumque ſit neceſſaria. Reſtat difficultas de libertate contingentiæ, & de libertate a præcepto, quæ eſt appendix ad libertatem a ſubjectione, & de hac etiam diximus ſupra, nempe, Chriſtum ut hominem ſubjacuiſſe quibuſdam præceptis: majus dubium eſt de præcepto moriendi, de quo dicendum eſt.

Ratio difficultatis petitur ex eo, quod 1. Chriſtus fuit impeccabilis, ut vidimus. 2. quia ſupponitur ſubjacuiſſe præceptis aliquot, quæ ſine peccato violare non potuit: alioqui potuiſſet peccare: unde ſequitur, eum non fuiſſe liberum quoad opera ſic præcepta, & maxime per mortem Crucis, quam dicitur paſſus eſſe ex obedientia, dicitur, inquam, habuiſſe præceptum moriendi; unde ſicut non potuit peccare, ita nec potuit nolle mortem pati, nec per illam potuiſſe mereri, quandoquidem omne opus meritorium debet eſſe liberum operanti. Unde fit, ut hæc difficultas ſit maxima in Theologia; nempe, ut concilietur libertas Chriſti cum ejus impeccabilitate, & merito in operibus præceptis; nos quam viderimus ſecuriorem ſequemur emergendi viam.

CONCLUSIO I.

VOluntas humana Chriſti fuit libera libertate contingentiæ, ſeu indifferentiæ.* Eſt communis, & videtur de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod voluntas in Chriſto ita elicit, & dominatur actui ſuo; quia Deus non opera-*

(1) *d. 17. E. n. 5.*

vatur ad operationem illam, niſi voluntate libere agente, & determinante ſe ad operandum, & tum Deus operatur cum ea, & ibi tanta eſt libertas, quanta poteſt eſſe in creatura. Et alibi, [1] *habuit liberum arbitrium, & ita vertibile ad utrumlibet*.

Prob. 2. ex Script. [2] ex qua patet, Chriſtum fuiſſe liberum ad eligenda gaudia, vel pœnas, & ex ſuo beneplacito omnia feciſſe: nam *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*: Hoc eſt, inquit Chryſoſt. [3] *licebat ipſi nihil perpeti, ſi voluiſſet, & habebat poteſtatem, ſi voluiſſet, Crucem non adire*. Idem dicit Theodoretus; [4] quod valde notandum eſt propter præceptum moriendi. Idem docet Lyranus, & alii Interpretes. Item *Chriſtus non ſibi placuit*: Id eſt, inquit Gloſſa, *non quod placuit carni, fecit*. Et clarius idem Chryſoſt. *licebat ipſi non perpeti probra; licebat non ea pati, quæ paſſus eſt; ſi quod ſua intererat ſpectare vellet.... ſed quod nobis expediat conſiderans, quod ad ſe pertinebat, negexit*.

Confir. ex Propheta. [5] *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Et ipſe dixit, [6] *poteſtatem habeo ponendi animam meam*. Et alibi, *nemo tollit animam meam a me; ſed ego pono eam a meipſo: non enim*, inquit Hieron. *neceſſitate Crucem, ſed voluntate ſuſtinuit*. Et denique Paulus dicit, *dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me*, &c. Quibus clare probatur ejus libertas.

Prob. 3. ex PP. nam, inquit Amb. *poteſtatis ſuæ eſſe* ſignificat *ponere animam, & liberæ voluntatis*. Et Auguſt. docet, [7] eum *ſic affectiones voluntatis diſpenſatione, ut placuit, ſuſcepiſſe, quemadmodum paſſiones corporis eadem diſpenſationis voluntate ſine ulla neceſſitate ſuſceperat*. Et S. Leo: [8] *Quidquid Domino illuſionis, & contumeliæ, quidquid vexationis, & pœnæ intulit furor impiorum, non de neceſſitate toleratum, ſed de voluntate ſuſceptum eſt*. Et ſic de aliis.

Prob. 4. ratione. Nam de fide eſt, Chriſtum fuiſſe verum hominem per veram humanitatem ſimilem noſtræ ſecundum animam, & corpus, ſed de fide

[1] *d.12.B.n.9.* [2] *Heb.12.*
[3] *ho.28. ibi.* [4] *Ro. 15. ibid.*
[5] *Iſai.73.* [6] *Jo. 20.*
[7] *de fide c. 15.*
[8] 83. *99.80. ſer.1. de paſſ. c. 2.*

fide etiam eſt humanitatem noſtram habere in ſe liberam voluntatem, ſeu arbitrium; ergo & Chriſtum eam habuiſſe credendum eſt.

Objic. 1. Chriſtus ſic determinabatur ad bonum, ut non poſſet illud non amare; ergo non erat liber nequidem quoad exercitium: prob. ant. nam dirigebatur a Verbo, & Deus non concurrebat ad malum, vel ad omiſſionem boni debiti, & ideo non poterat peccare.

Reſp. 1. neg. utramque conſ. nam, dato quod non fuiſſet liber ad peccandum, adhuc fuiſſet liber ad bona, quæ operabatur, & maxime circa opera conſilii, vel ſupererogationis, quod ſufficit nobis pro nunc.

Reſp. 2. neg. utrumque ant. nam illa neceſſitas, quæ reſpiciebat malum, ſi qua erat, non veniſſet ab intrinſeco voluntatis, ſed ab extrinſeco, v.g. a defectu concurſus Dei.

Inſt. Vera libertas conſiſtit in indifferentia ad bonum, & malum; ſed voluntas Chriſti non erat ſic indifferens; ergo &c. maj. patet ex Script. *Beatus, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus* &c. prob. min. non potuit eſſe indifferens ad peccatum, quia impeccabilis; ergo nec ad malum.

Reſp. diſt. maj. indifferentia contrarietatis, aut contradictionis, & ab intrinſeco, con. contrarietatis tantum, & ab extrinſeco, neg. maj. & conſ. nam [1] *Deus habet liberum arbitrium, quamvis peccare non poſſit*, ait Auguſt. & *poſſe peccare non eſt libertas, nec pars libertatis*: pro nunc autem ſufficit nobis, quod voluntas Chriſti ab intrinſeco non eſſet determinata, ſed indifferens ad agere, vel non agere bonum in particulari.

Objic. 2. Libertas noſtra humana conſiſtit in indifferentia contrarietatis æque, ac contradictionis; ergo & libertas Chriſti.

Reſp. neg. conſ. vel diſt. ſic, libertas Chriſti ſpecificative, & ex natura voluntatis ſecundum ſe præciſe, con. formaliter ut Chriſti, neg. conſ. ſecundum ſe voluntas ejus erat ſimilis noſtræ, ſed formaliter ut in Chriſto erat unita Verbo cum ſumma gratia, & fruitione Verbi, cum qua non poterat exire in actum malum, ſed poterat facere, vel omittere bonum naturale, aut non præceptum, moveri, aut quieſcere.

CON-

[1] 21. civ. 30.

CONCLUSIO II.

CHriſtus ut homo fuit etiam liber quoad opera præcepta, ſi quæ habuit vera præcepta, & rigoroſa. Eſt etiam communis.

Dico [*ſi quæ habuit præcepta rigoroſa*] nam de hoc dicemus in ſequent.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia cum ex divina diſpenſatione eſſet ſimul viator, & comprehenſor, ita ex eadem diſpenſatione relicta eſt illi tota libertas neceſſaria ad merendum: *Licet*, inquit, *cum hoc diſpenſative ſtaret poteſtas merendi.... habuit liberum arbitrium, & ita vertibile ad utrumlibet*; ergo cenſet, quod nec per unionem hypoſtaticam, neque per viſionem beatam ſic fuit ligata voluntas tota, quin ex eadem diſpenſatione, qua fuit ſimul viator, & comprehenſor, remanſerit etiam liber ad merendum per opera tam præcepta, quam non præcepta.

Prob. 2. ex Script. & PP. citatis in præcedenti. Nam probant ejus libertatem abſolute, & in operibus ejus præceptis: nam ſi ullum opus fuit præceptum, maxime paſſio; ſed hæc dicitur ei libera, *poteſtatem habeo ponendi animam meam*; ergo &c.

Confir. Nam per ipſam mortem, ſicut & per alia omnia opera ſua meruit nobis gratias, & redemptionem; ſed illa opera non potuerunt eſſe meritoria ſine libertate; ergo &c. min. ſupponitur ex dictis de merito, & eſt de fide; maj. autem patebit ex dicendis.

Objic. 1. Non potuit peccare; ergo nec omittere opera præcepta, nec ad ea fuit liber: prob. conſ. quia non poterat omittere illa ſine peccato tranſgreſſionis, & inobedientiæ; ergo non erat liber ad omittendum opera præcepta, & multo minus ad faciendum opera contraria. Hic eſt nodus totius hujus graviſſimæ difficultatis: ego autem omiſſis variis modis aliorum ſalvandi in his hanc libertatem, quos videbis apud Maſtrium (2) noſtrum, & alios,

Reſp. diſt. conſ. non fuit liber extrinſece, con. intrinſece, neg. conſ. & ſimiliter diſt. ant. prob. nam ut dicebam ex Scoto, ſicut cum anima Chriſti diſpenſatum eſt, ut eſſet ſimul viator, & comprehenſor, & ſic tota

[1] *d.12.A.n.2.* [2] *3.d.3.q.9.a.n.351.*

tota voluntas non occupabatur per fruitionem beatam, quin poſſet ad alia applicari, quæ neceſſaria ſunt ſtatui viatoris, ut poſſet operari meritorie noſtram redemptionem, ita ex eadem diſpenſatione relinquebatur illi tota libertas requiſita, & ſufficiens ad meritum, per quæcumque bona opera, etiam præcepta, licet ab extrinſeco, ſc. ob affluentiam gratiarum, & alia media providentiæ ſpecialis, & maxime ob negationem concurſus ad malum retineretur in bono.

Reſp. 2. cum aliis neg. conſ. & ant. prob. quia, ut non improbabiliter dicunt aliqui, Chriſtus libere acceptavit præcepta illa, & ſe illis ſubmiſit, cum poſſet ab eis petere diſpenſationem, quæ non fuiſſet illi negata, & tum illa potuiſſet omittere ſine peccato.

Inſt. cont. iſtam reſponſ. non potuit petere diſpenſationem a præceptis legis naturæ, v. g. ab obligatione amoris Dei; ergo circa hæc non fuit liber.

Reſp. 1. poſſe negari ant. quia licet pro pura creatura hoc, & ſimilia præcepta ſint indiſpenſabilia; tamen id dici non debet de Chriſto, attenta ejus dignitate perſonali, quippe non erat purus homo.

Reſp. 2. diſt. conſ. circa hoc, & alia indiſpenſabilia, ſi quæ ſint, con. circa multa alia, v. g. circa præcepta 2. tabulæ, & præceptum patiendi, & moriendi, neg. conſ. nam iſta liberrime acceptavit, &, ſi voluiſſet, fuiſſet diſpenſatus. (1) *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam; Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei*, & ſic in illa prima acceptatione præceptorum ſequentia fuerunt expreſſa, & libera libertate ſaltem remota.

Reſp. 3. forte nullum fuiſſe rigoroſum præceptum obligans Chriſtum ſub peccato, & in hoc caſu non urgeret argumentum; ſed de hoc infra.

Inſt. 2. Chriſtus per actus præceptos meruit; ſed ad meritum non ſufficit libertas remota, ſed requiritur proxima, qua homo poſſit poſitis omnibus ad agendum requiſitis agere, vel non agere; ergo illa libertas remota non ſufficit ad ſalvandum in Chriſto meritum maxime cum impeccabilitate.

Reſp. diſt. min. ad meritum in puris viatoribus, & ſeclu-

(1) *Pſ.39.*

ſecluſo miraculo diſpenſationis prædictæ, conc. in homine, qui eſset ſimul viator, & comprehenſor, & quoad hoc miraculoſe diſpenſatus, ne fruitio totam occuparet voluntatem, neg. min. nam iſtud contingebat in Chriſto; & ſic cum fruitione remanebat ſufficiens libertas in anima Chriſti ad meritum.

Objic. 2. Ad veram libertatem non tantum debet agens habere omnia requiſita ad agere, vel non agere ex parte principii intrinſeci, ſeu voluntatis, ſed etiam ex parte principiorum extrinſecorum, ita ut nullũ ex ipſis auferat illam indifferentiam, & poſſibilitatem; ſed ex cõceſſis Chriſtus id non habebat ex parte principiorum extrinſecorum reſpectu operum præceptorum; ergo &c. Patet min. nam concurſus Dei non erat paratus ad operandum aliter, quam ut præcipiebatur, vel ad omittendum id, quod erat in præcepto; nec id etiam permittebat fruitio, vel viſio beata cum aliis gratiis habitualibus, & actualibus; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. ad veram libertatem in puro viatore, conc. in viatore, & comprehenſore ſimul, & ſuppoſito miraculo prædicto, neg. maj. & conſ. nam in tali caſu ſufficit illa libertas intrinſeca in potentia, & libertas remota quoad principia extrinſeca.

Objic. 3. Chriſtus vel potuit non implere opera præcepta, vel non potuit non implere cum illa libertate, ſeu implevit ex neceſſitate; ſed neutrum dici poteſt; ergo quoad opera præcepta liber non fuit. Prob. ant. 1. Si potuit non implere, potuit peccare ex inobedientia, & per puram omiſſionem liberam. 2. ſi non potuit non implere, ſeu ſi non potuit omittere; ergo neceſſario implevit, non autem libere, ſaltem libertate contingentiæ, de qua hic agitur.

Reſp. ad maj. & ad dilemma: quod potuit non implere, ſed omittere, potentia, & libertate remota in ſenſu allato, & non potuit omittere potentia proxima, & hoc ſenſu, neg. maj. & ſimiliter ad prob. min. Potuit peccare omittendo, ſcilicet peccabilitate remota, conc. proxima, neg. & hoc patet ex dictis ſupra de impeccabilitate.

Hæc magis patebunt ex dicendis de merito Chriſti, & actibus, quibus meruit.

QUÆSTIO II.

An, & quibus præceptis ſubjacuerit Chriſtus, & maxime an habuerit præceptum redimendi homines per mortem.

JAm diximus ſupra diſp.4.q.5. ſub finem, Chriſtum ſubjectum fuiſse aliquot præceptis non quidem legum civilium, nec Moſaicæ legis, ſed naturæ, & aliquot præceptis divinis in ratione creaturæ, & hominis. Jam id preſſius examinandum, ut magis conſtet de illius libertate; an ſcilicet data fuerint illi aliqua præcepta propria, & in rigore, ita ut hæc illum obligarent; an vero quaſi conſilia, vel mandata.

Porro quidam differentiam notabilem ponunt inter *præceptum*, & *mandatum*. *Præceptum* inducit obligationem obedientiæ erga ſuperiorem, ad quem ſpectat præcipere.

Mandatum vero in rigore ſcholaſtico ſumitur pro commiſſione data alicui de re, ſeu negotio aliquo tractando, vel agendo; & fieri poteſt etiam a perſona non ſuperiori, ſeu non habente jus ad præcipiendum, vel ad exigendam obedientiam.

Inde *mandatarius* dicitur ille, cui talis commiſſio datur. Sic Heliodorus dicitur veniſse Jeroſolymam [1] *cum mandatis, ut pecuniam tranſportaret*. Et, *pro his, quæ habebat in mandatis a Rege*, &c. Denique ex uſu communi *habere in mandatis*, idem eſt, ac *habere in commiſſione*.

Fatendum tamen, quod in uſu Scripturæ præceptum, & mandatum idem ſignificant.

Præceptum etiam ſæpe ſumitur pro documento, ſeu regula agendorum; & ſic dicimus præcepta artis, vel ſcientiæ pro regulis artis, & ſcientiæ; & ita forte intelligenda ſunt hæc dicta Sapientis: [2] *Conſerva fili præcepta patris tui*. Et Chriſtus [3] arguit *docentes doctrinas, & præcepta hominum*. Et Paulus, [4] *Quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu ſecundum præcepta, & doctrinas hominum*; loquimur autem de præceptis in

rigo-

[1] 2.*Machab.* 3.4.
[2] *Prov.6.* [3] *Marc.7.*
[4] *Coloſſ.2.*

rigore, quatenus manant a ſuperiore cum obligatione aliqua gravi, aut levi ad obediendum.

CONCLUSIO I.

PRobabile eſt, *Chriſtum ut hominem ſubjectum fuiſſe præceptis aliquot legis naturæ, ſaltem quatenus non licebat ea tranſgredi*. Eſt communis, & patet ex dictis ſupra.

Prob. iterum 1. ex Script. Nam ipſemet agnovit hæc duo præcepta, cum interrogatus, [1] *Quod eſt magnum mandatum in lege?* reſpondit: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *Hoc eſt primum, & maximum mandatum; ſecundum autem ſimile eſt huic*, &c. Et cum alias dixiſset: [2] *Non veni ſolvere legem, ſed implere*, quod maxime intelligitur de lege naturæ, ſequitur, quod ſe agnovit his præceptis adſtrictum. Ideo dicebat: [3] *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem*, &c. Item, [4] *Sicut ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione*. *Vides*, inquit Auguſt. *præcedit dilectio obſervationem præceptorum*, &c.

Dixi, *ſaltem quatenus non licebat ea tranſgredi*, quia erat impeccabilis; ſed non potuiſset tranſgredi præcepta illa, maxime amoris Dei, ſine peccato; ergo quoad hoc tenebatur illa lege.

Objic. 1. Si obligabatur ad illa præcepta, non poterat mereri per illa; ſed conſ. eſt falſum; ergo, &c. Prob. maj. quia non fuiſset liber quoad illa, quia non poterat peccare: ergo &c.

Reſpond. neg. maj. & conſeq. prob. nam ex dictis ſupra, & ſæpe ſufficiebat ad meritum libertas intrinſeca, & remota.

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt, *Chriſtum habuiſſe verum præceptum redimendi hominem per mortem*.

Prob. 1. ex Scoto. [5] Nam inquit, *Chriſtus ut homo accepit mandatum ponendi animam*, ideſt *de complacendo, & patiendo animam poni* .... ego pono, *dicitur ratione Verbi, & cum dicitur*, animam meam, *non ui-*

P 2

[1] *Matth.* 12. [2] *Jo.* 14. [3] *Jo.* 15.
[4] *ibid.* [5] 3. *d.* 17. *I.* 15.

ut Verbum loquitur, ſed ut homo, & cum dicitur præceptum, ſeu mandatum, non eſt, niſi ſecundum quod homo; nomen ergo mandati explicat de vero præcepto.

Prob.2. ex Script. Nam, quod habuerit aliqua vera præcepta, nemo melius ſcit, quam ipſe; ſed ipſe declarat ſe habuiſſe præcepta à Patre, & ſe illa ſervare; ergo, &c. Prob. min. (1) *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. Item, (2) *Præcepta Patris mei ſervavi*. Item, (3) *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei*, &c. Item Apoſt.(4) illi applicat illud Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus, volui*. Item docet (5) eum mortem ſubjiſſe, *Factus obediens uſque ad mortem*; & opponit hanc obedientiam inobedientiæ Adæ, & ſicut per iſtam (6) *peccatores conſtituti ſunt multi, ſic per obedientiam unius multi conſtituuntur juſti*; obedientia ſupponit præceptum.

Prob.3. ex PP. Auguſt. (7) ait, quod *voluntati, & præcepto Patris obediens eſt filius, nec in hominibus diverſam demonſtrat imparemque naturam Patris præcipientis, obedientiſque filii*. Huc accedit, quod *Chriſtus non tantum Deus eſt, qua natura æqualis eſt Patri, ſed etiam homo, qua natura major eſt Patre, cujus non ſolum Pater, ſed etiam Dominus eſt*.

Confirm. ex S. Bonav. (8) qui ait: *Fuit expediens, ut ſicut ex ſuperbia, & inobedientia Adæ perditi ſumus, ſic ex obedientia Redemptoris ſalvaremur*.

Objic. 1. Chriſtus libere poſuit animam ſuam; ergo non ex obligatione obedientiæ, ſeu præcepti: nam ubi eſt præceptum, ibi non eſt libertas, ſed neceſſitas obedientiæ. Prob.ant.ex Script.& PP. (9) *Poteſtatem habeo ponendi animam. Sed*, inquit Chryſoſt. (10) *qui a ſeipſo ponit, præcepto non indiget*; & cum ſibi objicit præceptum Patris, reſpondet: *O inſenſati, & amentes: nos & amicis obedimus, & nihil hoc nos dejicit!*

Confir.ex Apoſt. (11) *Propoſitio ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*: Hoc eſt, ait idem Chryſoſtomus: (12) *Licebat ipſi nihil perpeti, ſi voluiſſet, & po-*

[1] *Jo.* 14. [2] *Jo.* 15. [3] *ibid.* [4] *Hebr.* 10.
[5] *Phil.* 2. [6] *Rom.* 5. [7] *tr.* 79. *in Jo.*
[8] 3. *d.* 17. *q.* 3. [9] *Jo.* 14. [10] *hom.* 59. *in Jo.*
[11] *Heb.* 12. [12] *l.* 4. *cur Deus homo c.* 10.

poteſtatem habebat, ſi voluiſſet, crucem non adire. Et Anſelmus dicit, Patrem voluiſse mortem Chriſti pro redemptione noſtra, quatenus approbat, quod Chriſtus id velit: item quatenus Deus Pater mortem non prohibuit, cum poſset, illum quoque, qui prohibere poteſt, & non vult, dicemus velle, quod non prohibet. Quoniam ergo Patri voluntas filii placuit, nec prohibuit eum velle, aut implere, quod volebat; recte voluiſse, ut filius mortem ſuſtineret, quamvis pœnam ejus non amaret; affirmat & Auguſt. quod *omnia, quæ paſſus eſt, pro voluntate ſua paſſus eſt*, ſicut ipſe ait: *Poteſtatem habeo ponendi animam*, &c. & ſic de aliis; ergo Script.& PP. nullum agnoſcunt præceptum in Chriſto mortis ferendæ.

Reſp.diſt.ant. libere, & propria voluntate, ſeu libere acceptando præceptum, & exequendo, ſeu obediendo, conc.ægre, & quaſi contra inclinationem, & quaſi ex neceſſitate ſubjectionis acceptando, & obediendo, neg. ant. & conſ. nam in primo illo ſenſu loquitur Scriptura, maxime cum illum dicentem ad Patrem inducit: [1] *In capite libri ſcriptum eſt, ut faciam voluntatem tuam*, &c. Cum autem PP. & Chryſoſt. videntur negare præceptum, & obedientiam quaſi ex ſervitute, loquuntur ſobrie propter Arrianos, & Neſtorianos, ne videantur admittere inferioritatem, & diſtinctionem in perſona æque, ac in humanitate. Alii vero hanc acceptationem, & patientiam mortis tribuunt non totaliter, ſed principaliter ſummæ charitati erga nos; ut cum dicit Rupertus: [2] *Quid eſt hoc mandatum, niſi charitas?* Et Theodoretus in ea verba, *factus obediens*: *Non tanquam ſervus implevit juſſum Domini, ſed ſalutem pro nobis ſponte ſuſcepit, & obediit, ut filius, non ut ſervus*; ſc.obedientia filiali, non ſervili. Et Theophylactus ibi agnoſcit verum præceptum, ſed paternum: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*; id eſt, inquit, *quod placitum eſt illi, & decretum ab eo, ſuſcipio, & perficio ... mandatum dedit mihi Pater, hoc eſt, voluit, dixit, approbavit, decrevit*.

Ad Anſelm. forte non agnovit ibi rigoroſum præceptum, ne ſervilem obedientiam dixiſse videretur. Eodem ſenſu loquebatur Chryſoſtomus. Plures alii pu-

[1] *Pſal.139.* [2] *in Jo.*

putant non improbabiliter, nullum habuiſse rigoroſum præceptum a Patre, & maxime, quod obligaret ſub peccato.

Objic. 2. Obligatio præcepti aufert meritum, quia aufert libertatem; quia non poterat non velle mori, ſicut præcipiebatur, alioqui potuiſset peccare: ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo &c.

Reſp. neg. maj. quoad omnes partes: nam ex ſæpe dictis, impeccabilitas, in quam reſolvirur tota vis argumenti, non auferebat libertatem obedientiæ, & maxime in morte crucis, ubi ſumme hanc virtutem exhibuit. *Factus obediens uſque ad mortem*.

Dixi autem *probabilius*, quia opinio aſſerens intervenifſe verum præceptum, magis videtur fundari in textu litterali tot locorum Script. cui potius ſtandum, quando id fieri poteſt ſine inconvenienti: & quamvis, ſtante præcepto, non poſſet clare conciliari hæc opinio cum libertate requiſita ad meritum, & cum impeccabilitate, adhuc non recedendum eſſet ab illo ſenſu: nam, ut monet Doctor cum Ariſtotele, *imbecillitas ingenii eſt propter apparentem rationem*, qualis eſt difficultas illius conciliationis, *ſenſatam relinquere probationem*, qualis eſt ea, quam habemus ex Scriptura pro noſtra concluſione.

QUÆSTIO III.

An voluntas humana Chriſti fuerit ſemper conformis divinæ.

CONſtat in Chriſto fuiſſe duas voluntates, & ſingulas proprios habuiſſe actus, & operationes, & propriam libertatem. Quæritur jam utrum humana in ſuis volitionibus, ſeu motibus fuerit ſemper conformis divinæ.

CONCLUSIO.

OMnis voluntas humana, & efficax Chriſti fuit ſemper conformis divinæ. Videtur de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quidquid voluit tota Trinitas, voluit Chriſtus, quantum ad portionem ſuperiorem vo-* *lun-*

[1] *Report.d.17.q.2.n.6.*

luntatis humanæ. Imo ſecundum portionem inferiorem adhuc nihil ſimpliciter noluit, quod evenerit, quia portio rationis ſuperioris arguebat, quod quidlibet, quod ſibi contingebat, eſſet ſimpliciter volendum; ergo voluntas Chriſti humana libera, & deliberata fuit ſemper conformis divinæ.

Prob.2. ex Script. & PP. Nam Chriſtus de Patre loquens dicit: [1] *Quæ placita ſunt ei, facio*, non aliquando, ſed *ſemper*. Item ex dictis ipſam mortem paſſus eſt ex obedientia, etiam repugnante appetitu ſenſibili. 3. nequidem loquebatur, niſi ex Dei mandato: [2] *Ego ex me ipſo non ſum loquutus*. Et, *Non quæro voluntatem meam*. Item, *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me*. Item, *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei*, &c. ideſt, inquit Auguſt. [3] *non meam, non propriam, non filii hominis, non meam, quæ reſiſtat Patri*, &c. Quod eleganter commentatur Lyr. *Chriſtus, in quantum homo, minor eſt Patre, & ſic accepit ab eo mandatum, in cuius executione non poteſt deficere a regula voluntatis divinæ*. Attende rationem: *Quia humanitas Chriſti, tamquam inſtrumentum Divinitatis conjunctum, in nullo movetur, niſi ſecundum ipſius motum*. De hac ratione dicemus infra.

Prob.3. ex Conc. Conſtant. VI[4] ubi Agatho: *Duas naturas, duaſque naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, non contrarias eas, nec converſas ad alterutram dicimus*. Et in epiſtol. Sophronii: [5] *Neque enim ab altera ejus diſſidens, quod proprium habuit, operabatur*. Et in definitione fidei: [6] *Prædicamus & duas naturales voluntates, non contrarias (abſit) juxta quod impii aſſerunt hæretici, ſed ſequentem ejus humanam voluntatem, & non reſiſtentem, vel reluctantem, ſed potius ſubjectam divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati*; ergo de fide eſt, voluntatem humanam Chriſti fuiſſe ſemper conformem divinæ.

Prob.4. Si humana voluntas Chriſti voluiſſet aliquid contra Dei voluntatem, hoc fuiſſet volendo impoſſibile, vel illicitum; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min.1. Si voluiſſet aliquid efficaciter, quod

[1] *Jo.*8. [2] *Jo.*12. 6.4. [3] *in c.*10.*Jo.*
[4] *act.*4. [5] *act.*11. [6] *act.*17.

quod Deus abſolute non vult fieri, voluiſſet impoſſibile, & quidem ſcienter: nam ſciebat & ea, quæ abſolute Deus non vult fieri, & ea eſſe abſolute impoſſibilia creaturæ. Hoc autem dedecet ſummam Chriſti ſapientiam. 2. ſi voluiſſet, quod per Dei voluntatem prohibetur, & non licet, peccaſſet, quod horrendum eſt cogitare; ergo ſicut Chriſtus non potuit errare, nec peccare, ita nec potuit velle contraria divinæ voluntati.

Dixi autem, *efficaciter, & abſolute*; quia forte ſecundum inclinationem, & appetitum naturalem, & ſecundum partem inferiorem animæ, & conditionate potuit velle aliqua, v. g. *ut tranſiret calix*, ut mox dicam.

Objic. 1. Chriſtus in voluntate humana triſtatur de imminente morte, & quidem *uſque ad mortem*, & petit ab ea immunitatem, & tamen ſciebat eam eſſe volitam a Deo; ergo non ſemper fuit conformis divinæ. Prob. ant. nam ipſe fatetur: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Et orat, *Si poſſibile eſt, tranſeat calix iſte*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. triſtatur ex motivis, ex quibus prævidebat offendi Patrem, & illi diſplicere, conc. de prævisione mortis, quatenus placebat Patri, neg. ant. & conſ. triſtabatur pro Juda damnando, inquit Gl. *Triſtatur non timore patiendi, quia ad hoc venerat*, inquit Hieron. in Gloſsa, *ſed propter infelicem Judam, & ſcandalum Apoſtolorum, & ejectionem Judæorum, & everſionem Jeruſalem .... fragilitatem carnis exponit, ſcilicet ad oſtendendam veritatem carnis humanæ*: uno verbo, triſtitia hæc tota erat in parte ſenſibili, & inferiori animæ.

Quantum ad orationem potius docet contrarium, nempe voluntatem ſuam prorſus ſubjectam, & conformem eſse divinæ, in volendo mori propter illam non obſtante carnis ſuæ repugnantia. *Docet humanæ voluntati voluntatem Dei præponi*, inquit Gloſsa: *Docet eos privatam voluntatem corrigere, & dirigere juxta divinam*, ait Auguſt. Idem docet Chryſoſt. [1] *Sublimem admirabilis philoſophiæ veritatem tradidit, cum exemplo nos doceat etiam natura abhorrente, & renitente*. Denique ſic orat, ut homo, non ex voluntate abſo-

[1] *Hom. 83. in Matth.*

abſoluta, & efficaci vitandi mortem, quam præcipiebat Deus, ſed voluntate conditionata, & inefficaci: nam efficaciter, & abſolute vult divinam fieri, imo ardenter hoc deſiderat. Ideo dicit: *Baptiſmo habeo baptizari* (baptiſmo ſanguinis ſui) *quomodo coarctor, donec perficiatur*.

Denique Ambroſius quaſi ad litteram explicans illam triſtitiam in eumdem ſenſum, ſc. ut veniat ex impatientia potius, quam ex timore moriendi. *Uſque ad mortem*, ideſt, *non propter mortem, ſed uſque ad mortem triſtis eſt Dominus*. Ideo duriſſime increpavit Petrum, qui diſſuadebat deſcenſum in Jeruſalem, ubi crucifigendus erat. *Vade poſt me Sathana: ſcandalum tu mihi es ..... non ſapis, quæ Dei ſunt*. Iterum increpat eumdem ferientem ſatellites, dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?*

Objic. 2. Si Chriſti voluntas fuiſſet conformis paternæ, non de illo conquereretur moriens, *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* ergo, &c. Prob. ant. nam hæc verba potius ſapiunt deſperationem aliquam, ſaltem palato, & judicio impii Calvini.

Reſp. neg. ant. utrumque: nam per hanc querelam nihil aliud ſignificat, quam derelictionem protectionis paternæ, quatenus Pater eum permiſit, ſeu dereliquit crudelitati Judæorum, & hoc dicebat, ne inimici ejus ſuſpicarentur eum a Patre non ſolum ad tempus, ſed penitus, & pro ſemper derelictum; ideo brevi ſubjungit: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*.

Quæres *de voluntate conditionata, & inefficaci; an etiam ſemper fuerit conformis divinæ*.

Reſp. eam fuiſſe conformem, ſaltem in objecto formali, ſeu motivo: nam quoad materiale, & ſecundum inclinationem naturalem, ſine dubio non voluiſſet mortem; ſed quoad formale ſemper voluntas Chriſti voluit omnia fieri, prout Deus ea fieri volebat, ut patet in illa oratione: *Pater, ſi vis, tranſeat calix iſte*, &c. Sic enim oſtendit in appetitu horrorem naturalem mortis, quæ erat objectum materiale orationis, & volitionem ejuſdem in appetitu rationali, ſecundum quod eadem mors placebat Deo.

QUÆSTIO IV.

An in ſtatu vitæ mortalis humana voluntas Chriſti habuerit fruitionem beatam.

HÆc facile reſolvitur ex dictis de intellectu: nam ſicut in iſto fuit viſio beata, ſic in illa debuit eſſe amor beatificus.

Suppono autem ex dictis, quod fruitio ſumitur vel pro actu voluntatis, quo voluntas amore inhæret Deo propter ſe, & opponitur uſui, quod eſt amare Deum propter aliquid aliud, & eſt perverſus amor; vel ſumitur pro gaudio, ſeu delectatione, quæ percipitur ex amore illo; vel pro utroque, ſcilicet actione amandi, & paſſione gaudii, quod ex illo actu percipitur, ex utroque integratur perfecta beatitudo, ſcilicet ex actu fruitionis, & gaudio; difficultas autem ſuſtinendi hoc gaudium in Chriſto petitur ex doloribus, & pœnis, quas paſſus eſt pro nobis in decurſu vitæ mortalis.

CONCLUSIO I.

V*Oluntas humana Chriſti fruebatur Deo fruitione beata, & quidem ſumma ab inſtanti conceptionis.* Eſt communis.

Prob.1.ex Scoto cit.[1] ubi de viſione beata, & in particulari quærit, *an poſſibile fuerit voluntatem animæ Chriſti habere ſummam fruitionem poſſibilem naturæ creatæ.* Et concludit affirmative; quia *poſſibile eſt animam illam habere ſummam gratiam; ergo & ſummam fruitionem.* Idem docet q. 4.

Prob.2. ex illis locis Script. & PP. quibus probatum eſt, eum habuiſſe viſionem beatam ab inſtanti conceptionis: nam viſio, & fruitio non ſeparantur; nec minus hæc, quam illa decebat Chriſtum Dei filium, imo hæc fruitio ſequitur ad illam viſionem, & cum illa conſummat beatitudinem animarum.

Confir. ex verbis illis Chriſti: *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit,* ſc. in beatitudine, quam diximus conſiſtere formaliter in fruitione Dei clare viſi.

Prob.

[1] *d.13. q.3. & 4. A.u.2.*

Prob. 3. Nam in vita habuit ſummam gratiam, & illa omnia dona, quæ decent filium Dei naturalem, & ſtatum ejus in ordine ad finem redemptionis conceſſa ſunt illi; ſed iſtud donum, & prærogativa maxime decebat eum ratione filiationis naturalis ex vi unionis hypoſtaticæ; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit illam unionem, & gratiam; ergo & hanc beatitudinem: quia nulla erat ratio eam potius differendi, quam illas, ut patebit ſolut. object.

Objic. 1. In nullo textu Script. nec declaratione Eccleſiæ conſtat, Chriſtum in hac vita mortali habuiſſe beatitudinem; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. diſt. antec. non conſtat explicite, conc. implicite, neg. antec. & conſeq. Nam ex locis citatis diſput. præcedenti de viſione beata ſatis conſtat de hac veritate; nec mirum, quod hæc non fuerit definita in Conciliis, quia hæc res non fuit agitata in hac circumſtantia, licet aliqui hæretici auſi fuerint negare, nequidem nunc eſſe beatum: ſed dixerunt, eum fuiſſe damnatum ex deſperatione in cruce; ſed hæc blaſphemia ſeipſa evanuit.

Objic. 2. Si fuiſſet beatus, non fuiſſet liber ad merendum; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Prob. maj. Nam de aliis beatis docent Theologi, eos non poſſe mereri; ergo nec iſte.

Reſpond. neg. maj. & conſeq. prob. Nam ideo alii beati non poſſunt mereri, quia ſunt extra ſtatum viæ; Chriſtus vero erat ſimul viator, & comprehenſor ex diſpenſatione divina, & ideo in ſtatu merendi. Quomodo autem concilietur libertas contingentiæ, & ſufficiens ad meritum cum beatitudine, ſatis dictum eſt ſupra de incompatibilitate beatitudinis cum laboribus, & mortalitate.

CONCLUSIO II.

Fruitio beata Chriſti fuit cum gaudio, & delectatione proportionata, ſeu ſumma.

Prob. ex Scoto cit. & alibi. [1] *Gaudium de fruitione, & triſtari de morte perſonæ non ſunt contraria...... ſic fuit in anima Chriſti, & hoc fuit per miraculum;* imo

P 6

[1] *in Report. d. 15. n. 11.*

imo miraculum fuit magnum, quod cum vehementi fruitione potuit ſtare vehemens triſtitia in eadem potentia, licet ratione alterius, &c.

Prob. 2. Nam ex Auguſt. [1] *Cum adeſt, quod diligitur, etiam delectationem ſecum neceſſe eſt ferat*; ſed animæ Chriſti aderat Deus per viſionem beatam, & diligebatur per fruitionem, & quidem ſumme; ergo gaudebat ſumme.

Confir. Nam delectatio eſt naturaliter inſeparabilis a viſione, & fruitione, ſeu a beatitudine; ſed conſtat ex dictis, quod Chriſtus fuit ſumme beatus; ergo & ſumme delectabatur. Maj. prob. ex dictis de beatitudine, & quidem ex Script. nam dicitur, quod [2] *delectationes ſunt in dextera Dei uſque in finem*, ideſt, *perfecte, & æternaliter*, ait Gloſſa. [3] *Juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia*. Et, [4] *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt*, &c.

Quod autem illud gaudium fuerit ſummum, patet, quia ſicut gaudium naturaliter ſequitur ad amorem, & poſſeſſionem boni, ita & illud creſcit, & commenſuratur magnitudini boni, & perfectioni poſſeſſionis; ſed hæc fuit ſumme perfecta, ideſt perfectior, quam quę haberi poteſt ab ulla creatura; ergo &c.

Objic. 1. Summum gaudium excludit ab anima omnem triſtitiam; ſed in anima Chriſti fuit triſtitia, & quidem magna; ergo non fuit gaudium, ſaltem ſemper, nec beatificum, quod eſt perpetuum.

Reſp. diſt. maj. excludit omnem triſtitiam naturaliter, conc. ſupernaturaliter, neg. maj. & conſ. Nam ſicut ex diſpenſatione fuit ſimul viator, & comprehenſor, ita & gaudens, & patiens, ac mœſtus eſſe potuit.

Reſpondent alii, quod in cruce, & horto, & aliis tormentis ſuſpenſa fuit delectatio beatifica; quod etſi concedere nolit Cardinalis noſter, tamen non video id repugnare potentiæ divinæ magis, quam unionem ſummi gaudii cum ſummis doloribus; imo iſtud mihi videtur longe facilius.

Inſt. Chriſtus dicitur *vir dolorum*, ſc. in hac vita mortali, ſicut poſt mortem dicitur *gloria, & honore coronatus*; ergo in hac vita non gaudebat viſione beata.

Reſp.

[1] 1. *doctr. Chriſt.* 33. [2] *pſal.* 15.
[3] *pſal.* 63. [4] *Iſa.* 33.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut dicebam, habuit utrumque ex diſpenſatione divina. Unde in Thabore, ubi apparuit glorioſus, gloria animæ effuſa eſt in corpus, in quod antea, nec alias permiſſa eſt effluere.

Objic. 2. Niſi gaudium ceſſaſſet, ſaltem in Cruce, non quereretur ad Patrem, *ut quid me dereliquiſti?* Hoc enim dicere non potuit, niſi quantum ad ſuſpenſionem fruitionis.

Reſp. 1. Id non facere contra illos, qui tenent 2. reſponſionem allatam, quæ hoc concedit.

Reſp. 2. neg. ant. Nam non deſunt aliæ rationes, & cauſæ illius querelæ; unde Patres quidam dicunt, quod ſic loquebatur pro tota natura per peccatum Adæ ſpoliata gratiis, & damnata; alii propter ceſſationem protectionis contra Judæos, & inimicos, alii propter damnationem Judæorum, qui erant cives, & cognati ſecundum carnem. Denique hoc potuit dicere propter vim dolorum ſenſibilium corporis.

Poſſet quæri, an recte aſſeratur fuiſſe in Chriſti voluntate triſtitiam; ſed de hoc ſupra diximus, nec placet hic repetere.

QUÆSTIO V.

De ſanctitate formali Chriſti voluntatis per gratiam habitualem, an, & qualis fuerit.

JAM diximus de ſanctitate animæ Chriſti, quod fuerit puriſſima ſine ullo prorſus peccato; non tamen præciſe, & formaliter, nec immediate per unionem hypoſtaticam: nam de hac formali ſanctitate reſervavimus hic locum; quia ex tractatu de gratia ſanctificante patet, quod ſubjectatur immediate in voluntate. Unde quærimus hic, quæ fuerit formalis ſanctitas Chriſti, ſeu, an habuerit gratiam habitualem, 2. qualis, & quanta fuerit. An infinita, An ſumma.

Suppono autem aliquam qualitatem dici ſummam *poſitive*, quando excedit omnem aliam ſecundum gradus ſuæ intenſionis, nec poſſit dari perfectior; aut *negative*, quando non exceditur ab ulla alia, licet poſſibilis ſit alia æqualis, quod fieri nequit reſpectu ſummi poſitive.

Supp. 2. Duplicem diſtingui in Chriſto ſanctitatem.

1. *perſonalem*; quæ petitur ex perſonæ Verbi ſanctitate, & convenit Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ, quatenus Chriſtus ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi. 2. *formalem*, qua anima Chriſti dicitur ſancta non terminative, & quaſi extrinſece per ſubſiſtentiam Verbi, per quam ultimo terminatur, & completur in ratione ſubſiſtentis, ſed formaliter, & intrinſece per formam, ſeu qualitatem ſupernaturalem ſibi inhærentem, per quam redditur formaliter Deo placens, & dilecta, ſed etiam potens elicere actus ſupernaturales divini amoris, & differt a perſonali. 1. quia hęc inhæret animæ per modum formæ accidentalis, illa vero non, quia petitur a ſanctitate perſonæ Verbi, quæ non ſic inhæret, nec informat naturam, ſed pure terminat, & ſuſtentat. 2. quia hæc ſanctitas Verbi eſt in ſe infinita poſitive, & ſubſtantialis, & increata in Deo; formalis vero eſt quid creatum, & poſitive finitum.

Quæritur ergo hic, an gratia habitualis fuerit in Chriſto. 2. an per illam ſanctificetur formaliter. 3. an fuerit infinita. 4. An ſaltem fuerit ſumma.

CONCLUSIO.

IN *Chriſto vere fuit gratia habitualis, & per illam formaliter fuit ſanctus*. Eſt communis quoad 1. p. non quoad 2. quia multi volunt, animam ejus fuiſſe ſanctam per unionem hypoſtaticam.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui præter aliquot textus Script. citat Magiſtrum dicentem: *Credendum eſt, Deum tantam gratiam contuliſſe illi animæ, quantam potuit conferre* &c. Et in Reportatis: [2] *Dico, quod ſumma gratia creata fuit collata animæ Chriſti*.

Prob. 2. ex Script. ubi dicitur [3] *plenus gratiæ*. Item, *requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*, id eſt, *gratia permanens*, ut explicat Cyrillus, & eodem ſenſu ſumitur illud, *ſpiritus Domini, eo quod unxit Dominus me*. Hæc enim ſibi applicat Chriſtus ipſe, & intelliguntur de unctione gratiæ.

Prob. 3. ex PP. nam, inquit Auguſt. [4] *Dominus J. non ſolum Spiritum S. dedit, ut Deus, ſed etiam accepit*,

[1] *d.*13. *q.*2. *n.*2. [2] *q.*3. *n.*14.
[3] *Jo.*1. [4] 15. *tr.* 26.

pit, ut homo; & propterea dicitur plenus gratia . . . . Quia eum Deus unxit Spiritu S. . . . dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia. Et Bern. [1] *ſingulariter ſanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.* Ubi vides duplicis ſanctificationis mentionem, ſc. perſonalis, ſeu ſubſtantialis per unionem Verbi, & formalis per ſpiritus infuſionem.

Prob. 4. Nam ſanctitas Chriſti eſt quaſi idea, & exemplar noſtræ: noſtra autem fit per gratiam habitualem: ergo & illa: prob. ant. ex Script. *prædeſtinavit nos conformes fieri imagini filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*; ſed non ſimus ei conformes per ſanctitatem, ſeu gratiam perſonalem, bene vero per formalem; ergo hæc fuit in illo præter perſonalem.

Prob. denique 3. p. ex dictis ſupra de ſanctitate, & impeccabilitate, quam probavimus non veniſſe præciſe, & formaliter ab unione.

Confir. Nam hæc gratia eſt in Angelis, & hominibus, qui eam accipiunt de plenitudine Chriſti, ut capitis; ſed non poſſet eam influere, ut caput, niſi eam habuiſſet, nec eſſet exemplar noſtræ ſanctificationis, ſi aliter ipſe ſanctificaretur, quam Angeli, & homines; ergo &c.

Confir. 2. Nam anima Chriſti, præter phyſicam unionem cum Verbo, debuit adhuc uniri Deo per operationes ſuas, ſc. per cognitionem, & amorem ſupernaturalem; ſed iſtæ operationes connaturaliter exigunt habitum gratiæ, & charitatis, ut patet ex dictis de gratia; ergo &c.

Objic. 1. Effectus gratiæ habitualis eſt filiatio adoptiva Dei; ſed Chriſtus non fuit capax adoptionis, quia erat filius naturalis; ergo nec gratiæ habitualis. maj. patet ex dictis de gratia, & Concil. Trident. dicente, quod juſtificatio, quæ fit per hanc gratiam, eſt translatio a ſtatu peccati ad ſtatum filiorum Dei; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. effectus ſecundarius, con. primarius, neg. maj. & conſ. & idem dico ad ant. probat. nam cum filiatio ſit formaliter relatio, non poteſt eſſe effectus primarius formæ abſolutæ, qualis eſt gratia:

[1] *Hom. 4. ſup. miſſ.*

tia: Eſt ergo ſolum effectus gratiæ ſecundarius, qui ſequitur ex ſupernaturali munditie, & venuſtate, per quam anima redditur grata Deo, & ad quam ſequitur hæc filiatio in his, qui non habent filiationem naturalem, ut Chriſtus. Imo non video inconveniens, quod Chriſtus duplici titulo eſſet filius Dei, ſc. naturalitatis ratione perſonæ, & adoptionis ratione gratiæ.

Inſt. effectus gratiæ eſt participatio, & conſortium divinæ naturæ, ex dictis, *ut efficiamini divinæ conſortes naturæ*; ſed in Chriſto non potuit habere hunc effectum; ergo nec eſſe in illo, vel ſaltem ibi fuiſſet ſuperflua. prob.min. nam Chriſtus eſt Deus per unionem ſubſtantialem; ergo non debuit idem eſſe per participationem, & formam accidentalem, qualis eſt gratia.

Reſp. neg. min.Nam, ex mox dictis de filiatione, quid repugnat, animam Chriſti uniri Deo multiplici titulo, & modo? ſeu ſubſtantialiter, & hypoſtatice, & accidentaliter per gratiam. Certe hoc facit ad majorem ejus gloriam, quod illi uniatur modis omnibus poſſibilibus.

Objic.2. SS. PP. non agnoſcunt aliam gratiam in Chriſto præter unionem hypoſtaticam; ergo habitualem non habuit. prob. ant.1. ex Auguſt. [1] *ſumma gratia in rebus per tempus ortis eſt, quod homo in unitatem perſonæ ſit Deo conjunctus*. Item totam ſanctificationem Chriſti tribuit illi unioni. *In quo & ipſe filius hominis ſanctificatus eſt ab initio creationis ſuæ, quando Verbum factum eſt caro; quia una perſona facta eſt Verbum, & homo: tunc ergo ſanctificavit ſe in ſe: hoc eſt hominem ſe, & in Verbo*, &c.Hier.in illud, *Unxit te Deus* &c. ait, *Chriſtus natura unctus: nos per gratiam, quia in illo pleniter fuit divinitas, in ſanctis per partes:* ergo non fuit ſanctificatus per gratiam, ſed per unionem ad Verbum.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam PP. loquuntur de ſanctificatione perſonali, & ſubſtantiali, ut patet ex ultimis verbis Hieron. & volunt ex iſta veniſſe omnes alias gratias quaſi ex fonte, & ex debito; non autem de ſanctificatione formali, & accidentali, quæ eſt per gratiam iſtam, ut diximus.

CON-

[1] 13.tr.19.

CONCLUSIO II.

GRatia habitualis fuit in anima Chriſti non ſolum formaliter ſanctificans; ſed etiam principium proportionatum, & habituale ad operationes ſupernaturales, & meritorias.

Prob. 1. ex Scoto, [1] ubi docet quod *ſicut humanitas aſſumi potuit ad ſummam unionem, quantum ad eſſe; ergo quantum ad operari ſumma unio non eſt niſi per ſummum habitum gratiæ, quæ eſt principium operandi*. Et clarius ſupra dicebat, quod *natura potuit aſſumi ad ſummam unionem, quantum ad eſſe, & ad ſummam gratiam, quantum ad operari; quia habitus gratiæ eſt principium operandi*; ergo ex Scoto unio eſt tantum ad eſſe; gratia vero ad operari.

Prob. 1. p. patet ex præcedenti, & confir. Nam ſi anima Chriſti eſſet ſancta formaliter, per aliquid aliud, quam per hanc gratiam, maxime per ſanctitatem Verbi, aut per unionem hypoſtaticam ad Verbum; ſed hoc dici non poteſt; ergo &c. Probat. min. nam ſi Verbum, aut divinitas, aut ſanctitas divina ſanctificaret formaliter animam illam, id faceret ut forma phyſica, vel moralis. non 1. nam id repugnat Deitati, vel attributis ejus, ut informent phyſice objectum creatum, ut partes, & actus; quia id ſonat imperfectionem, importat enim partialitatem, & rationem incompleti. non etiam 2. ſc. ut forma moralis, quia talis forma non eſt in ſe quid abſolutum, & reale, ſed quid rationis, & denominatio extrinſeca petita ab ordinatione divina ſic volente, & acceptante; ſanctitas autem Chriſti debuit eſſe realis, & per formam realem; ergo per gratiam inhærentem.

Prob. 2. p. Ut agens connaturaliter operetur aliquid, debet habere aliquam proportionem cum ipſo, unde ad operationem ſupernaturalem requiritur principium ſupernaturale, ſed in anima Chriſti non fuit aliud principium effectivum connaturale, & ſupernaturale præter gratiam; ergo requirebatur in Chriſto ad operationes. prob. min. id non præſtabat nec perſona, ſeu ſubſtantia Verbi, vel unio hypoſtatica, nec ipſa Deitas; ergo id præſtat ſola gratia: prob.

[1] *Ibid. q. 1. fin.*

prob. min. nam 1. ſubſiſtentiæ munus eſt terminare naturam, non autem eſt virtus activa. 2. unio eſt pura relatio extrinſecus adveniens. Et 3. Deitas non poteſt eſſe in creatura principium formale *quo* operandi; ſic enim haberet rationem formæ, vel habitus informantis naturam, quod repugnat tam Deitati, quam perſonæ Verbi; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Sanctificatio per ſanctitatem Verbi, aut unitatem cum ejus ſanctitate, & perſona præſtantior eſt omni ſanctitate creata; ergo hæc concedenda eſt Chriſto; nam illi dandum eſt, quod eſt præſtantius.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. quod eſt præſtantius, & poſſibile, con. ſi non eſt poſſibile, neg. ant. ſanctificatio autem formalis per Verbum, aut Deitatem non eſt poſſibilis, ut patet.

Objic. 2. Anima Chriſti per unionem habet in ſe Verbum, & Deitatem; ergo & habet virtualiter, & eminenter omnem ſanctitatem poſſibilem; ergo fruſtra eſt ibi alia gratia ſanctificans.

Reſp. diſt. ant. habet unionem, & ſocietatem quandam, & velut principium exigitivum omnis ſanctitatis formalis, con. habet formam ſanctificantem intrinſece, neg. ant. & conſ. nam, ut diximus, debuit anima Chriſti ſanctificari formaliter, & intrinſece per formam, & habitum inhęrentem, & maxime per gratiam ejuſdem rationis cum illa, quam influit in membra ſua, ut caput.

Objic. 1. con. 2. p. Gratia ex ſe non datur ad operari; ergo non erat in Chriſto propter opera meritoria. prob. ant. datur ad ſanctificandum; ergo &c.

Reſp. diſt. utrumque ant. non datur ad operari, ſed ad ſanctificandum primario, conc. ſecundario, neg. ant. datur quidem primario ad eſſe gratum; ſecundario datur ad operari opera, quæ ſint ſupernaturalia, grata, & meritoria, & proportionata præmio.

Objic. Nulla forma eſt ſupernaturalior unione, & gratiæ actuales ſunt ſatis ſupernaturales; ergo ſufficiebat vel unio, vel gratia actualis.

Reſp. neg. ant. quoad unionem, ob rationem datam, & diſt. quoad auxilia ſufficiebat quidem ad ſupernaturalitatem, ſed non ad meritum, & ad modum operandi connaturaliter; nam gratia habitualis con-

confert ad hoc, ut opera ſint gratiora, & acceptabiliora.

QUÆSTIO VI.

Quanta fuerit gratia Chriſti: An infinita: An ſaltem ſumma.

LOquimur de gratia, & ſanctitate habituali, non de perſonali, certum enim eſt iſtam fuiſſe infinitam reſpective ad divinitatem, quæ eſt poſitive, & abſolutiſſime infinita.

De gratia ergo creata, & accidentali: & quæritur an illa fuerit infinita actu, & categorematice, vel ſyncategorematice, & intenſibilis in infinitum? An vero ſumma poſitive; ita ut non potuerit augeri, nec dabilis ſit non tantum major, (ſic non eſſet major, niſi negative) ſed nec æqualis, & ſic erit etiam ſumma poſitive.

Porro diximus in Phyſica dari ſtatum in ſpeciebus, ita ut Deus poſſit creare ſumme perfectam, qua non poſſit dari perfectior: & per conſequens dari etiam ſtatum in qualitatibus quoad intenſionem, quia qualitas eo eſt perfectior, quo eſt intenſior; ergo quoad hoc eadem eſt ratio, ac de ſpeciebus. Unde, quia gratia eſt de genere qualitatis, ideo poſſibilis eſt gratia ſic intenſa, & perfecta, ut ſit ſumma, ſaltem negative.

CONCLUSIO I.

GRatia habitualis, ſeu ſanctitas formalis Chriſti non fuit actu infinita, ſed ſumma negative. Eſt Scoti cum pluribus ex ſuis, & multis aliis, qui cenſent eam non poſſe augeri.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] in præcedenti, & hanc ſic probat: *Humanitas Chriſti potuit aſſumi ad ſummam unionem quantum ad eſſe; ergo quantum ad operari. Summa unio quantum ad operari non eſt, niſi per ſummum habitum gratiæ, quæ eſt principium operandi;* ergo &c. Quod probat adhuc alia ratione clara in textu. Et infra dicit: *Probabile eſt ſecundum magiſtrum,* quod

[1] *Ibid. q. 1. n. 2.*

quod Deus tantam gratiam contulerit ei, quantam potuit. In commendando enim Chriſtum malo excedere, quam deficere a laude ſibi debita; ſi propter ignorantiam oportet in alterutrum incidere; ergo Scotus cenſet gratiam Chriſti fuiſſe ſummam, quam potuit illi Deus conferre; ſed non potuit ei conferre infinitam; quia infinitas in eſſentiis creatis repugnat; non autem ſumma negative.

Prob. 1. p. quod non fuerit infinita. Nam, ut dicebamus, talis infinitas repugnat in creatis: nam infinitas eſt paſſio entis increati, ſicut finitas entis creati, & illa ſoli Deo competit: ſed gratia habitualis Chriſti eſt ens creatum; ergo eſt finita.

Confir. Nam anima Chriſti eſt in ſe ſubſtantia finita; ergo non eſt capax qualitatis, ſeu formæ infinitæ intrinſece, & in ſua entitate: prob. conſ. inter ſubjectum, & formam etiam accidentalem debet eſſe aliqua proportio: ſed finiti ad infinitum nulla eſt: ergo ſubſtantia animæ finita non eſt capax formæ, ſeu gratiæ infinitæ.

Prob. 2. nam de ratione infiniti eſt, ut extra illud nihil poſſit accipi in eo genere; ſed identificat ſibi omnem perfectionem poſſibilem in eodem genere: alioqui deeſſet illi, quidquid reperiretur extra illud: ergo ſi gratia Chriſti eſſet infinita in gradibus perfectionis ſuæ, nulla gratia poſſet haberi extra illam; ſed hoc eſt abſurdum, & falſum; quia omnes Angeli, & juſti habent gratiam ſimilem, licet non æqualem; ergo &c.

Prob. 2. p. ratione Scoti. [1] 1. ex Script. nam [2] *vidimus gloriam ejus, quaſi unigeniti a Patre*, ideſt, qualis decet unigenitum: ſed illa, qualis decet unigenitum, eſt ſumma poſſibilis dari; ergo &c. 2. quando legimus, quod *non dat Deus ſpiritum ad menſuram* (intelligitur de Chriſto) ſed gratia non ad menſuram eſt gratia ſumma poſſibilis dari; ergo gratia Chriſti fuit ſumma. 3. dixerat ſupra, quod naturæ intellectuali convenit, quod ſit capax gratiæ, in quantum eſt imago Dei; ſed iſta natura (humana Chriſti) potuit eſſe ſumme imago Dei: ergo ſumme capax gratiæ: ergo potuit conferri ſibi ſumma gratia. 4. colligitur ex aliis verbis: [3] *Pater diligit filium*, &

[1] *Ibid. q. 2.* [2] *Jo. 1.* [3] *Jo. 3.*

& quidem ſumme, *omnia dedit in manus ejus*: ergo dedit ei gratiam ſummam, quam poſſit dare. 5. adducit illud dictum Auguſt. *quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias hoc Deum magis feciſſe, quam non feciſſe*; ſed melius eſt Deum contuliſſe Chriſto filio ſuo ſummam gratiam poſſibilem: ergo &c. 6. Quia humanitas Chriſti aſſumpta eſt ad ſummam unionem Verbi; ergo & ad ſummam gratiam, & quidem a fortiori. prob. conſ. qui enim dat majus, non negat quod minus; ſed dando ſummam unionem, dedit, quod majus eſt, quam dando ſummam gratiam; ergo hanc non negavit.

Prob. 3. de ſumma negative; Nam hæc ſummitas in hoc conſiſtit, ex dictis, quod nulli creaturæ dederit, aut poſſit dare majorem; licet poſſit dare æqualem, ſaltem de potentia abſoluta; ſed hoc ita dicendum de Chriſto; ergo &c. Prob. min. 1. patet, quod poſſet dare æqualem, quia per hanc non fuit exhauſta Dei potentia, nec bonitas, alioqui non eſſent infinitæ, quid enim repugnat Verbum aſſumere adhuc aliam naturam cum æquali gratia? ergo hæc gratia non fuit ſumma poſitive, ſed tantum negative.

Dico (*ſaltem de potentia abſoluta*) nam forte de potentia ordinaria non videtur dari poſſe æqualem; cum enim de lege poſita Chriſtus ſit caput omnis creaturæ rationalis, & a capite participetur gratia, & fluat in omnia membra; ſequitur, quod debeat eſſe major in capite, ſeu Chriſto, quam in omnibus, & ſingulis hominibus.

Objic. 1. ex principiis noſtris tanta fuit gratia Chriſti de facto, quanta potuit eſſe; ſed potuit eſſe infinita actu; ergo fuit de facto. Prob. min. nulla enim poteſt dari repugnantia talis infinitatis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & antec. probat. Nam allata repugnantia ſufficit præter alias, quæ patent ex Philoſophia.

Inſt. Gratia habitualis debuit eſſe proportionata dignitati, & capacitati ſubjecti, ſeu perſonæ: ſed hæc fuit infinita; ergo & illa.

Reſp. diſt. maj. ſubjecti immediati, & inhæſionis, conc. mediati, & denominationis, neg. maj. & min. nam ſubjectum immediatum, & inhæſionis gratiæ habitualis eſt voluntas creata Chriſti, non

autem perſona, niſi denominative, voluntas autem illa eſt finita in ſe.

Inſt. Tanta potuit eſſe gratia, quanta fuit unio hypoſtatica, ad quam diſponebat; ſed hæc fuit infinita; ergo & gratia.

Reſp. neg. ſuppoſitum ant. ſc. quod gratia fuerit diſpoſitio ad unionem. Imo immediatior, & prior fuit unio, quam gratia, ſaltem prioritate naturæ, ut dictum eſt.

Reſp. 2. neg. min. Nam unio in ſua entitate fuit finita, & infinita ſolum terminative.

Objic. 1. ex Script. [1] *Non dedit ei ſpiritum ad menſuram*; ergo gratia ejus fuit infinita: probat. conſ. i. quod non eſt ad menſuram, eſt infinitum, nam omne finitum eſt ad menſuram.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. *ad menſuram* abſolute, & ſimpliciter, con. ad *menſuram* ſecundum quid, & comparative, neg. ant. gratia, cum fuerit ſumma poſſibilis, dicitur ſine menſura comparative ad gratias omnium hominum, & Angelorum de facto cum illa non comparandas.

Inſt. Infinitum eſt, *ex quo quantumcumque receperis, ſemper reſtat accipiendum*; ſed talis eſt gratiæ Chriſti plenitudo; ergo eſt infinita. Prob. min. ex Script. *de plenitudine ejus omnes accepimus*, adeo ut ſit fons inexhauſtus omnium gratiarum, quæ ſunt in Angelis, & in omnibus hominibus exiſtentibus, & futuris, & hoc abſque fontis diminutione; nec enim minus gratiæ unquam habuit, vel habebit propter tantam participationem.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. prob. fons moralis, & quoad meritum, con. phyſicus, ita ut ex illius gratiæ cumulo, & entitate hauriantur phyſice omnium gratiæ, ſicut in fonte hauritur aqua, neg. antec. nam in tantum de plenitudine Chriſti ſuas gratias habent Angeli, & homines, quatenus Deus acceptavit meritum ejus pro gratiis omnibus, quas daturus eſt etiam in infinitum.

Objic. 3. Gratia Chriſti ſumit valorem, & dignitatem ex perſona Verbi; ſed hæc eſt infinita; ergo & gratia.

Reſp. diſt. maj. valorem, & dignitatem extrinſe-
cam,

[1] *Jo.* 3.

cam, & moralem, con. phyſicam, neg. maj. & conſ. nec enim hoc facit ad perfectionem entitativam, & gradualem, de qua loquimur. Certe non magis inde creſcit entitas gratiæ, quam animæ, ac voluntatis, quæ magis intime, & ſubſtantialiter unitur Verbo.

Objic.4. Saltem eſt infinita in ratione gratiæ, quia reddit animam Chriſti infinite gratam Deo; ergo aliquo ſenſu poteſt dici infinita.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus; non enim effectus ſuperat cauſam ſuam; ergo ſicut cauſa, nempe entitas gratiæ, eſt in ſe finita, ita & ille effectus.

Objic.1. con.2.p. Gratia Chriſti non eſt ſupra capacitatem ejus naturalem, & obedientialem; ſed hæc capacitas non eſt ſumma reſpectu omnis creaturæ; ergo nec gratia, prob. min. nam ſicut natura Angeli eſt perfectior anima Chriſti hominis, ita & eſt capax majoris gratiæ; ergo &c.

Reſp. neg. ſuppoſitum maj. nam ſupponit perfectionem ſummam poſſibilem gratiæ menſurari juxta capacitatem phyſicam ſubjecti, ſaltem abſolute, & poſitive, quod falſum eſt: nam menſuratur quidem negative, quatenus non poteſt eſſe major, quam potentia naturalis, & obedientialis ſubjecti, ſed poſitive menſuratur ex regulis prudentiæ, & bonitatis, & ſapientiæ divinæ; quæ, quantum eſt ex ſe, limitat dona ſua, vel ſecundum capacitatem illam phyſicam, vel ſecundum moralem dignitatem ſubjectorum, quæ quia ſumma eſt in Chriſto præ omnibus creaturis poſſibilibus, ita & gratia ejus.

Reſp.2. ex Scoto, neg. min. & ant. prob. Nam anima non eſt inferior Angelo in ratione receptivi, & comparative ad gratiam. *Recipientia, in quantum recipientia, ſunt ejuſdem rationis.*

Inſt. Non plus gratiæ debuit habere Chriſtus, quam potuit rationabiliter expetere; ſed non potuit rationabiliter expetere ſummam poſſibilem; ergo &c. Prob. min. non potuit expetere gratiam ſupra capacitatem naturæ ſuæ; ſed hæc non fuit ſumma poſſibilis; ergo nec gratia. prob. min. nam natura Angeli eſt perfectior; ergo natura Chriſti non fuit ſumma.

Reſpon. neg. min. & maj. prob. Nam, ut dicebam, gratiæ menſura non petitur ex natura phyſica ſubjecti poſitive, ſed ex voluntate Dei, & dignitate perſonæ,

& ſic

& ſic Chriſtus potuit expetere tantam gratiam, quantam potuit, & voluit Deus largiri.

Objic.2. Natura humana Chriſti non eſt ſumma; ergo nec gratia ejus, non enim major eſt ratio de gratia, quam de natura. Imo ex perfectione ſubſtantiali magis oſtenditur Dei potentia; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus. Nam menſura gratiæ, ut dictum eſt, non petitur ex entitate phyſica, & ſpecifica naturæ, ſed ex dignitate, quam habebat ex unione cum Verbo, & officio redemptionis.

Objic.4.con.3. Non eſt major ratio, cur debuerit eſſe ſumma negative, quam poſitive, ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam conſtat ex fundamentis conclusionis, quod quantacumque fuerit gratia Chriſti, adhuc Deus poſſet creare alias æquales, licet non perfectiores.

Objic.2. Gratia Chriſti non erat infinita actu; ergo poterat dari major; nam Dei potentia non erat exhauſta quoad perfectiorem magis, quam quoad æqualem; ergo &c.

Reſp.neg. utramque conſ. Nam de ratione entis creati eſt, ut ſit limitatum. Unde repugnantia perfectionis gratiæ venit ex intrinſeca limitatione entis, quod magis patebit ex ſequenti.

CONCLUSIO II.

Gratia Chriſti talis, & tanta fuit, ut non potuerit augeri. Eſt Scotiſtarum.

Prob. 1. ex Scoto cit.1. *Dico, quod ſummam gratiam creabilem potuit dare illi animæ, nam ſumma gratia hoc modo potuit creari ſimul unica creatione, & talis potuit conferri creaturæ* &c.

Prob.2. ex Philoſopho. *Omnium natura conſtantium eſt finis tam magnitudinis, quam accretionis*: ſc. datur ſtatus perfectionis, intentionis, & augmentationis, in naturis, qualitatibus, & quantitatibus, exceptis numeris: ita ut in illis non eatur in infinitum: ergo poſſibilis eſt gratia, tam perfecta, ſeu intenſa, ut non poſſit dari intenſior: ſed ex Auguſt. cit. ab eodem Scoto, *Quidquid tibi melius vera ratione occurrerit, ſciat hoc Deum magis feciſſe, quam non feciſſe*,

[1] *Ibid.C.n.2.*

eiſſe; ergo, ſi talis gratia ſit poſſibilis, recte dicitur fuiſſe in Chriſto.

Confir. Nam Deus per ſuam ſcientiam infinitam videt perfectiſſimam creaturam, & gratiam, quam poſſit creare, alioqui non eſſet omniſciens; ergo per omnipotentiam potuiſſet eam creare, & dare unigenito Chriſto; ergo & hoc fecit; ergo hæc gratia non potuit fieri major.

Prob. 3. Nam omne poſſibile poteſt poni in actu: nam ex Philoſopho, *Quantum contingit eſſe in potentia, tantum contingit in actu*; ergo Deus poteſt de facto, & in actu producere gratiam perfectiſſimam poſſibilem, cui non deſit ullus gradus poſſibilis perfectionis; ergo talis fuit gratia Chriſti; ergo non potuit fieri perfectior. Prob. 1. conſ. nullus eſt gradus addibilis illi gratiæ, quem Deus de facto, & actu non poſſit addere, alioqui non eſſet poſſibilis; ergo omnes gradus perfectionis poſſibilis, quos potuerit Deus creare in illa gratia, fuerunt in Chriſto.

Prob.5. Non implicat, Deum dediſſe Chriſto ſummam poſſibilem gratiam; ergo de facto dedit hanc: conſ. patet ex axiomate allato ex Auguſt. & ex hoc alio: *in tantum commendanda eſt humanitas Chriſti, in quantum poteſt ſine inconvenienti, vel repugnantia*: ant. autem patebit ex ſolutione objectionum. Alias rationes habebis apud Fabrum, & alios Scotiſtas.

Objic. 1. Deus poſſet unire gratiæ Chriſti gratiam Mariæ; ſed tunc gratia filii eſſet major; ergo gratia Chriſti non eſt ſumma, nec incapax augmenti. Prob. maj. quia in hoc non apparet implicantia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam implicat, quod gratia Chriſti fuerit ſumma, & quod poſſit alia illi uniri, vel addi.

Objic. 2. ex Script. *Y. proficiebat ſapientia*, & *gratia* &c. ergo gratia ejus non erat ſumma, nec increſcibilis.

Reſp. ut alias diſt. conſ. non erat ſumma in apparentia, & manifeſtatione apud homines, con. in ſe, & ſub intrinſeca perfectione, neg. conſ. Chriſtus creſcebat phyſice in ætate, & quoad humanitatem ſapientia, ejus ſanctitas magis, ac magis, & ſucceſſive agnoſcebatur ab hominibus, & in bonis operibus

etiam proficiebat apud Deum, quamvis non ad gratiæ augmentum intrinſecum.

Objic. 3. Charitas eſt intenſibilis in infinitum; ergo & gratia: prob. ant. nullus poteſt aſſignari gradus charitatis, cui non poſſit addi, ſeu qui non poſſit perfici, & excedi; ergo &c. Prob.ant. ſi non poſſet ille gradus excedi, id eſſet vel ex natura talis gradus, vel ex impotentia Dei, vel ex incapacitate ſubjecti; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c. Prob.min. 1.non ex natura charitatis, tum quia eſt quædam participatio bonitatis, & charitatis divinæ, quæ eſt infinita, & in infinitum participabilis: tum quia intenſibilitas, & remiſſibilitas eſt proprietas qualitatis, & gratia eſt qualitas. 2. non ex parte Dei, cujus potentia eſt infinita. 3. non ex parte ſubjecti, quaſi vero limitatio ejus in ſua entitate inferat limitationem in capacitate paſſiva in ordine ad formam, ſeu qualitatem perfectivam; quia qualitas, & maxime gratia, ſeu charitas, quo major eſt, eo magis dilatat, & auget capacitatem animæ.

Reſp.neg.1.ant.& 2.& diſt.min.3.& 1.p.quarti; nam cum charitas, ſeu gratia ſit ens creatum, & finitum, repugnat ei infinitas, qualis ſequeretur, ſi poſſet intendi in infinitum: neg. etiam quoad 3. p. nam etiam repugnat capacitas infinita in ſubjecto finito.

Inſt. Quantitas poteſt augeri in infinitum; ergo & qualitas: prob. ant. numerus poteſt augeri in infinitum.

Reſp.diſt.ant.quantitas diſcreta, & ſucceſſiva, conc. permanens, & continua, neg. ant. ſi quantitas permanens augeretur in infinitum, daretur corpus infinitum actu: & ſimiliter, ſi qualitas intenderetur in infinitum, eſſet etiam infinita actu, & perfectione, quod non poteſt dici de quantitate diſcreta, quæ non creſcit, niſi per juxta poſitionem, & materialiter.

Inſt.2. Qualitas diſponens ad formam infinitam eſt infinita ſaltem in potentia; ſed talis eſt gratia; ergo &c. Prob. min. gratia diſponit ad viſionem infinitam, ſeu æternam Dei, ergo &c.

Reſp.neg.min.& ant.prob.nam licet gratia diſponat ad viſionem Dei, quæ erit æterna duratione, & quæ eſt de objecto in ſe infinito, non ſequitur, quod illa ſit in ſe infinita; ergo nec gratia, quæ ad illam diſponit.

nit. Adde, quod hæc ratio ſi valeret, nimium probaret; nam probaret hoc de minima gratia cujuſvis hominis, quæ diſponit ad vitam æternam.

Objic.3. Data quacunque natura capaci gratiæ, dabilis eſt perfectior, & perfectior in infinitum; ergo & major, & perfectior gratia: patet ant. nulla enim eſt ratio limitandi potentiam Dei quoad hoc: prob. conſ. nam quo perfectior erit natura, eo perfectiorem exigit gratiam: ergo ſi eſt poſſibilis natura perfectior in infinitum, ita & gratia.

Reſp.1. neg.ant. Nam, ut patet ex Philoſophia, datur ſtatus in ſpeciebus, quia poſſibilis eſſet aliqua eſſentia infinita, & hæc infinitas eſt propria ſoli Deo.

Reſp.2.neg.conſ.Quia ſicut nihil prohibet minorem gratiam dari alicui Angelo, quam alicui homini, ita falſum eſt nobiliori naturæ deberi, ſaltem neceſſario, majorem gratiam.

Objic.4. Si gratia Chriſti non poſſet augeri, non poſſet mereri, niſi per certos, & determinatos actus, non autem per plures, & in æternum, vel nihil acquireret gratiæ per illos; imo & de facto nihil gratiæ meruiſſet per totum vitæ decurſum, quia gratia ejus ſupponitur ſumma ab inſtanti ſuæ conceptionis; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam ſuppoſito, quod per primum actum elicitum in inſtanti ſuæ conceptionis meruerit, & habuerit ſummam poſſibilem gratiam, non eſt inconveniens, quod per ſequentia, & continua, aut æterna merita nihil novi obtinuerit, ſicut beati in Cœlo per æternum amorem charitatis conſummatæ nihil de novo merentur, vel acquirunt.

Colligis ergo, quod cum res omnis creata ſit in ſe finita, ubi ſemel attigit ſummum terminum ſuæ perfectionis, nihil poteſt ei addi: *Sic* (inquit P.Macedo) *ſubſiſtentia in ratione terminandi, & unio in ratione uniendi, & potentia materiæ in ratione ſubjectandi formas, nec natura in ratione reſiſtendi vacuo &c. perfici, & creſcere non poſſunt, licet in ſe ſint finita.* Idem docet Scotus. Nam, inquit, [1] *habitu exiſtente in termino, non poteſt per actum intenſum augeri, ſed ibi eſt ſtatus:* ſic, cum quis habet ſummam gratiam, non poteſt illa ulterius augeri.

[1] *Report.3.d. 13.q.4.*

Coll. 2. quod licet gratia Chriſti in entitate fuerit finita, tamen fuit in ſummo gradu ſuæ intenſionis, ſeu perfectionis, cui nihil potuerit addi, & quidem major, quam fuerit conceſſa, vel concedi poſſit ulli puræ creaturæ, quæ eſt ſummitas *negativa*, quatenus non poſſet dari major: non autem *poſitive*, quia ſicut non repugnat Verbum ſibi aſſumere aliam ſimilem naturam; ita nec illi concedere æqualem.

Coll. 3. ex his, quæ diximus hic de gratia, lucem accipere, quod diximus de beatitudine, & viſione creata ejuſdem animæ Chriſti cum proportione; videlicet, quod fuit ſumma etiam negative in eodem ſenſu.

Quæres: *An illa gratiæ plenitudo fuerit in eo ab inſtanti ſuæ conceptionis.*

Reſp. affirmative 1. quia nulla eſt ratio differendi: nam cum data fuerit, ſicut alia dona, cum uſu rationis intuitu unionis hypoſtaticæ, debuerunt & omnes gratiæ ſimul infundi. 2. quia id colligitur ex Script. & PP. nam dicit Angelus ad Mariam: [1] *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei*, ſcilicet filiatio divina, & gratia ſanctitatis fuerunt ſimul in Chriſto; ſed filiatio extitit ab inſtanti conceptionis; ergo & ſanctitatis plenitudo.

Confir. quia hæc verba ſignificant Chriſtum naſciturum cum ſanctitate; *naſcetur ſanctum*. Certe inquit Auguſt. [2] *unxit eum Deus Spiritu S. non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ ... nec ſane tunc unctus eſt Spiritu S. Chriſtus, quando ſuper eum baptizatum veluti columba deſcendit .. ſed tunc intelligendus eſt unctus, quando Verbum Dei caro factum eſt* &c. ſcilicet in ipſo inſtanti conceptionis, & unionis hypoſtaticæ.

QUÆSTIO VII.

An, & quæ dona Spiritus Sancti habuerit Chriſtus.

NOmine donorum Spiritus Sancti intelliguntur quædam ſpeciales gratiæ, quibus nobis communicatur ſpecialiter virtus divina, & communiter nu-

[1] *Luc.* 1. [2] 3. *Trin.* 26.

numerantur ſeptem: ſc. dona ſapientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris Domini. Ex his autem quædam pertinent ad intellectum; & quædam ad voluntatem, ut diximus alias, & hoc pendet a diverſa explicatione Theologorum, juxta quam pertinent ad alterutram facultatem.

Scotus per [1] *ſapientiam* intelligit charitatem, per quam Deus nobis ſapit. Nam inquit S. Auguſt. (2) *ſapientia eſt charitas Dei... eſt enim habitus, quo ſapit habenti illud objectum, quod eſt in ſe ſapiendum.... ſapientia eſt, qua ſapit mihi Deus*. 2. *intellectus* ſignificat fidem ſupernaturalem, prout ſuper habitum, quo elevamur ad aſſentiendum revelatis, importat auxilium ſpeciale, quo juvamur ad aſſentiendum articulis fidei, qui ſunt velut prima principia reliquorum; ſicut *intellectus* in ſcientiis naturalibus dicitur habitus primorum principiorum. 3. *conſilium* ſignificat prudentiam, *quæ eſt habitus conſiliativus, ſeu habitus recte ſyllogizandi practice*. 4. *fortitudo* eſt ipſa moralis virtus, quæ hoc nomine ponitur inter dona. 5. *ſcientia* ſpectat etiam ad finem perfectiorem, quæ eſt explicita notitia de credibilibus, ſicut in ſcibilibus dicitur notitia concluſionis. 7. *pietas* eſt miſericordia in pauperes, *vel juſtitia eſt in pietate*, inquit Scotus. 7. *temperantia* eſt in *timore*, ſc. *timor*, vel ſpectat ad humilitatem, quæ moderatur appetitum honoris.

Suppono igitur ex Scoto, & ex dictis, (3) hæc dona non diſtingui eſſentialiter ab illis virtutibus, ſed addere quædam auxilia ſpecialia, & ſupernaturalia, quibus juvatur anima ad actus illarum perfectiores ex ſpecialibus illis donis.

CONCLUSIO.

Dona omnia Spiritus Sancti fuerunt in Chriſto eminenter.

Prob. 1. ex Scoto cit. [4) nam ibi adducit locum Iſaiæ, quem ſupponit loqui de Chriſto; in quo prædicuntur futuræ illæ virtutes.

Prob. 2. ex eadem Script. Nam de Chriſto prædicitur,

[1] 3. *d*. 34. *Q*. 20. [2] *Epiſt*. 120. (3] *Ibid*. *L*. *n*. 6. [4] *n*. 20.

tur, quod [1] *requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ*; ergo &c.

Prob. 3. Nam hæc dona ſunt perfectiones aliquæ ſpeciales potentiarum, quibus homo excitatur, & juvatur a Spiritu S. ad perfectiora opera; ſed hæc non defuerunt in Chriſto, quis enim perfectiora unquam potuit operari? ergo &c.

Confir. Quia hæc dona in prædicto ſenſu faciunt ad majorem ornatum, & perfectionem animæ Chriſti ſine inconvenienti, ut patebit diſcurrenti per ſingula, & ex objectionibus; ergo &c.

Prob. 4. per ſingula. [2] 1. *de ſapientia, ſcientia*, & *intellectu* dicitur, quod in eo [3] *ſunt theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*. Et, [4] *Puer creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia*. Et Judæi ſapientiam, & ſcientiam ejus admirantes dicebant, [5] *unde huic ſapientia, & virtutes, quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Et de facto docebat populos, diſputabat cum Doctoribus Scribis, & Phariſæis; & hoc donum ipſum intellectus communicavit diſcipulis, cum aperuit eis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Et quando [6] *incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de illo erant*; ergo in eo fuerunt dona intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ. Quod magis patet ex dictis de viſione, ſeu ſcientia ejus.

2. Prob. de dono *conſilii*; nam ipſius doctrina, prædicationes, reſponſa data interrogantibus, & conſilia petentibus id evidenter probant, ut cum prædixiſſet perſecutiones, quas paſſuri erant diſcipuli, conſulit, & docet, ut non timeant; *nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini* &c. Et denique totum Evangel. plenum eſt doctrina agendorum ad ſalutem.

3. De *timore*, de quo videtur major ratio dubitandi, jam diximus ſupra, quo ſenſu in eo fuerit, ſed maxime quoad rationem doni, quo redditur voluntas prompta, & facile mobilis ad divina juſſa, & monita ex ſumma reverentia in ipſum, & dicitur *timor reverentialis*.

Donum iſtud in Chriſto negabat Abailardus, de quo fuit controverſia cum Bernardo, ſed tamen reſi-

puit,

[1] *Iſa.* 11. [2] *Coloſſ.* 2. [3] *Luc.* 1. [4] *Matt.* 13. [5] *Joan.* 7. [6] *Luc.* 14.

puit, & ſcripſit Epiſtolam ad filios Eccleſiæ, qua confitetur: [1) *Caſtum timorem in ſæculum ſæculi permanentem, qui propria charitatis reverentia dicitur, tam ipſi animæ Chriſti, quam electis Angelis, & hominibus ineſſe ſemper recognoſco.* Igitur Chriſtus non timebat peccatum, nec pœnas ejus, nec Deum, ut vindicem peccati, ſed ſummo affectu reverentiæ ferebatur in Deum per donum, ſeu motum Spiritus S. uno verbo, timor ejus fuit filialis, & caſtus, quem deſcribit Auguſt. [2] *timoris caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare, non ſollicitudine neceſſitatis, ſed tranquillitate charitatis.* Abſit autem ab eo timor ſervilis, imo & initialis, qui ſemper habet aliquid de metu pœnæ.

4. De *fortitudine*, & *pietate* nemo ambigit, & maxime ex alio textu ejuſdem Prophetæ dicentis: *Vocabitur Deus fortis, Pater futuri ſæculi*. Ibi enim deſignatur ejus fortitudo, & pietas paterna.

5. *Pietas* eſt donum, & virtus inclinans ad cultum Dei, & proximi juvamen. Quis hanc negat in Chriſto dicente, *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris*, & dante animam ſuam pro nobis?

Objic. 1. Chriſtus non egebat donis, quæ ſpectant ad vitam activam, quia erat comprehenſor, & in termino.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus; nam erat etiam viator, & agebat officium capitis erga homines, & Angelos.

Objic. 2. Quædam ex illis ſupponunt defectum in Chriſto; ergo in eo non admittenda. Prob. ant. 1. conſilium ſupponit ignorantiam, & hæſitationem circa agibilia. 2. timor opponitur fortitudini, & magnanimitati, & oſtendit anxietatem, & dejectionem animi; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & prob. nam in Script. Chriſtus dicitur *magni conſilii Angelus, & conſiliarius, Deus fortis*. Donum conſilii tam tendit ad danda conſilia, quam ad ſibi conſulendum, & judicandum recte de agibilibus ab aliis, quam a ſeipſo. De timore jam diximus, non omnem timorem habere aliquid de ſervitute, filialis eſt liber ab illo defectu. Cætera patebunt, ubi de virtutibus ejus.

[1] *Ep.* 2. [2] 14. *tr.* 6.

QUÆSTIO VIII.

An Chriſtus habuerit gratis datas, & quales.

DIximus *gratias gratis datas* dici per oppoſitum ad gratias gratum facientes, quia illæ quidem ſunt dona ſupernaturalia gratis a Deo collata, ſed quæ per ſe non reddunt hominem Deo gratum, nec illum ſanctificant, ſed illi dantur ad utilitatem aliorum, & iſtæ ab Apoſtolis dicuntur novem: *Sermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, & interpretatio ſermonum.*

CONCLUSIO I.

IN *Chriſto fuerunt omnes illæ gratiæ*. Eſt communis.

Prob. 1. ex generali teſtimonio Scripturæ. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*. Et, *plenus gratiæ, & veritatis*. Et ipſe dicit, *omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Et, *de plenitudine ejus omnes accepimus*: nam in eo non fuiſſet gratiæ plenitudo, ſi iſtæ defuiſſent, & nos ab illius plenitudine illas non haberemus, nec illas in nos ipſe influeret ut caput, ſi eas ipſe non haberet.

Confir. 1. Nam unicuique hominum [1] *data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, ſcilicet participative ab ejus plenitudine, quippe ſpiritum gratiæ non accepit in ſe ad menſuram; ergo gratiæ omnes, quæ diſtributive dantur hominibus, & maxime Apoſtolis, & DD. ad Eccleſiæ utilitatem, ut ſunt iſtæ, datæ ſunt collective Chriſto.

Confir. 2. Nam, inquit Auguſt. *ſicut in capite ſunt omnes ſenſus, ita in Chriſto omnes gratiæ*, quia ſcilicet eſt caput omnium Chriſtianorum, & totius Eccleſiæ; ergo in eo debent eſſe omnes gratiæ, quas influere debet in totum corpus Eccleſiæ, & in ſingula ejus membra, & per quæ debuit eam fundare, ſtabilire, & dirigere, & docere.

Prob.

[1] *Epheſ.* 4.

Prob. 3. Certum eſt, quod in Eccleſia ſunt omnes illæ gratiæ; ergo fuerunt in Chriſto, & quidem a fortiori, & in gradu ſummo perfectionis: prob. ant. ex Apoſt. cit. [1] *diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem* &c. *Alii ſermo ſapientiæ* &c. ſed in Chriſto fuit omnis plenitudo ſpiritus: quippe *quem miſit Deus, verba Dei loquitur, non enim ad menſuram dedit Deus ſpiritum*, ſcilicet filio, ſicut cæteris, *quibus dividit ſingulis, prout vult*.

Prob. 4. ab enumeratione, & diſcurrendo per ſingulas. Et 1. *de ſermone ſapientiæ*. Hæc gratia eſt perfecta myſteriorum Dei cognitio, qua concluſiones ex illis deducimus per cauſas altiſſimas; ſed hæc cognitio fuit in Chriſto; ergo &c. Prob. min. tum ex Script. cit. [2] *In quo ſunt omnes theſauri* &c. Item & de facto *ſtupebant ſuper prudentia ejus*: & aliquando exclamabant, *numquam ſic loquutus eſt homo*. Et de facto patet ex toto Euangelio, quam expedite, & clare, & profunde loquutus ſit de divinis, ideo dicebat ſe illam ſapientiam accepiſſe a Patre. [3] *Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit* &c. ergo a Patre accepit ſapientiam, ſeu cognitionem myſteriorum.

2. *De ſcientia:* Hæc prout diſtinguitur a ſcientia beata, & infuſa, & experimentali, & ſpectat ad hanc gratiam, conſiſtit in facilitate accepta a Deo loquendi de virtutibus, & agibilibus in materiis morum in ordine ad ſalutem æternam populorum, & vias ejus demonſtrandas, juxta illud, [4] *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*. Quod autem fuerit in Chriſto, patet ex iiſdem reſponſis, & concionibus, & doctrinis, quibus abundat Euangelium. [5] *Ideo mirabantur turbæ ſuper doctrina ejus, erat enim docens eos* &c. Et ipſe de ſe ſcriptum, & in ſe impletum eſſe dicebat illud: [6] *Spiritus Domini ſuper me evangelizare pauperibus miſit me*. Et, *omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur de verbis, quæ procedebant de ore ejus*, &c.

Confir. Quia certum eſt, quod in Eccleſia ſunt illæ gratiæ; ergo a fortiori in Chriſto, & eminenter.

[1] 1. *Cor.* 12. [2] *Luc.* 2. [3] *Joan.* 5.
[4] *Pſal.* 67. [5] *Matth.* 7. [6] *Luc.* 4.

3. Fides iſta non eſt habitus inclinans, aut elevans, & facilitans ad credendum revelata, ſed eſt fervor, & conſtantia in docendo res fidei non obſtantibus periculis vitæ, vel eſt fiducia magna in Deum de patrandis miraculis in confirmationem fidei, juxta illud, [1] *habete fidem*. Et, *ſi quis dixerit huic monti* &c. Unde Hieron. *Hic fides prodigia faciendi, quæ montes transferat*.

Quod autem fuerit in Chriſto, prob. 1. ex Script. nam 1. quoad fervorem, & conſtantiam in docendo res fidei, patet ex his, quæ paſſus eſt, ut cum prædicantem, & arguentem duxerunt eum extra civitatem Nazareth, [2] & *uſque ad ſupercilium montis ..... ut præcipitarent eum*. Et quando [3] *tulerunt lapides, ut jacerent in eum*; & quando alapis cæſus eſt coram Caipha, & tandem crucifixus. 2. quoad fiduciam miraculorum, patet ex aliis textibus Euangelii, ut cum dicebat, [4] *Pater gratias tibi ago, quoniam audiſti me; ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*, & tunc ſuſcitavit Lazarum. Item cum ſuſcitavit filiam Archiſynagogi, *noli flere, ſed crede*; & ad domeſticos, *nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit*; & ſic de tot miraculis, quæ cum eadem fiducia patravit; ergo gratia illa fidei utroque modo fuit in Chriſto.

4. *De gratia ſanitatum*, quæ ſolum differt ab operatione virtutum, quatenus hæc limitatur ad miraculoſam curationem ægrotorum. Nam de illo prædicebat Iſaias: [5] *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt*. Et cum diſcipuli Joannis quærerent ab eo: *Tu es, qui venturus es*, &c. *In ipſa hora multos curavit a languoribus, & plagis*. Et ait, *dicite Joanni, quæ vidiſtis, & audiſtis. Cæci vident, claudi ambulant* &c. Et de his, & ſimilibus plenum eſt Euangelium; ergo fuit in eo gratia ſanitatum.

5. Idem eſt *de operatione virtutum*, quæ eſt poteſtas patrandi inſigniora miracula: hanc enim probant illæ propheticæ voces Angelorum de ipſo aſcendente in Cœlum: [6] *Attollite portas* &c. *Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus virtutum*. Et alibi dicitur per Antonomaſiam *Rex virtutum*, qui

[1] *Luc.* 17. [2] *Luc.* 4.
[3] *Joan.* 8. [4] *Joan.* 11. [5] *Luc.* 7.
[6] *Pſal.* 23. 67. & 69.

qui dabit Verbum Euangelizantibus virtute multa. Et, *Dominus virtutum*. Et Judæi ſtupent [1] *unde huic ſapientia hæc, & virtutes;* ſive ut loquitur Marcus, *unde ei virtutes tales, quæ per manus ejus effiçiuntur* &c.

Confir. ex hiſtoria inſignium miraculorum ejus, ut cum dœmonia ejiciebat, & illis imperabat, & [2] *qui vexabantur a ſpiritibus immundis, curabantur. Et exibant dæmonia dicentia, quia tu es filius Dei.* Et cum imperans ventis faciebat tranquillitatem in mari. [3] *Et venti, & mare obediunt ei*. Et cum mortuos ſuſcitabat imperative. *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Et, *Lazare veni foras*. Quæ enim major poteſtas, quam quæ vincit mortem? Et cum ſanavit cœcum a nativitate: *a ſæculo non eſt auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati*. Item cum ſe inviſibilem inter inimicos reddens *per medium illorum ibat*. Et, [4] *cum transfiguratus eſt*. Et denique cum ſeipſum a mortuis excitavit. Unde ajebat Nicodemus: *nemo poteſt facere ſigna, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum illo*.

6. *Prophetia* eſt manifeſtatio futurorum contingentium ex Dei revelatione ipſis prophetantibus; ſed hæc etiam fuit in Chriſto; ergo &c. Prob. min. ex Script: nam ipſi Judæi ut talem illum habebant, ut cum ſuſcitavit filium viduæ, clamabant; [5] *Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Et cum ingrederetur Jeruſalem, *hic eſt Jeſus Propheta a Nazareth*. Et alias: *quia Propheta eſt.* Et Samaritana: *Video, quia Propheta es*. Sed quia hæc forte dicebantur non præciſe ob prædictiones, ideo

Confir. melius per illa, quæ prophetavit, ut cum prædixit, quæ paſſurus erat. [6] *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur* &c. Et proditionem, & perditionem Judæ. (7) *Unus veſtrum me traditurus eſt*: Et, (8) *Unus ex vobis diabolus eſt*. Et negationem Petri, & ſuam reſurrectionem poſt tres dies, & perſecutiones, quas paſſuri erant Apoſtoli, & deſolationem civitatis, & ſimilia, quæ omnia, ut prædixerat, evenerunt.

7 *Diſcretio ſpirituum* eſt cognitio ſupernaturalis, qua quis ſcrutatur corda, & diſcernit, quo ſpiritu ho-

[1] *Math.* 13. [2] *Luc.6.* [3] *Mar.* 1. [4] *Jo.3.* [5] *Luc.7.* [6] *in Act.* 19. [7] *Math.* 26. [8] *Jo.6.*

mines moventur ad aliqua dicenda, aut facienda; ſed hæc cognitio fuit etiam in Chriſto; ergo &c. Prob. 1. ex dictis de ſcientia ejus beata, & infuſa; nam per utramque cognoſcebat ſecreta cordium: 2. patet ex multis factis, & exemplis, ut cum dixit Judæis, *quid me tentatis hypocritæ? oſtendite numiſma cenſus*; ſcilicet *cognita nequitia eorum*, quia interrogabant, *ut caperent in ſermone* ... Item de Natanaele, quem ut vidit venientem ad ſe dixit, *Ecce verus Iſraelita, in quo non eſt dolus*, ſc. ſynceritatem cordis ejus cognoſcebat. Item cognoſcens perfidiam cordis Judæorum *non ſe credebat eis, eo quod noſſet omnes. Ipſe ſciebat quid eſſet in homine* ... Et alibi, *ipſe vero ſciebat cogitationes eorum*. Et cum in cordibus eum putarent blaſphemum, quia dixerat paraclytico: *Dimittuntur tibi peccata tua, ut cognovit cogitationes eorum, reſpondens dixit: Quid cogitatis in cordibus veſtris?* &c. Et ſic de cæteris multis.

8. *Interpretatio ſermonum* eſt peritia explicandi reconditos, & obſcuros ſenſus Scripturarum divinarum, ut cum Daniel interpretatus eſt ſomnium, & Scripturam coram Balthazar *Mane, Tecel, Phares*; ſed hæc gratia non defuit Chriſto, ut patuit cum *inventus eſt in templo ſedens in medio doctorum audiens illos, & interrogans*: Et, *ſtupebant ſuper prudentia, & reſponſis ejus*; item cum *interpretabatur diſcipulis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*. Et cum *aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas*. Quod etiam præſtitit coram Scribis, & Phariſæis, & aliis in multis occaſionibus.

9. Denique *donum linguarum* eſt vel notitia plurium idiomatum, quibus homo unus loqui poſſit: v. g. Latino, Gallico &c. Vel 2. gratia, qua fit, ut homo loquens unico idiomate audiatur, & intelligatur ſimul a pluribus diverſarum gentium, quaſi ſi proprio ſingulorum idiomate loqueretur; ut contigit Apoſtolis poſt acceptum Spiritum Sanctum: *Judæi, Cretes, & Arabes, audivimus eos loquentes noſtris linguis* &c. Vel 3. donum, quo quis de altiſſimis myſteriis, ac myſticis Anagogicis libere loquitur, vel intelligit ſine interprete. Quod autem hoc fuerit in Chriſto, patet 1. ex dictis de ſcientia ejus infuſa: nec enim abeſſe debuit intelligentia lingua-

rum,

rum, ſeu idiomatum, quandoquidem maxime decebat Meſſiam, & Doctorem mundi totius 2. quia ut dicebamus, hoc donum fuit in Apoſtolis, & in aliis multis, quo non ſolum ſine ſtudio peragrantes diverſas provincias loquebantur ſingulis ſingularum idiomata, ſed etiam prædicantes unico idiomate intelligebantur a ſingulis nationibus, perinde ac ſi ſingularum idiomate loquerentur; ergo multo magis debuit eſſe in Chriſto. 3. quia certum eſt, quod in parabolis ſæpe, & aliis verbis myſticis loquebatur, adeo ut nequidem ab Apoſtolis, nec ab ipſa Matre intelligeretur; ideo dicebat aliquando Matri, ac Joſepho, *neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* ipſi vero non intellexerunt verbum, *quod locutus eſt eis*. Et diſcipulis: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant.*

Denique plura hujus veritatis occurrunt exempla in Euangelio.

Dices. Non legitur, quod Chriſtus umquam uſus ſit dono linguarum, nec quod loquutus ſit variis linguis; ergo non habuit illud.

Reſp. neg. conſ. quia licet non uſus ſit de facto, niſi lingua hebraica, quia non erat miſſus perſonaliter niſi ad Iſraelitas, non ſequitur, quin aliarum etiam linguarum peritiam infuſam habuerit; nec quin ab exteris nationibus aliquando fuerit auditus, licet loquens hebraice, & ad Judæos.

QUÆSTIO IX.

An habuerit etiam gratias actuales.

Diximus alias, hominem indigere ad operandum bona, ſicut oportet ad ſalutem auxiliis ſupernaturalibus, quibus excitetur, & adjuvetur; juxta illud, [1] *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis*, &c. Ita definitum eſt in Concil. Arauſicano, & Tridentino, & hic quærimus, an tales gratiæ fuerint in Chriſto, qui non videbatur his indigere.

Porro neceſſitas hujus gratiæ venit vel ex operante, qui de ſe defectibilis eſt, & obnoxius errandi a via recta ſalutis, vel ex natura operis, quod de ſe

[1] 2. *Corin.* 3.

ſe eſt arduum, & excedit vires naturales liberi arbitrii. Ex 1. cap. certum eſt, Chriſtum non eguiſſe hac gratia, quia fuit impeccabilis; reſtat videre, an ex 2. ſc. ex parte operum ſuorum, quæ omnia ex parte voluntatis fuerunt ſancta & meritoria.

CONCLUSIO.

IN *Chriſto fuerunt gratiæ actuales ex natura operum, & his uſus eſt.*

Prob. 1. ex Script. 1. [1] quia fuit *plenus gratia*; ergo iſta non debuit deeſſe. 2. quia docet, eum fuiſſe motum, miſſum, ductum a Spiritu S. ergo per gratias motrices, & adjuvantes. Prob. ant. *quem miſit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad menſuram dat ſpiritum*, ſc. Chriſto; nam ut notat Chryſoſt. *nos omnes ad menſuram operationum ſpiritus; ille vero ſine menſura.*

Confir. ex dictis ſupra de donis Spiritus S. nam maxima ex parte conſiſtunt in gratiis actualibus ſupra habitus virtutum, aut certe non agunt ſine illis auxiliis.

Prob. 2. ex aliis locis, quibus conſtat, eum multa geſſiſſe ex motu Spiritus S. qui motus nihil aliud eſt, quam gratia actualis; ergo fuerunt in eo illæ gratiæ. prob. ant. [2] *ductus eſt J. in deſertum a ſpiritu*, qui, ut notat Gloſſa, *quos replet ad pugnam miſit fortes.* Et ut loquitur Lucas, *plenus Spiritu S. regreſſus eſt a Jordane, & agebatur a ſpiritu in deſertum*, &c. Et, *ab hoc ſpiritu veniebant opera ſapientiæ, & intellectus*, &c.

Prob. 3. Voluntas Chriſti in operando, ſicut in eſſe naturæ, ſimilis erat noſtræ; ergo ſicut in operibus naturalibus dependebat a naturali Dei concurſu, ita & in ſupernaturalibus exigebat ſupernaturale auxilium.

Objic. 1. Verbum divinum ex vi unionis ſufficienter concurrebat cum humanitate ad omne bonum; ergo fruſtra erat omne aliud actuale, & tranſiens auxilium.

Reſp. diſt. ant. per concurſum communem tribus, con. per concurſum perſonalem, & proprium ſoli perſonæ Verbi, ſaltem efficienter, neg. ant. Verbum ex

[1] *Jo. 3. Ibid.* [2] *Matth. 4.*

ex vi unionis ſuſtentabat, complebat, & terminabat humanitatem, ſed active nihil efficiebat; nam opera Dei ad extra ſunt indiviſa.

Inſt. Si hæc ſolutio valeret, non poſſet dici de Spiritu, quod ipſum ducebat in deſertum magis, quam de Patre; ſed hoc eſt contra nos, & Scripturam; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quod eum ducebat per actionem ſibi propriam, & perſonalem, con. per actionem appropriatam, neg. maj. & min. non enim id dicimus, quaſi motus, & directio illa fuerit propria, & perſonalis Spiritui S. ſed ſolum per appropriationem, ut diximus alias.

Objic. 2. Homo eget gratia actuali ſolummodo contra tentationes, & peccatum ob corruptionem naturæ; ſed hæc ratio non valet in Chriſto; ergo nec indigentia talis gratiæ. Prob. min. Quia fuit ſine peccato originali, & incapax actualis; ergo &c.

Reſp. neg. maj. nam præter illas neceſſitates, quæ veniunt ex natura debilitata per peccatum, extat alia veniens ex improportione naturali ejus cum operibus ſupernaturalibus, ut diximus alias.

Inſt. Sufficienter elevabatur per gratias habituales; ergo fruſtra erant actuales.

Reſp. neg. ant. Nam præter habitum gratiæ, quo anima elevatur ad ſtatum ſupernaturalem, imo & ad poſſe agere ſupernaturaliter, & meritorie, adhuc egemus gratia actuali, quæ nos excitet, & juvet in illis habitibus, qui ſunt veluti ſopiti in nobis ſine illis.

QUÆSTIO X.

An, & quæ virtutes fuerint in Chriſti voluntate.

JAm diximus de virtutibus intellectualibus, ſc. de prudentia, & fide, reſtant virtutes voluntatis, quales ſunt duæ Theologicæ, ſpes, & charitas, & 3. morales, fortitudo, juſtitia, & temperantia.

De charitate nullus dubitat; hujus teſtimoniis plena ſunt Euangelia, tam quæ circa Deum eſt, quam quæ reſpicit homines propter Deum, nec placet in

hoc

hoc probando terere tempus. De ſpe aliud eſt; tamen jam aliqua diximus, ubi de paſſionibus animæ ejus.

Spes Theologica reſpicit Deum, ut poſſidendum, & Deus in ſe, ut poſſidendus, eſt objectum ejus primarium; bona vero, quæ ejus poſſeſſionem comitantur, quaſi acceſſoria, & appendices, ut gloria corporis, &c. ſunt objecta ejus ſecundaria. Et diſtinguitur in *habitualem*, quæ eſt qualitas permanens, & inhærens animæ, qua elevatur, & inclinatur ad actus ſpei, & *actualem*, quæ eſt actualis expectatio tantæ poſſeſſionis, ut futuræ.

CONCLUSIO I.

S*Pes aliqua tam actualis, quam habitualis fuit in Chriſto probabiliter*. Ita Vulpes de mente Scoti.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quatenus enim docet Chriſtum *in 1. inſtanti ſuæ conceptionis potuiſſe mereri in aliquo priori naturæ ante beatitudinem*, non inepte colligitur illum potuiſſe mereri per actus ſpei, fidei, & charitatis, & iſtos habitus fuiſſe infuſos.

Prob. 2. ex illis Script. locis, & gloſſis eorum, quæ adduximus de motu ſpei; nam illi motus, ſi reſpiciebant Deum, ut poſſidendum, & ut objectum primarium, ſive pro ſeipſo, ſive pro ſuis, aut objectum ſecundarium, ut gloriam corporis ſui, & reſurrectionem, & ſuorum, hæc poſſunt pertinere ad virtutem ſpei habitualem, & actualem. Item applicatur Chriſto illud pſal. [2] *Deus meus adjutor meus, & ſperabo in eum*.

Prob. 3. ex regula communi, quia hæc virtus non dedecebat, nec repugnabat in Chriſto; ergo non defuit illi. Prob. ant. ſi dedeceret, aut repugnaret, maxime quia poſſidebat Deum, & ſecurus erat de poſſeſſionis æternitate; ſed hæc ratio non impedit; ergo &c. Prob. min. quia id non impedit, quin adeſſe potuerit, & ad ejus meritum concurrere in 1. inſtanti, & modo prædicto, nec quin ſperare potuerit converſionem, & beatitudinem, & alia bona in ordine ad Deum pro ſuis diſcipulis, quia de facto hæc omnia

[1] *Tom.41.d.29.a.3. d.18.E.n.6.*
[2] *Pſ.17.*

omnia petebat a Patre; orabat enim: *clarifica me Pater* &c. Item, *oro te, Pater, ut illi unum ſint, ſicut & nos unum ſumus*.

Confir. Nam ex eadem diſpenſatione divina, qua fuit ſimul viator, & comprehenſor, potuit ſperare, & poſſidere. Ideo dicit Jerem. [1] *quare colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum*. Quæ verba explicant Interpretes de Chriſto, qui fuit in hoc mundo et colonus, & viator uſque ad mortem; ergo ſemper fuit in ſtatu ſpei æque, ac poſſeſſionis, ac tentionis.

Objic. 1. ex Apoſtolo. [2] *Spes quæ videtur, non eſt ſpes*, quod poſſidetur, non eſt objectum ſpei; ſed Chriſtus ab inſtanti conceptionis perfecte poſſidebat Deum; ergo non poterat ſperare illum ut poſſidendum.

Reſp. 1. diſt. min. ut comprehenſor, con. ut viator, neg. min. & conſ. nam, ut dicebam, ſicut non obſtante illa poſſeſſione fuit vere viator, & in ſtatu merendi, & orandi, ita & ſperandi.

Reſp. 2. diſt. maj. ſub eadem ratione, ſub qua poſſidetur, con. ſub alia, neg. maj. & conſ. nam ſicut deſiderium cum præſentia boni non repugnat; ideo dicitur *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, quamvis actu videant; ita & ſperare poſſunt, & ſub ea ratione, ſub qua deſiderant, ſc. amplius, & amplius amare, & poſſidere, & gaudere, ita ut gaudium ſit ſine ſatietate, & ſatietas ſine nauſea.

Objic. 2. Spes debet eſſe cum aliqua incertitudine conſequendi bonum cupitum; ſed Chriſtus nullam potuit habere incertitudinem conſequendi deſiderata nec pro aliis, nec pro ſe; ergo nec ſperare, nequidem pro aliis: prob. min. nam per ſcientam infuſam in Verbo videbat omnia futura, & quidem certiſſime; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. cum aliqua incertitudine ex parte objectorum, con. ex parte medii, vel actus, neg. maj. & conſ. alioqui confirmatus in gratia non poſſet ſperare; ſufficit ergo, quod objectum ſpei ſit ex ſe, & phyſice defectibile.

Dixi in concluſione (*aliqua ſpes*] nam propria, & rigoroſa ſpes Theologica debet reſpicere Deum, ut poſſi-

[1] *Jerem*. 14. [2] *Rom*. 8.

poſſidendum, & quidem ſibi; ideo Deus ut aliis poſſidendus, & ut poſſidendus cum gloria corporis, & ab aliis appendicibus, & ſic de ſimilibus, non ſunt niſi objecta ſecundaria; & actus, vel habitus circa illa ſunt quidem ſpei aliqualis Theologicæ, non tamen ita proprie.

CONCLUSIO II.

FUerunt etiam in Chriſto virtutes morales juſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ ſine defectibus, & in gradu heroico. Eſt communis.

Prob. ex Scoto cit. [1] de donis, quæ dicit includere virtutes Theologicas, & morales: & diſtinctione præcedenti docet, has virtutes aliquo modo poſſe eſſe in Angelis; ſed etiam *hoc modo poſſet poni in Deo eſſe rationem virtutum moralium, ſicut in eo conceditur charitas*, &c. Nam ſi virtus moralis perficit voluntatem Angelicam, & ſi non dedeceret Deum; ergo & perficere poteſt animam Chriſti,& non dedecet illam.

Prob. 2. Quia Chriſtus fuit fons omnium virtutum, & exemplar omnis vitutis, & perfectionis; ergo in ipſo eſſe debuerunt omnes habitus virtutum, ſublatis imperfectionibus, quas habent in nobis, & quidem in gradu ſummo, & heroico: prob.conſ. nam omnes virtutes præciſe, & ſecundum ſe ſunt bonæ, & de bono honeſto.

Confir. ex regula generali ſæpe allegata; ſc. in Chriſto, qui dignificandus eſt quantum poteſt abſque implicantia, vel inconvenienti, nulla defuit perfectio naturalis, vel ſupernaturalis, & moralis; ſed virtutes omnes, etiam morales, perficiunt animam humanam; nam *virtus eſt, qua bene vivitur, & qua nullus male utitur*. Et Auguſt. (2) *virtutes ſunt quidam amores boni honeſti*. Et ex Scoto, [3] *virtutes morales perficiunt hominem, ut homo eſt, id eſt ſecundum quod natus eſt agere ſecundum rationem*; ergo nulla debuit deeſſe Chriſto quoad id, quod eſt perfectionis in illis.

Prob. 3. diſcurrendo per ſingulas. Et primo de juſtitia: nam in Script. (4) dicitur *Dominus juſtus noſter*.

[1] *d.33.I.* [2] *I.civit.17.*
[3] *repor.5.d.33.n.18.* [4] *Iſa.11.*

ſter. Et quod *juſtitia cingulum lumborum ejus*. Et quod *judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ*. Item quod *ſciet reprobare malum, & eligere bonum*. Et per Antonomaſiam dicitur *juſtus;* ut cum uxor Pilati dicit; *nihil tibi, & juſto illi*. Et perfidus Judas deſperans fatetur: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*. Glorioſius quippe eſt teſtimonium ab inimicis. Denique in teſtimonium inviolabilis juſtitiæ *Deus Pater omne judicium dedit filio*, non tantum ut Deo, ſed etiam, quia *filius hominis eſt*. Et revera veniet iterum *filius hominis in majeſtate*, & ut judex, *judicaturus vivos, & mortuos*.

Confir. Nam juſtitia virtus *eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuens pro dignitate ſua*; ſed hoc perfectiſſime præſtitit Chriſtus; ergo &c. Prob. min. ex factis ejus tum circa Deum, quia [1] *ejus cibus erat, ut faceret voluntatem Patris ſui;* tum in parentes, quia *erat ſubditus illis;* tum in legum obſervantia: *non veni ſolvere legem, ſed implere:* tum in reges, & principes: *reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo:* tum erga ſuperiores etiam dyſcolos, ut erant Scribæ, & Phariſæi; [2] *omnia quæcumque dixerint vobis, facite:* uno verbo erga omnes. *Reddite omnibus debita: cui tributum, cui vectigal*, &c.

2. Patet de fortitudine: nam dicitur a cœlicolis *Dominus fortis, & potens*, ille ſc. *quem tu infirmum, & oppreſſum putaſti*, inquit Auguſt. & prædicit Iſaias, quod *replebit eum ſpiritu fortitudinis*. Et quod *percutiet terram virga oris ſui*, & *ſpiritu oris ſui interficiet impiũ*: de illo dicit Angelus, [3] *ecce vicit Leo de Tribu Juda*, &c. ergo fortitudo perfectiſſima fuit in Chriſto.

Confir. Nam fortitudo eſt intrepiditas in ſuſtinendis adverſis. Unde Philoſophus, [4] *prius dicetur fortis, impavidus ad quæcumque, ad mortem, & extrema:* ſed nullus fuit intrepidior Chriſto in patientia, & contra mortem, & contra tot, ac tantas perſecutiones. *Eamus, ecce appropinquat, qui me tradet*, & ſe ſponte manifeſtat militibus quærentibus ſe. *Quem quæritis? Ego ſum*, &c.

3. *De Temperantia*, quæ verſatur non tantum circa moderationem, aut mortificationem appetituum car-

[1] *Matth.* 13. (2) *Ro.* 13.
(3) *Apocal.* 5. [4] 4. *Ethic.* 9. & 10.

carnis, ſed etiam aliorum mundanorum, v. g. pomparum, aut donorum temporalium. Quantum ad 1. non egebat hac virtute, quia ejus caro perfectiſſime ſubjiciebatur ſpiritui; ſed tamen principales, & continuos actus elicuit non ſolum in veſtitu, & ſermone, ſed etiam in jejuniis, vigiliis, & aliis pœnis, ac laboribus, in quibus noſtra exercetur temperantia: *Ductus in deſertum a ſpiritu ibi jejunavit quadraginta diebus, & noctibus*. Aliquando etiam *erat pernoctans in oratione*, ergo in Chriſto fuit vera temperantia, & a primo ad ultimum habuit omnes virtutes morales in voluntate.

Dixi (*in gradu heroico*) id eſt in gradu ſupremo, & perfectiſſimo poſſibili; ſicut & alii habitus, & ipſa gratia, quæ fuerunt in ſummo; cum enim ipſi infuſæ ſint iſtæ, ſicut & aliæ, non datæ ſunt illi ad menſuram potius, quam gratia, & alia dona.

Objic. 1. Non potuit eſſe in Chriſto *liberalitas*, quia nihil poſſedit de bonis terrenis, quæ diſpenſaret, ſed in perfectiſſima paupertate vixit. 2. nec temperantia, vel continentia, quia nullos habuit appetitus, vel motus ſenſuum moderandos, ſed omnes fuerunt ordinatiſſimi; ſed iſtæ ſunt virtutes morales; ergo &c.

Reſp. neg. utramque maj. & conſ. prob. Nam iſtæ virtutes non conſiſtunt in ſolis actibus, v. g. in largitionibus bonorum temporalium, vel coercitione motuum inordinatorum, ſed in habitibus inclinantibus ad tales actus, & in amore illorum: v. g. liberalitas in affectu largiendi bona indigentibus, & hæc poteſt eſſe in pauperrimis: & temperantia, & continentia in præveniendo inordinationes talium appetituum, & motuum, & in amore actuum talis moderationis. Præterea non fuit mediocris liberalitas ejus in deſerto, ubi ſatiavit tot millia hominum, & in aliis occaſionibus, in quibus largitus eſt ſanitatem ægrotantibus.

Objic. 2. Aliquæ virtutes morales repugnant ſtatui perfectæ ejus ſanctitatis, & beatitudinis; ergo illas non habuit. Ant. prob. nam pœnitentia, & temperantia repugnabant utrique ſtatui. Nam illa ſupponit peccatum præteritum, & iſta paſſionum rebelliones, quæ ſint moderandæ. Fortitudo repugnat beatitudini, quia nihil triſte occurrit ſuſtinendum; ergo &c.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & diſt. conſ. prob. repugnat quoad materiale, con. quoad formale talium virtutum, neg. conſ. quia jam, ut dicebam, habitus illarum virtutum inclinant ad bonum, & honeſtatem earum, quod eſt formale, & primarium objectum illarum; licet deſit illis materia, circa quam in hac vita, & maxime in ſtatu naturæ corruptæ exercentur illi habitus, ſeu virtutes. Unde, quia amavit bonum, & honeſtatem temperantiæ, & pœnitentiæ, ideo recte habuiſſe dicitur habitus illarum virtutum, & ſic de aliis.

Quæres, *An illæ virtutes fuerint illi acquiſitæ, an infuſæ*.

Reſp. fuiſſe infuſas: nam majori ex parte non habuit materiam exercendi actus, quibus illæ poſſent acquiri, ut dicebamus de temperantia, nullas unquam habuit paſſiones reprimendas, nullos motus inordinatos moderandos, & ſic de cæteris; ergo non fuerunt acquiſitæ. 2. quia eadem eſt ratio de his habitibus, ac de aliis; ſed alii fuerunt infuſi, & quidem ab inſtanti conceptionis, ſicut & in eodem habuit perfectum uſum rationis; ergo & omnes virtutes.

DISPUTATIO VIII.

De dignitatibus, & officiis Chriſti.

PLurimis titulis inſignitur Chriſtus, & officiis variis fungitur, aut functus eſt in hac vita erga genus humanum, & apud Deum Patrem; v. g. fuit, & eſt *caput hominum*, & *Angelorum*, *ſacerdos*, & *victima*, *mediator*, *Redemptor*, *Rex* ſeu *Dominus*, *legiſlator*, & *Propheta*, *Judex*, &c. De illis aliqua dicenda ſunt, ut ſciamus, quo jure iis decoretur, & hæc annumerari potuiſſent gratiis; nam revera ſunt maximæ prærogativæ.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De gratia, & dignitate capitis hominum, & Angelorum.

SIcut dantur corpora moralia cum aliqua proportione ad Phyſica, quatenus illa ex pluribus perſonis, quaſi ex membris, in unum coaleſcunt, ſicut iſta ex pluribus partibus integrantibus, & phyſicis, ut corpus humanum ex capite, brachiis &c. ita, inquam, in corpore myſtico datur unum caput, ſicut in phyſico, & cum aliqua analogia. Eccleſia in univerſum eſt corpus myſticum, & morale coaleſcens ex omnibus creaturis rationalibus in unum finem, æternæ ſc. beatitudinis conſpirantibus, & huic corpori aſſignandum eſt caput, ne ſit acephalum, & monſtruoſum.

Rurſus Eccleſia duplex eſt. 1. *triumphans*, quæ complectitur Angelos, & homines beatos: Et *militans*, quæ conſtat illis omnibus, qui adhuc ſunt in via ad illam requiem, & pro ea laborant ſive de præſenti, ſive de futuro uſque ad finem mundi. Et quæritur hic, an Chriſtus ſit iſtius, aut illius, vel utriuſque caput.

3. Ad rationem capitis in corpore myſtico requiritur, ut ibi præſtet cum proportione munera, quæ caput obit in phyſico, & præcipue hæc tria, 1. ut ſit reliquis membris intime unitum. 2. in alia omnia membra teneat principatum, & illis præemineat. 3. ut in omnia influat vitam, & ſpiritum, & alia bona ſibi propria, ut ſingula munus ſuum obire poſſint.

1. Chriſtus poteſt ſpectari ut Deus, & ut homo; ſub primo reſpectu non eſt dubium, quin ſit caput unicum, & ſupremum, non tantum morale, ac myſticum, ſed etiam phyſicum omnium creaturarum, quibus præeſt, & dominatur, & influit omne eſſe; ſed hic quæritur, an ut homo dici poſſit, aut debeat caput omnis Eccleſiæ, ſeu Angelorum, & hominum. Quod hic breviter dicendum eſt. 1. de hominibus in Eccleſia militante degentibus; tum de Angelis, & beatis in triumphante quieſcentibus. An

etiam

etiam de damnatis. Et denique, in quo fundetur illa dignitas, ſeu gratia.

CONCLUSIO I.

CHriſtus, *ut homo, eſt vere caput myſticum, & morale Eccleſiæ militantis*. Eſt communis.

Prob. ex Scoto, (1) quatenus docet, quod *inter prædeſtinatos, quibus vult gloriam ordinate, prius videtur velle gloriam illi, quem vult eſſe proximum fini, & ita huic animæ Chriſti vult gloriam, prinſquam ulli alteri velit gloriam*, &c. Nam hinc aperte colligitur prioritas, & præeminentia Chriſti præ omnibus prædeſtinatis Angelis, & hominibus. Et infra dicit, *Deum voluiſſe hanc creaturam eſſe in perſona Verbi, & ſic Angelus non ſubeſſet puro homini*; ergo cenſet ipſos Angelos ſubeſſe Chriſto. Et alibi docet, (2) quod *de lege ordinaria, & ſecundum leges jam poſitas a ſapientia divina gratia Chriſti fuit ſumma etiam poſitive, ita ut non poſſit dari æqualis, quia non erit niſi unum caput in Eccleſia, a quo fit influentia gratiarum in membris*; ergo ſupponit Chriſtum eſſe unicum, & ſupremum Eccleſiæ caput, quia data eſt illi ſumma gratia, & illam influit in Eccleſiæ membris. (3)

Prob. 2. ex Script. [4] *ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*. Item, (5) *omnis viri caput eſt Chriſtus*. Et, *vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Eccleſiæ*. Item, *ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare*, ſc. plenitudinem tam dignitatis, & poteſtatis, quam gratiarum. Denique *multi ſumus unum corpus in Chriſto*. Hic habes unitatem hominum, ſeu Eccleſiæ in Chriſto, ut capite.

Prob. 3. Nam Chriſtus, ut homo ſpecificative habet omnes conditiones veri capitis in totam Eccleſiam militantem. Prob. ant. 1. habet præeminentiam, & ſuperioritatem; ideo dicit ipſe, (6) *vocatis me, Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim*. Item, [7] *dediſti ei poteſtatem omnis carnis*. Unde colligit Auguſt.

[1] *d.7.q.3.B.n.3.* [2] *ibid.C.n.5.*
[3] *d.13.q.4.G.n.8.* [4] *Eph.1.* [5] *1.cor.11.*
[6] *Jo.13.* [7] *orat.105.Jo.*

guſt. *ex hoc autem quod poteſtas Chriſto a Patre data eſt omnis carnis, ſecundum hominem intelligendum eſt: nam ſecundum Deum omnia per ipſum facta ſunt.* Idem docet Paulus, [1] *conſtituens eum* [Chriſtum] *ſupra omnem principatum, & poteſtatem.... Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.* Et idem probant alii textus citati, & plures alii: ut cum dicit, *data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra* &c.

2. Habet unionem cum corpore, & conformitatem cum aliis membris. 1. unitas patet, quod ſibi facta reputat, quæ fiunt membris, ſive bona, ſive mala, ſic ſibi ſumit perſecutiones factas Eccleſiæ a Saulo, *Cur me perſequeris?* & eleemoſynas factas, vel negatas pauperibus. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* 2. conformitas ex aliis textibus colligitur, v. g. *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Chriſti*: & [2] quoad hoc eſt frater noſter primogenitus. Et, [3] *debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret.* 2. *in ſimilitudinem hominum factus* &c. Item, *ego ſum vitis, vos palmites.* Nam ut loquitur Auguſt. *iſtud ſecundum hoc dicit, quod eſt caput Eccleſiæ, noſque membra ejus; unius quippe naturæ ſunt vitis, & palmites.*

3. Influit in totum corpus Eccleſiæ ſpiritum, & vitam, per quæ ipſa vivificatur, & conſervatur, & operatur; ſc. *de plenitudine ejus omnes accepimus.* Et ſicut per Adam, [4] & *in Adam* naturali, ac morali capite *omnes moriuntur*, ita & per Chriſtum (5) *omnes vivificabuntur.* Et *cum* per ipſum Adam *inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus.* Et quia *in ipſo placuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum*, &c. Denique Chriſtus eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, &c.

Confir. ex PP. Nam, inquit Auguſt. *nemo ad mortem, niſi per illum* (Adam) *ad vitam nemo, niſi per iſtum*, (Chriſtum) *quia ſicut per Adam omnes mortales in pœna facti ſunt filii ſæculi; ita per Chriſtum omnes immortales in gratia fiunt filii Dei.*

Concludendum eſt ergo Chriſtum eſſe vere caput totius Eccleſię militantis, & quidem ut hominem, quia ut

[1] *Ephe.* 1. [2] *Heb.* 2. [3) *Phil.* 2. (4) *Rom.* 5. [5] *Cor.* 15.

ut homo nos redemit a morte, ut homo præeminet, & regnat, ut homo unitur nobis, & factus in ſimilitudinem hominum: & regeneravit, atque ad vitam revocavit, & de plenitudine ejus omnes accipiunt gratiam; ut homo pro omnibus mortuus eſt, &c.

Objic. 1. Si Chriſtus eſſet caput Eccleſiæ, eſſet de ejus totali corpore quaſi membrum ejus; ſed hoc dici non poteſt; ergo nec quod ſit caput: maj. patet, nam in corpore naturali caput eſt membrum ejus: probat. min. ſingula membra unius corporis ſic inter ſe connectuntur, ut a ſe invicem dependeant, juxta illud Apoſtoli: (1) *non poteſt oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii*: ſed Chriſtus nihil recipit ab aliis membris Eccleſiæ, nec ab ullis fidelibus; ergo Chriſtus non poteſt dici membrum Eccleſiæ.

Reſp. diſt. maj. Si Eccleſia ſumatur pro univerſali congregatione omnium hominum, Chriſtus ſecundum humanitatem erit quaſi membrum totius illius corporis, con.maj.& neg.min. ſi pro ſola congregatione fidelium ſub uno capite Chriſto, neg. maj. & conſ. prob.ejus: nam in illo ſenſu Chriſtus eſt ſupra hanc Eccleſiam, ut fundator, & paſtor, qui non eſt de grege, ſed ſupra gregem, & fundator gregis, & nihil accipit ab Eccleſia, vel ab ejus membris; ſed hoc totum habet a ſeipſo.

Inſt. Idem Apoſt. [2] dicit: *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*; ergo Chriſtus eſt membrum hujus corporis.

Reſp. neg. conſ. Nam per illud membrum non intelligit caput, ſeu Chriſtum, ſed unumquemque fidelem; quia dicit, quod ſinguli ſunt *alter alterius membra*: vel per illud *de membro* intelligit Eccleſiam partialem, v. gr. Corinthiacam, ad quam ſcribebat; ex græco dicitur: *Vos eſtis membra ex parte*, id eſt unius partis Eccleſiæ, ſeu Eccleſiæ partialis.

Inſt.2. Sub illo omni ſenſu Chriſtus eſt membrum, ſub quo dicitur caput; ſed dicitur caput, ut eſt homo in concreto, ſeu humanitas ſubſiſtens in perſona Verbi; ergo ut talis eſſet membrum Eccleſiæ, & non tantum ſecundum humanitatem: prob. maj. nam, ut dictum eſt, caput non eſt totum corpus natura-

[1] 1. *Corinth*. 12. *ibid*.

le,ſed pars, ſeu membrū ejus partiale,licet principale.

Reſp. neg. abſolute maj. Nam dici poteſt etiam caput ſecundum divinitatem, quia ſecundum illam influit eſſe in omnes, *in ipſo vivimus, movemur*, &c. Et tamen hoc ſenſu non poteſt dici membrum: unde negatur etiam conſ. prob. nam in capite omni myſtico, & morali, & maxime in ſpiritualibus, & ſupernaturalibus non requiritur, ut caput includatur in toto, cui præeſt ut caput; ſufficit, quod influat vitam, & motum, id eſt gratiam in corpus, quod præſtat Chriſtus in totam Eccleſiam.

Objic.2.Si propter influxum in Eccleſiam Chriſtus diceretur caput ejus, potius dicendus eſſet cor, quia iſtud multo melius influit, in eo enim formantur ſpiritus vitales, & per corpus diffunduntur; ſed non dicitur cor, iſtud enim reſervatur Spiritui S. ergo nec dicendus caput.

Reſp. neg. maj. Nam cor non præeminet corpori, nec viſibiliter, & quaſi ab alto, influit, ſicut caput: & ideo Chriſtus, qui ab alto, & cum ſumma præeminentia, & quaſi extra influit, dicitur caput. Aliam rationem aſſignat Alenſis noſter, ſc. quia in capite formantur, & reſident ſpiritus animales inſervientes vitæ ſenſitivæ, cujus operationes reguntur a voluntate, in corde vero ſpiritus vitales inſervientes vegetativæ, cujus operationes non ſunt ſubditæ voluntati. Ita ſpiritus gratiæ, quos influit Chriſtus in Eccleſiam, dicuntur capitales, quia recipiuntur, & operantur in nobis voluntarie. Hæc 2. ratio videtur paulo ſubtilior; 1. ſufficeret; non nego tamen, quin aliquo bono ſenſu poſſit Chriſtus dici *cor Eccleſiæ*, ſicut & *caput*, ſed nihil ad nos.

Objic. 3. Chriſtus ut homo, ſeu per humanitatem non influit dona gratiæ in membra corporis Eccleſiæ; ergo ut homo non eſt caput Eccleſiæ.

Reſp. diſt.ant. non influit efficienter, con. moraliter, & meritorie per potentiam excellentiæ, neg.ant. & conſ. nam ut homo meruit gratias omnes, & earum applicationem ſuis membris.

Objic.4. Non dantur duo capita ejuſdem corporis, alioqui monſtrum eſſet; Deus autem eſt unum caput omnium; ergo id Chriſto ut homini convenire non poteſt.

Reſp.

Reſp. diſt. maj. duo capita ejuſdem ordinis, & non ſubordinata, con. diverſi ordinis,& ſubordinata, neg. maj. Deus autem eſt caput univerſale ſupremum, & inviſibile; Chriſtus vero ut homo eſt caput viſibile, & ſub Deo, & per merita.

CONCLUSIO II.

C*Hriſtus ut homo eſt etiam caput Angelorum*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] nam cum dicit, Deum voluiſſe naturam humanam Chriſti uniri Verbo, priuſquam voluerit gratiam, & gloriam, ut *Angelus non ſubeſſet puro homini*; ſatis indicat, mentem ſuam eſſe, quod omnis gratia, & gloria, quam ab æterno præparavit Angelis,& hominibus,erat danda per Chriſtum, qui primus omnium prædeſtinatus eſt; & quod præeſt ut caput Angelis æque, ac hominibus.

Prob. 2. ex Script. [2] ubi dicitur *conſtitutus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem* &c. Id eſt, inquit Hieron. *non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum, cunctarumque virtutum Eccleſiæ intelligi poteſt*.Et prius dixerat,quod *ipſum dedit ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*. Et clarius alibi dicitur [3] *imago Dei inviſibilis primogenitus omnis creaturæ*..... *& ipſe eſt caput corporis, & Eccleſiæ, qui eſt principium,primogenitus ex mortuis; ut ſit in omnibus primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare* &c. Nam de Chriſto homine loquitur; alioqui non diceretur *primogenitus ex mortuis*; neque ex complacentia, & voluntarie dediſſe illi omnem plenitudinem; hanc enim Verbo communicavit per generationem æternam, quæ eſt opus naturale, non voluntarium.

Confir. ex PP. Nam cum diceret Chriſtus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, Lyranus addit, quod licet quoad divinitatem ab æterno haberet hanc poteſtatem, & in quantum homo haberet hanc poteſtatem ab inſtanti conceptionis, auctoritative tamen, & executive illam non habuit ante reſurrectionem. Et Hieron. in hæc verba Apoſtoli, *Ipſum dedit*

[1] *Ibid. C. n.*5. [2] *Epheſ.* 1.
[3] *Coloſſ.* 1.

dit caput ſuper omnem Eccleſiam ; addit ; *non ſolum hominum , ſed etiam Angelorum , cunctarumque virtutum , & rationabilium creaturarum , Eccleſia intelligi poteſt ; ergo &c.*

Prob. 3. ratione. Quia Chriſtus habet reſpectu Angelorum conditiones veri capitis. 1. illis longiſſime præeminet. [1] *Tanto melior Angelis effectus , quanto differentius præ illis nomen hæreditavit ; ad quem enim dixit aliquando , ſede a dextris meis ?* 2. Habet unionem cum illis , ſaltem ratione gratiarum , & donorum , quæ cum illis participat , & ratione divinitatis , per quam elevatur ſuper illos. Et 3. per influxum non tantum quoad multas illuminationes , & cognitionem plurium veritatum ſupernaturalium , & per accidentalia gloriæ , quæ illis affert ; ſed etiam, quia meruit eis gratiam ſanctificantem , & gloriam, & prædeſtinationem , ut infra , ubi de meritis ejus dicemus.

Objic. 1. Ad rationem capitis requiritur quædam unio , & conformitas inter caput , & membra ; ſed nulla eſt inter Chriſtum ut hominem , & Angelos ; ergo &c. Prob. min. nam differunt non ſolum ſpecie , ſed etiam genere.

Reſp. neg. min. Nam licet,ut dicebam, non ſit conformitas , vel unitas ſpecifica , eſt tamen aliqua naturalis quoad animæ ſpiritualitatem , & immortalitatem , intellectivitatem , & libertatem , & ſupernaturalitatem ; quatenus homo , & Angelus participant eamdem gratiam , charitatem , & gloriam , per quas fiunt participes , & conſortes ejuſdem naturæ divinę, ac hæreditatis æternæ ; hæ autem conformitates ſicut ſufficiunt , ut ex hominibus , & Angelis fiat unum corpus Eccleſiæ triumphantis , ita & ut Chriſtus ſit unum eorum caput.

Objic. 2. Chriſtus non poteſt dici ſponſus Eccleſiæ , ſeu corporis Angelici ; ergo nec caput : nam dicitur ſponſus Eccleſiæ , cujus eſt caput.

Reſp. 1. neg. ant. Nam eodem modo cum proportione, quo dicitur caput, dici poteſt & ſponſus, ſc.metaphorice , & myſtice:nam , inquit Bern. *cum haberet ſponſam inhærentem ſibi a principio multitudinem Angelorum , placuit ei & de hominibus continuare Eccleſiam,*

[1] *Hebr.* 1.

ſiam, atque uniri illi, quæ de Cælo eſt, ut ſit ſponſa una, & ſponſus unus.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam licet major conformitas, & unio requireretur inter Angelos, & Chriſtum, ut diceretur ſponſus; adhuc ſufficeret illa, quam diximus ad rationem capitis.

Objicies 3. Ut Chriſtus diceretur caput Eccleſiæ Angelicæ, deberet eam fundaſſe, ut fundavit militantem; ſed illam non fundavit, nec illi quidquam meruit, vel influxit; ergo non eſt verum caput Angelorum: min. patet 1. de malis, 2. quia bonis nihil etiam meruit; ergo &c.

Reſp. neg. min. cujus falſitas patebit, ubi de merito Chriſti; interim non dicimus, quod ſit caput malorum, ſicut nec hominum damnatorum; utrique enim ſunt membra ſeparata, & excluſa in æternum a corpore.

Inſt. Eccleſia, cujus eſt caput, eſt congregatio fidelium; ſed Angeli non habent fidem; ergo non ſunt de Eccleſia, ſeu de corpore Chriſti.

Reſp. diſt. maj. Eccleſia militans, & partialis, con. communis, & totalis, neg. maj. & conſ. Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ univerſalis, quæ conſtat viatoribus, & comprehenſoribus, militantibus per fidem, & beatis, ac triumphantibus per viſionem, ac fruitionem, in qua ſunt Angeli, niſi velis & Angelos ratione cuſtodiæ, ac miniſteriorum, quæ exercent apud homines, & Eccleſiam militantem, ad hanc etiam pertinere; imo & apud ipſum Chriſtum, cum hic viveret; quippe *Angeli miniſtrabant ei*, & ejus nativitatem annuntiabant paſtoribus, & in horto deſcendit Angelus confortans eum.

Quæres 1. *An fuerit etiam caput primorum parentum ratione ſtatus innocentiæ.*

Reſp. affirmative. Nam pro illo ſtatu eadem eſt ratio de illis, ac de Angelis; ſc. gratia, quam acceperant, erat ex prævisis meritis Chriſti; ſicut & gratiæ omnes Patriarcharum, & Sanctorum, qui præceſſerunt adventum ejus, ſicut & quotquot juſtificati, & ſalvati ſunt adulti, gratias illas conſecuti ſunt per fidem in Chriſtum venturum.

Quæres 2. *An ſit etiam caput peccatorum pro tempore, & ſtatu, quo ſunt in peccato.*

Reſpondeo, quod licet pro ſtatu, quo ſunt extra gratiam, ſint aliquo modo membra ſeparata ab illo capite, & corpore, non tamen omnino ceſſat eſſe eorum caput; quia non ceſſat illis influere gratias actuales, nec ſunt penitus extra fidem, aut viam, & aptitudinem fidei, ac vitæ recuperandæ: imo & in illos influit gratias, & auxilia, per quæ redeant ad corpus, & ad ovile: de his non poteſt eſſe controverſia, niſi de voce.

Quæres 3. *Quanam ſit illa gratia, per quam conſtituitur caput hominum, & Angelorum.*

Reſpondeo illam dignitatem fundari in omnibus gratiis, & donis, per quæ habet communicationem, præeminentiam, & influxum in illa membra: nam ex his capitibus conſlatur, & integratur conditio, & dignitas capitis.

QUÆSTIO II.

De ſacerdotio Chriſti: An fuerit ſacerdos, & qualis.

SAcerdotis nomen hic non ſumitur generatim pro quavis perſona Deo conſecrata, ut ſæpe ſumitur in ſcriptura; ſed pro perſona, quæ ex authoritate publica deſtinatur ad offerenda ſacrificia pro populo, unde *ſacerdos* eſt quaſi *ſacra faciens*, ſeu *ſacra dans*. Ideo dicit ordinem ad ſacrificium, & viciſſim *ſacrificium, & ſacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege exstiterit*, inquit Trident. [1] & addit Auguſt. tertium, nempe *templum*, ſeu *altare*. Unde Apoſt. [2] docet, quod *omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat ſacrificia, & dona pro peccatis*. Quærimus ergo hic, an Chriſtus ut homo fuerit verus ſacerdos.

CONCLUSIO.

CHriſtus fuit vere, & proprie ſacerdos, & quidem ut homo. Eſt de fide, ſaltem quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui licet de hac dignitate non agat ex profeſſo, tamen indicat, quod hoc munus exercuit

[1] *Seſſ. 22. c. 1.* [2] *Heb. 5.* [3] *d. 19. A. n. 6.*

cuit in intentione ab æterno, quatenus *prævidit Verbum paſſionem Patri offerendam pro prædeſtinatis, & electis, & ſic eam efficaciter obtulit in effectu; ita tota Trinitas pro eis paſſionem efficaciter acceptavit*: nam *oblatio ſacrificii eſt munus proprium ſacerdotis*, ut patet ex Trident. cit.

Prob.2. ex Script. [1] in qua dicitur *Pontifex futurorum bonorum* &c. ... *ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta*, &c. ſc. ſeipſum ſacrificavit in ara Crucis. Idem de ipſo dicitur, [2] *tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; quatenus ſc. ſicut Melchiſedech ſacerdos obtulit panem, & vinum, ſic Chriſtus in Cœna ſeipſum obtulit, & continuo ſe offert in altari in pane, & vino, ideſt ſub ſpeciebus panis, & vini. Quod confirmat idem Apoſt. [3] *quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?* &c.

Prob.3. ex Concil. & noviſſime ex Trident.(4) docente, quod *propter ſacerdotii Moſaici imbecillitatem oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, ſacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere Dominum noſtrum J. C.* quod colligitur etiam ex Epheſino; & in Epiſt. Cyrilli, & Lateran. de SS. Trinit. c.2. & ex Canone (5) *Sacerdos* de conſec. d. 2.

Confirmatur ex SS. PP. Epiphanius dicit, quod *Pontifex factus eſſe dicitur, ideo pertinet, quod in corpore ſuo Patri ſeipſum obtulit pro humano genere* &c. Et Aug. *ſolus ille ſacerdos talis extitit, ut ipſe etiam eſſet ſacrificium: obtulit Deo non aliud, quam ſeipſum.* Et ſic de aliis.

Prob. denique ratione. Chriſtus tum in Cœna, tum in Cruce veri ſacerdotii munus implevit; ergo &c.

Prob. ant. Munus ſacerdotii, ut dicebamus, eſt offerre oblationes, & ſacrificia Deo pro populo. *Sacrificium, & ſacerdotium ex Dei ordinatione conjuncta ſunt*, ait Concil. cit. ergo &c.

Prob.2.p. quod ut homo ſit ſacerdos. Ambr. [6] dicit, *idem ſacerdos, idem & hoſtia, & ſacerdotium; tamen*

[1] *Heb.*9. [2] *Pſ.*10.9.
[3] *Heb.*7. [4] *Seſſ.*21.*c.*1.& 2.
[5] *can.*10. [6] 3.*ſi.c.*5.

men & ſacrificium humanæ conditionis officium eſt. Et Theodoret. *ſi hoc proprium eſt ſacerdotum offerre dona; Chriſtus autem ſacerdos ſecundum humanam naturam appellatus eſt, non aliam porro victimam, quam ſuum corpus obtulit*. Ita paſſim docent communiter SS. PP. & Theologi. Et id videtur colligi ex Apoſt. dicente: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, ut offerat dona, & ſacrificia*. Unde filio Dei *Poſt ſuſceptam hominis naturam, pontificiam dignitatem fuiſſe attributam* colligit Epiph. [1]

Prob. 2. Quia Chriſtus ſecundum divinitatem non habet ſuperiorem, cui offerat, & cui ſe ſubjiciat; ergo nec ſecundum divinitatem poteſt ei convenire ſacerdotium: prob. conſ. nam ſacrificia offeruntur in ſignum ſubjectionis, & proteſtationis ſupremi dominii; ergo qui non poteſt ſe ſubjicere, nec agnoſcere ſuperiorem ſibi, nec Dominum, non poteſt fungi munere ſacerdotis.

Confir. Nam aliud munus ſacerdotis eſt orare, & intercedere pro populo apud Deum; ſed Chriſtus ut Deus non poteſt id facere, quia oratio arguit inferioritatem in orante, & interceſſio diſtinctionem, & diviſionem in bonis, quæ alicui optantur, & voluntatum, quæ reperiri non poſſunt in Deo, nequidem inter perſonas divinas, quarum una eſt voluntas, una bonitas, &c. Nec enim Verbum, ut Deus, poteſt aliquid velle, & optare, nec petere, quod eodem indiviſibili actu non velit Pater, & Spiritus S. ergo &c. Unde inquit Aug. *ſecundum quod natus eſt de Patre Deus apud Deum coæternus gignenti nõ ſacerdos, ſed ſacerdos propter carnẽ aſſumptam*; ergo eſt ſacerdos ſecundũ quod homo eſt.

Objic. 1. Sacerdos debet ſacrificare, & ſacrificium fit vel mactando, vel abſumendo, vel aliqualiter immutando victimam; ſed nihil horum fecit Chriſtus circa victimam, nec erga ſe; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam ad ſacrificium ex parte ſacerdotis ſufficit, quod libere offerat Deo victimam quocumque modo immolandam ſive propriis actibus, ſive alienis, Chriſtus autem ita ſeipſum libere obtulit per Judæos immolandum Patri, & per eorum manus libere animam poſuit.

Inſt. Si hoc ſufficeret, omnes martyres eſſent ſacerdotes,

[1] *hæreſ. 69.*

dotes, quia ſponte ſe offerunt immolandos; ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. nam præter occiſionem requiritur in ſacerdote quædam ordinatio ad id faciendum, qualem non habent martyres; bene vero Chriſtus, qui fuit Pontifex a Deo conſtitutus, &c.

Objic.cont.2. par. Chriſti ſacerdotium immutabile eſt, & æternum; ſed hoc dici non poteſt de Chriſto homine; ergo &c. Prob. maj. ex Script. (1) *Tu es ſacerdos in æternum;* & dicitur conſtitutus ſacerdos, quando dixit ei Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, illud *hodie* eſt æternitatis dies. Et denique Cyrillus Jeroſolymitanus dicit, (2) *Chriſtum habere ſacerdotium immutabile, nec tempore cæpit, nec ſucceſſorem habebit ſacerdotii.*

Reſp.neg. maj. Stricte ſumpto nomine æternitatis; ſignificat ſacerdotium ejus fore perpetuum, nec vult Apoſtolus per illa verba, *filius meus es tu*, deſignari ordinationem, ſed generationem ejus æternam, & ejus declarationem; quantum ad immutabilitatem, nihil facit ad rem; nam id ſignificat perpetuitatem; & denique non diffitemur, quin hæc dignitas elevetur per unionem ad Verbum, ſed tantum negamus, quod Deitas ſit formalis ratio, per quam conveniat Chriſto ſacerdotium.

Quæres, *Cur dicatur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & non Aaron.*

Reſponderi ſolet 1. propter etymologiam nominis: nam Melchiſedech ſignificat *regem juſtitiæ*. 2. propter officium: nam ille fuit Rex Salem, ideſt pacis; & Chriſtus dicitur *princeps pacis*. 3. quia ſicut dicitur de illo, quod fuerit ſine patre, ſine matre, quatenus non fit mentio de illis in Script. vel quatenus ille ſolus de ſua ſtirpe functus eſt ſacerdotio: ſic Chriſtus ut homo fuit ſine patre, & ut Deus ſine matre, nec ante, vel poſt ipſum ſimilis ei fuit, nec erit. 4. ſicut nec initium, nec finis ſacerdotii Melchiſedech habetur, ita nec Chriſtus quoad Deitatem initium habet, nec finem habebit quoad humanitatem. 5. Melchiſedech fuit Rex, & ſacerdos gentium, & Judæorum, ita Chriſtus. 6. denique uterque in pane, & vino ſacrificavit, & ideo Chriſtus in illo fuit figuratus.

[1] *Pſal.* 109. [2] *catech.* 10.

Quæres 2. *Quomodo, quando, & a quo factus eſt ſacerdos.*

Reſp. a Deo, a quo ex vi ſuæ generationis æternæ, & in tempore cum unione hypoſtatica accepit unctionem Deitatis, & poteſtatem excellentiæ ſuper univerſam Eccleſiam, ut melius patebit ex dicendis de poteſtate inſtituendi ſacramenta.

Quæres 3. *Quale fuit illud ſacerdotium.*

Reſp. fuiſſe diverſum a ſacerdotio legis naturæ, & Moſaicæ; illud ſiquidem fuit ordinis naturalis, & iſtud fuit figurativum ſacerdotii Chriſti, & noſtri; ſacerdotium autem Chriſti fuit ordinis ſupernaturalis, & Moſaico ſucceſſit, ut veritas figuris, & lux umbris. Omnia quippe in utraque illa lege *in figuris contingebant*. Hanc differentiam docet Apoſt. [1] quia non erat de Tribu Levi, ſicut Aaron, & alii omnes ſacerdotes legis Moſaicæ, ſed de Tribu Juda, de qua non ſumebantur ſacerdotes. *Ex Juda ortus eſt Dominus noſter, in qua Tribu nihil de ſacerdotibus locutus eſt Moyſes*: & quia Chriſtus *non ſecundum legem mandati carnalis factus*, ſc. jure familiæ, *ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis*. Idem ibidem.

Reſp. 2. Illud fuiſſe aliquatenus diverſum a noſtro, tum ex dignitate ſacerdotis, qui ſine comparatione ſuperat noſtros, tum quia ipſe contulit utroque modo, & duplex ſacrificium ejuſdem victimæ, ſc. incruentum in cœna, & cruentum in cruce, nos autem incruente tantum in altari offerimus.

Quæres 4. *Cur dicatur ſacerdos in æternum, ſeu ſempiternum habens ſacerdotium.*

Reſp. 1. vel quia ſacrificium Miſſæ, quod ab eo inſtitutum eſt, & circa quod verſatur Chriſti ſacerdotium, durabit uſque in finem mundi: nam quæ diu durant, ſolent dici æterna. 2. vel quia continuo exercetur, & offertur pro omnibus, qui fuerunt, ſunt, & erunt ab initio, & uſq; ad finem mundi, quaſi ſi eſſent ſine initio, & fine. vel 3. quia fructus, ſeu effectus ejus, ſcil. gratia, & gloria prædeſtinatorum omnium, ſunt æterni, & ſic cauſa dicitur æterna ab æternitate effectuum. 4. quia Chriſtus carebit ſucceſſore in illo officio, ac dignitate, ut docent Chryſoſt. & Theophyl. vel denique, quia adhuc illo munere fungitur ſeipſum adhuc

[1] *Heb.* 7.

adhuc, & quotidie offerens, & ſacrificans per manum ſacerdotum in altari.

Quæres 5. *An pro ſe ſacrificarit, & aliquid per illud ſacrificium obtinuerit.*

Reſp. 1. non potuiſſe offerre pro ſe ipſo, ut *propitiatorium*, quia Deum non offenderat, nec habebat ſibi iratum, nec peccavit, nec peccare potuit, ut dictum eſt. 2. potuit offerre ut *holocauſtum*, ſc. in proteſtationem ſupremi dominii Dei in ſe, ut hominem; quia ut homo erat ſubditus Deo. 3. potuit offerre, ut *impetratorium*, quia potuit expetere gloriam corporis ſui. 4. ut *euchariſticum*, & in gratiarum actionem pro aſſumptione humanitatis ſuæ ad Verbum, & pro aliis innumeris, & ſummis gratiis.

Quid autem de facto contigerit, nihil certi habemus; certum eſt ſolummodo, quod non obtulit pro ſe *propitiatorium*; & hoc ſenſu intelligendum eſt Concil. Epheſinum, cum damnat aſſerentes Chriſtum pro ſe obtuliſſe ſacrificium, quia removere intendit omnem ſuſpicionem ullius peccati; a Chriſto, ratione cujus indiguerit redemptione.

QUÆSTIO III.

An fuerit verus mediator Dei, & hominum.

Mediator dicitur ille, qui intercedit inter litigantes, ut lites componat, & pacem faciat inter eos, vel procurans, ut debitor ſatisfaciat creditori, vel ut creditor indulgeat, & remittat debitum, vel offenſam debitori, vel de ſuo ſatisfaciens pro debitore.

Porrò hæc mediatio attendi poteſt vel ex *miniſterio*, ſc. ex actibus prædictis intercedendi, & componendi lites, vel ex ſtatu, ſeu natura, quando ſc. ille, qui dicitur mediator ex conditione naturæ ſuæ mediat inter partes extremas, v.g. inter Deum, & homines, & hoc, quia participat de utriſque, ut Chriſtus, qui eſt Deus, & homo in unitate ſuppoſiti, ut tenent catholici, vel quia conſtat natura quadam media, creata tamen, quæ non ſit vere, & proprie nec Deus, nec homo, ut impie finxerunt Arriani, & alii hæretici.

Suppono autem graviſſimum cauſari divortium per

peccatum inter Deum, & hominem: [1] *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum*. Peccatum offendit Deum, & accendit iram ejus in nos, & dat illi jus ad vindictam, nos vero facit reos, & debitores ſatisfactionis, & pœnæ æternæ, & objecta odii, ac juſti furoris ejus. Ideo egebamus mediatore, qui placaret iram, intercederet pro venia, & ſatisfaceret pro nobis non habentibus unde condignam ſatisfactionem exhiberemus. De iſta dicemus poſtea, nunc de Officio illo mediatoris, an, & quomodo conveniat Chriſto.

CONCLUSIO I.

CHriſtus vere, & proprie mediator eſt Dei, & hominum ſive quoad ſtatum, & naturam, ſive quoad miniſterium. Eſt de fide.

Prob.1. ex Scoto, [2] qui ubique ſupponit, ac agnoſcit Chriſtum nobis meruiſſe reconciliationem cum Deo Patre, gratiam, aperitionem regni cœleſtis, & gloriam: hæc enim omnia ſunt de officio mediatoris, quod magis patebit ex dicendis de merito.

Prob.2. ex Script. [3] *Unus eſt Deus, unus mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus*. Et alibi, [4] *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, &c. Item [5] *Ipſe eſt pax noſtra, qui facit utraque unum ... faciens pacem, & reconciliat ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo*, &c. Item dicitur [6] *melioris teſtamenti mediator*. Et *novi teſtamenti mediator*, &c.

Prob.3. ex PP. qui hoc docent communiter, ut mox dicemus.

Prob. denique: nam vere interceſſit pro nobis apud Patrem; noſtram cum ipſo reconciliationem operatus eſt, & meruit, & pro nobis ſatisfecit; ſed hæc omnia ſunt de officio mediatoris; ergo &c.

Prob.2.p. ex PP. qui omnes hanc mediationem attendunt præcipue ex ſtatu, & conditione Chriſti, quatenus unit in ſe utramque partem diſſidentem, ſc. Deum, & hominem in ſumma unitate poſſibili, ſummo, & indiſſolubili fœdere, ſcilicet in unitatem perſonæ, ita

[1] *Iſa*.59.2. [2] *ibid*. [3] 1.*Tim*.2.
[4] 2.*Cor*.5. [5] *Eph*.2. [6] *Heb*.8.& 9.

ita ut Deus ſit vere homo, & homo vere Deus; ergo Chriſtus eſt verus mediator quoad ſtatum, & naturam. Prob. ant. Nam inquit Nyſſenus: [1] *Cum Deo mixta, & temperata eſt humana natura, mediatore, ac ſequeſtre homine illo, qui eſt in Chriſto*. Et Chryſoſt. [2] dicit *Chriſtum ſimilem ei, qui ſe inter duos rixantes interponens, utramque naturam in amicitiam conſonavit, ſe impendens nobis a Patre ſupplicium ipſe ſuſtinuit.* Et Lactantius: [3] *Chriſtus fuit Deus, & homo, inter Deum, & hominem medius conſtitutus, ut hominem ad Deum perducere poſſet*. Et Auguſt. [4] *Chriſtus mediator Dei, & hominum dictus eſt inter Deum immortalem, & hominem mortalem; Deus, & homo reconcilians hominem*, &c. ergo ex PP. mediatio attenditur in Chriſto ex ipſa ejus naturæ conſtitutione, per quam mediat inter partes diſſidentes, ſc. Deum, & hominem, faciens in ſe *utraque unum*.

Prob. 2. ratione. Nam, ut inquit Irenæus: *Oportebat mediatorem Dei, & hominum per ſuam cum utroque propinquitatem ambos, Deum, & hominem in amicitiam, & concordiam adducere, ac Deo quidem repræſentare hominem; hominibus vero Dei communicare notitiam*: Certe purus Deus, præterquamquod erat offenſus, & quaſi pars erat averſa, & ultra omnem menſuram ſupra hominem, nec poterat ſatis congruenter negotiari pacem cum homine, & homo, vel creatura pura nimium diſtabat a Deo, ut poſſet apud illum intercedere; ſed Deus homo utrique incongruitati occurrit. Idem docent alii: nam inquit Auguſt. [5] *Ut mediator eſſet inter Deum, & homines, inter juſtum, & injuſtos, inter immortalem, & mortales, aſſumpſit aliquid ab injuſtis, & mortalibus, ſervans aliquid cum juſto, & immortali .... factus eſt in medio reconciliator dejiciens murum peccatorum noſtrorum*, qui murus dividebat inter Deum, & homines; ergo ex ſtatu, & conſtitutione Chriſti redditur aptus mediationi.

Prob. 3. p. de miniſterio ex dictis: nam omnia opera Chriſti ſunt vere opera mediatoris: omnia ſunt meritoria, omnia tendunt ad placandum nobis Patrem, ad impetrandam nobis miſericordiam; ad ſatisfaciendum pro nobis, ad docendos nos viam cœli, &c.

Objic.

(1) 1. *cont. Eunom.* [2] *hom. de aſſent.*
(3) *l.* 4. *c.* 25. (4) *l.* 3. *c.* 20. [5] *l.* 120. *diverſ.*

Objic. 1. Mediator nihil debet habere de partibus adverſis; ſed Chriſtus participat de partibus adverſis: eſt enim Deus, & homo, & habet de utraque; ergo non poteſt eſſe mediator.

Reſp. diſt. maj. quoad ea, quæ faciunt litem, conc. quoad participationem phyſicam entitatum, neg. maj. & conſ. Chriſtus participat quidem de homine quoad naturam phyſice, non autem quoad moralitatem litis, ſeu peccati, a quo penitus eſt immunis.

Objic. 2. Chriſtus non aliter hominem reconciliavit, quam per redemptionem, qua pretio ſanguinis, & vitæ nos redemit; ergo potius fuit mercator, quam mediator. Prob. conſ. Mediator non ſolvit de propriis, nec ad rigorem debitum, quod eſt occaſio litis; ſed vel obtinet remiſſionem debiti, vel moderatur ſolutionem apud creditorem; alias non eſſet compoſitio.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam ſive ex propriis ſolvat debitum ad rigorem, ſive intercedat pro redemptione, ſemper adeſt aliqua gratia creditoris obtenta per mediationem: nam creditor Deus non tenebatur nec mittere Chriſtum ut mediatorem, nec acceptare ejus ſatisfactionem pro reis.

CONCLUSIO II.

Chriſtus eſt mediator ut homo, ſeu ſecundum humanitatem ut ſubſiſtentem in Verbo.

Prob. 1. ex Script. Apoſt. [1] mediatorem Chriſtum vocat hominem; ergo &c. Prob. ant. *Mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum:* vides, quod dicitur *homo*, & quod deſignatur mediatio per donationem ſui in mortem. *Homo erat, & Deus*, inquit Hieron. *ſed quia de traditione erat dicturus, ideo hominem ſolum nominavit.* Item ex eodem Apoſt. [2] per eamdem naturam mediavit, per quam orta erat diſſenſio, ſc. per hominem. *Si enim ex unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei ... gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Item, [3] *Reconciliati ſumus per mortem filii ejus.* Item, *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.*

Prob. 2. ex PP. Aug. [4] *In quantum homo, in tantum me-*

[1] 1. *Tim.* 2. [2] *Rom.* 1.
[3] 1. *Cor.* 15. [4] 10. *confeſſ.* 23.

mediator. In quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & apud Deum. Et alibi: [1] *Seipſum obtulit in paſſione, ut tanti capitis corpus eſſemus ſecundum formam ſervi; hanc enim obtulit; ſecundum hanc oblatus eſt, quia ſecundum hanc ablatus eſt*. Et clariſſime: *Mediator Dei, et hominum, non in quantum Deus, ſed in quantum homo*. Idem docent Magiſter, [2] & Bonavent. [3]

Prob. 3. Per illam naturam mediavit, per quam diſtinguebatur a Deo offenſo, & creditore, & per quam oravit, & per quam ſatisfecit; ſed hæc præſtitit per humanitatem non ſeorſim, & abſtractive, ſed ut elevatam, & dignificatam per ſubſiſtentiam Verbi; ergo mediavit ut homo.

Objic. 1. Secundum eam naturam eſt mediator, per quam dirigit homines ad Deum, & liberat ab inferno, & ducit in cœlum, & vivificat animam, & mittit Spiritum Sanctum; ſed hæc facit ut Deus; ergo &c.

Reſp. diſt. min. ut Deus phyſice, & effective, conc. moraliter, & meritorie, neg. min. & conſ. nam mediatio maxime attenditur penes meritum, quo nobis obtinet illa bona. Hæc largitur ut Deus, impetrat ut homo. Dixi, *ut homo*, ſeu *per humanitatem ut ſubſiſtentem in Verbo*; quia humanitas præciſe, & ſeorſim a Verbo erat improportionata mediationi, & pertinebat pure ad naturam reconciliandam, in quo errabat Stancaranus quidam, volens Chriſtum ratione ſolius humanitatis eſſe noſtram juſtitiam.

Fructus autem mediationis ejus patebunt ex dicendis infra de merito, & ſatisfactione ejus.

QUÆSTIO IV.

De dignitate Redemptoris. An, & qualis Redemptor fuerit Chriſtus.

DIcitur de quodam Baſio, quod ſæculo primo, vel ſecundo errabat eo, quod negabat cum quibuſdam Judæis ſperandam eſſe ſalutem per Chriſtum; & de Abaillardo, quod negabat hominem per peccatum in ſervitutem diaboli incidiſſe, nec ad liberandum ab illa hominem veniſſe Chriſtum; quem errorem nuper ab

[1] 10. *Civ.* 7. [2] 3. d. 19. a. 2. q. 1. [3] 3. p. q. 26. a. 2.

ab inferis ſuſcitavit Socinus, docens, Redemptionem per Chriſtum eſſe tantum metaphoricam, non realem, & veram.

Igitur ſupponendum ex fide, homines per peccatum Adæ a libertate filiorum Dei cecidiſſe, & in ſervitutem diaboli incidiſſe: nam inquit Apoſt. [1] *Peccatores tenentur diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*. Ideo egebant Redemptore, qui eos ab illa captivitate liberaret; nam redemptio ſupponit vincula, captivitatem, ſeu ſervitutem, & ille redemptor eſt, qui aliquem ab eis liberat; & tanto glorioſior, & verior eſt redemptio, quanto gravior eſt captivitas, & miſeria captivorum.

CONCLUSIO I.

Chriſtus eſt verus hominum Redemptor, & quidem ut homo. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto, (2) qui hanc neceſſitatem, & veritatem, & univerſalitatem redemptionis docet, quia, inquit Leo Papa in ſerm. de Nativit. *Sicut a reatu neminem liberum reperit, ſic liberandis omnibus venit*.

Prob. 2. ex Script. cit. ex Apoſt. & aliis textibus, quibus docemur, quod Chriſtus aſcendens in cœlum (3) *captivam duxit captivitatem*; quibus verbis utitur etiam Apoſt. [4] & quod *eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii*, &c. ideſt, inquit Gloſſa, *eripuit ex inferno, in quo tenebamur a diabolo tam ex proprio, quam ex peccato Adæ*. Et quod per Chriſtum [5] *fecit Deus redemptionem plebis ſuæ ... ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati*, &c. Item [6] *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*, &c. Hujuſmodi teſtimoniis plena eſt Script.

Prob. 3. ex Concil. Dioſpolitano cap. 2. & Milevitano c. 2. Arauſicano II. c. 2. ex Gelaſio Papa I. epiſt. 6. & Innoc. II. qui confirmat condemnationem Abaillardi factam in Conclio Senonenſi, & denique ex Trid. [7] qui de peccato originali loquens ſtatuit: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei*

[1] 2. *Tim.* 2. [2] *d.* 19. *n.* 1.
[3] *Epheſ.* 4. [4] 1. *Tim.* 2.
[5] *Luc.* 1. [6] *Rom.* 3. [7] *ſeſſ.* 5.

Dei fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim .... incurriſſe iram, & indignationem Dei, & mortem, & cum morte captivitatem, &c. *anathema ſit*. Idem comminatur ei, qui dixerit illud idem peccatum ſoli Adæ nocuiſſe, & illud peccatum, ſicut & pœnas in omne genus humanum non transfudiſſe. Et in eum, qui dixerit idem [1] *per alind remedium tolli, quam per meritum unius corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos Deo reconciliavit in ſanguine ſuo, factus nobis juſtificatio, ſanctificatio, & redemptio*; ergo Chriſtus eſt vere Redemptor hominum.

Prob. 4. ex PP. qui unanimiter in id conſentiunt; pro omnibus ſtet Auguſt. *Poſſidebat genus humanum, & reos ſuppliciorum tenebat chirographo peccatorum, ſed per Chriſti ſanguinem, qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, millia credentium a dominatu liberantur diaboli*, &c.

Prob. denique ratione. Nam Redemptor ille verus eſt, qui vindicat aliquem a poteſtate alterius, a quo tenebatur captivus, vel cujus ſervituti ſubditus erat; ſed Chriſtus ut homo, & per mortem ſuam omnes homines liberavit a captivitate, & ſervitute peccati, & diaboli; ergo &c. Min. patet ex Euang. & omnibus libris Script. tam veteris teſtamenti, in quibus hæc redemptio prædicitur, & figuratur, quam novi, quibus facta fuiſſe narratur.

Objic. 1. Redemptio ſupponit captivitatem; ſed genus humanum non erat captivum, ſaltem vere, & proprie, ergo non potuit redimi vere. Prob. min. Nullibi enim conſtat de illa captivitate.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam Iſa. [2] vocat reos captivos ſub nomine filiæ Sion: *Induere veſtimentis gloriæ tuæ, ſolve vincula colli tui captiva filia Sion*; ideſt, inquit Gloſſa, *Ceſſet eſſe captiva redempta ab eo, qui venit*, &c. Et David: [3] *Cum averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ*. Idem probant allati textus, & alii innumeri novi teſtamenti.

Inſt. Scrip. non utitur verbo *redimere* in ſenſu litterali, ſed metaphorico pro libertate quovis modo, ſive per ſolutionem pretii, ſive per gratiam, & reconciliationem; alioqui Deus ipſe diceretur Redemptor populi Iſraelitici, quando eum eduxit de Ægypto,

[1] *ſeſſ.* 5. [2] *Iſai.* 52. [3] *pſal.* 13.

pto, & Moyſes diceretur ejuſdem redemptor. *Redemiſti in brachio tuo*, &c. *Dux fuiſti populo, quem redemiſti*; ergo redemptor idem eſt, ac liberator.

Reſpond. neg. conſeq. Nam uſurpatio metaphorica vocis alicujus non impedit, quin ordinarie ſumatur litteraliter, & quando ratio ſuadet eam ita eſſe ſumendam, ut in propoſito; imo non recurritur ad ſenſum metaphoricum, niſi quando non congruit litteralis: hic autem ſunt omnes conditiones redemptionis veræ. 1. captivus, ſcilicet homo. 2. detinens captivum, ſcilicet juſtitia Dei, & diabolus, ut miniſter illius. 3. Redemptor, ſcilicet Chriſtus. 4. pretium redemptionis, nempe ſanguis Chriſti, & mors ejus; ergo vox Redemptoris debet hic ſumi litteraliter, & in proprio ſenſu.

Objic. 2. Si homines fuiſſent redempti ab aliqua ſervitute, maxime per mortem Chriſti; ſed hoc dici non poteſt; ergo &c. Prob. min. Per id non potuerunt redimi, per quod ſunt facti magis rei ſervitutis, & mortis; ſed homines per mortem Chriſti facti ſunt magis rei, quam per ullum aliud peccatum ſive Adæ, ſive cujuſcumque alterius; ergo &c. Prob. min. Nam per illam mortem facti ſunt rei Deicidii.

Reſp. neg. min. & maj. 2. argum. Nam redemptio tam attenditur, ſaltem quantum ad ſufficientiam, ex diſpoſitione redimendorum, quam ex pietate, & merito redimentis; ad hoc ſufficit ſolutio juſti pretii, qualem exhibuit Chriſtus.

Inſt. Plus diſplicere debuit Deo Deicidium in hominibus, quam eſus pomi, & tranſgreſſio unius mandati in ſe levis, ſaltem ex materia; ergo mors Chriſti fuiſſet potius impedimentum, quam medium redemptionis.

Reſp. neg. conſ. Nam licet Deicidium ſumme diſplicuerit Deo in Judæis, & pro ipſis, qui erant privatæ perſonæ, plus diſplicuit peccatum Adæ ex circumſtantiis perſonæ repræſentantis totum genus humanum, & plus adhuc incomparabiliter placuit illi mors filii ſui adeo amanter ſibi oblata per ipſum, quam omnia peccata hominum diſpliceant.

Inſt. 2. Deus non potuit juſte exigere mortem filii innocentis pro redemptione omnium peccatorum; ergo nec iſti per eam redimi, nec Deus eam acceptare.

Reſp.

Reſp. neg.conſ. Nam licet Deus Pater non potuerit velle mortem illam, tamen potuit eam acceptare ex parte filii ut ſponte oblatam.

Objic. 3. Multi Patriarchæ, & Prophetæ ante adventum Chriſti fuerunt innocentes; ergo non erant redimendi.

Reſp.neg.conſ. quia illorum innocentia, & gratiæ, quibus ad eam pervenerunt ſanctitatem, erant fructus redemptionis futuræ, & prævifæ, & ex fide in Chriſtum venturum, ut dicemus infra.

Inſt.1. Non poteſt dici, in quo conſiſtat iſta captivitas; ergo nec qualis ſit illa redemptio. Prob. ant. Nam ſi dicatur conſiſtere in peccato, omnes adhuc peccant. 2. ſi in poteſtate diaboli ad tentandum, Adam, & Eva fuerunt tentati in paradiſo, & adhuc omnes tentationibus ſunt obnoxii; & ſi in mortalitate, adhuc omnes moriuntur; ergo nulla datur vera redemptio.

Reſpon.neg.ant.& conſ. prob. Nam captivitas non conſiſtit præcise in hoc, quod poſſimus peccare, vel quod diabolus poſſit nos tentare, nec quod ſimus mortales, ſed quod per peccatum incurrimus talem ſervitutem ſub diabolo, ut poſſit nos torquere in inferno, & facilius, & efficacius tentare ut inermes, & debiliores per amiſſionem juſtitiæ originalis, & auxiliorum divinorum, quæ non recuperamus, niſi intuitu redemptionis. Denique redemptio, ſicut nec juſtitia originalis non tollit libertatem peccandi, ſed affert media contra peccatum, ut ab ejus ſervitute egrediamur, cum cadimus, aut eam vitemus, ſi volumus uti gratiis, & auxiliis redemptoris.

Inſt. 2. Ad veram redemptionem pretium ejus debet ſolvi Domino, ſeu detentori captivorum; ſed hoc non reperitur in morte Chriſti: nam pretium non eſt ſolutum peccato, nec diabolo, ſed Deo Patri; ergo &c.

Reſp.neg.min.& conſ. prob. Nam Deus ſolus erat principalis creditor, & Dominus legitimus, cui debebatur pretium redemptionis; peccatum vero eſt detentor *ut quo*, & diabolus nos detinebat, ut miniſter juſtitiæ divinæ, non autem ut Dominus. Deus eſt, qui poteſtatem habet in corpus, & animam, & perdere utrumque in gehennam poteſt.

Objic.

Objic.4. Si captivitas, ex qua nos redemit,eſſet ſub diabolo, & peccato, non amplius tentaremur, nec duraret captivitas; ſed durat eadem: nam eodem modo tentamur, & inclinamur ad peccatum.

Reſp.diſt. min. Durat eadem ex defectu applicationis mediorum per redemptionem peccatorum, conc. abſolute, ita ut deſint nobis remedia contra illam captivitatem, neg. min. & conſ. eodem modo tentamur, ſubjacemus eidem fragilitati; ſed per merita redemptionis exhibentur nobis auxilia divina, quibus reſiſtere poſſumus, & vincere.

Objic.5.Si vera eſſet redemptio hominis a peccato, maxime ab originali, eſſet etiam ab omni pœna ejuſdem; ſed hoc falſum eſt: nam miſeriæ, & tribulationes, rebelliones appetitus, quæ ſunt pœnæ illius peccati, ſemper durant, etiam poſt baptiſmum, & alia ſacramenta; ergo non ſumus redempti a pœnis peccati, nec ab ejus captivitate.

Reſp.diſt.maj. a tota pœna æterna, & reatu ejus, conc. ab omnibus pœnis, & ærumnis hujus vitæ,neg. maj. & conſ.Principalis effectus, & pœna peccati originalis eſt reatus pœnæ æternæ; & ab iſto nos *redemit*, & liberat, ſi nobis applicemus pretium, & merita Redemptoris; aliæ autem ærumnæ, quamvis ſint ſequelæ peccati, manent tamen, non tam ut pœnæ, quam ut materia virtutum, & meritorum, & media ad ſalutem utentibus.

Objic.Chriſtus nos redemit ut homo, vel ut Deus; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob.min.1.non ut homo, quia ut homo erat redimendus. 2. non ut Deus: nam Deus erat creditor, & naturalis Dominus, a cujus ſervitute nemo poteſt velle liberari. Et præterea redemptio illa non magis eſſet opus Filii, quam Patris, & Spiritus Sancti.

Reſp. eſſe opus hominis in Verbo ſubſiſtentis,ut talis enim ſolvit pretium redemptionis, nempe ſanguinem crucis, & mortem ſuam obtulit. Deus quidem Pater filium unigenitum dedit incarnandum, & immolandum, Verbum ut ſuſtentans humanitatem *dignificat* opera Chriſti hominis, & ſpiritus indiviſim cum illis perſonis cooperatur,& acceptat pretium ſanguinis, & mortis ad deletionem peccati, & condonationem ejus. Uno verbo, opus redemptionis

effe-

effective eſt a tota Trinitate, & meritorie, & elicitive eſt ab homine Chriſto.

Hoc igitur ſenſu dictum eſt in concluſione, quod Chriſtus eſt redemptor ut homo, quatenus per humanitatem ut ſubſiſtentem in Verbo ſolvit pretium redemptionis, ſc. proprium ſanguinem, & mortem crucis, & meruit redemptionem peccatorum per eandem, & per alia opera totius vitæ ſuæ.

QUÆSTIO V.

An Chriſtus fuerit Rex, & qualis.

REx dicitur, qui habet ſupremam poteſtatem in rempublicam imperandi, regendi, leges condendi, & bona adminiſtrandi ad publicam utilitatem. Alius eſt *ſpiritualis*, qui habet jus ea præcipiendi, & ſtatuendi, quæ ad ſalutem, & bonum animarum, ad cultum divinum, & religionis decorem ſpectant. Alius *temporalis*, qui ea imperat, & adminiſtrat, quæ ad utilitatem externam, & temporalem reipublicæ pertinent; & hæc poteſtas adhuc duplex eſt juxta diſtinctionem duplicis dominii, ſc. *iuriſdictionis*, & *proprietatis*. Prior poteſtas dicitur illa, ſecundum quam Rex habet jus præcipiendi ea, quæ judicat utilia bono publico; poſterior vero, qua jus habet diſponendi de bonis omnibus Regni pro libitu ſuo, velut de propriis ſuis rebus abſque injuria particularium, vel communitatis, etiam ad privatam utilitatem. Iſtius generis poteſtas non datur inter homines, ſaltem chriſtianos: non enim ſtat cum libertate ſubditorum; ſed iſti eſſent penitus ſervi, ac mancipia.

Rurſus poteſtas temporalis alia *directa*, quæ primario, & immediate, & per ſe reſpicit temporalem politiam, & bona populorum; alia *indirecta*, quæ reſpicit temporalia ſecundario tantum, quatenus ſc. habent connexionem quandam cum ſpiritualibus, ad quæ poteſtas illa directe ſe extendit, & quatenus uſus rerum externarum conducunt ad bonum ſpirituale Eccleſiæ, & animarum; nec ad hoc neceſſariæ ſunt duæ poteſtates, ſed una, eademque ſufficit, quæ directe ſpiritualia curet, & indirecte, ac ſecundario temporalia.

Quæ-

Quæritur ergo hic, an Chriſtus fuerit proprie Rex non tantum ſpiritualis animarum, & poteſtatem ſupremam, & excellentiæ habens in univerſam Eccleſiam, ſed etiam temporalis habens dominium directe, & juriſdictionis, aut proprietatis in Judæos, vel alios populos, imo & in omnes reges univerſi.

Certum eſt autem 1. quod ſecundum divinitatem utrumque habebat dominium; ſed hoc erat illi commune cum aliis perſonis divinis, nec de hoc dubitat ullus: nam titulo creationis, *Meæ ſunt omnes feræ ſylvarum ......* Et, *Si eſuriero, non dicam tibi*: *meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus*. Quæſtio eſt ſolum de Chriſto homine.

Certum eſt 2. Chriſtum habuiſſe ſummam aliquam, & excellentem poteſtatem ſuper omnes creaturas, ita ut eis poſſet imperare ad arbitrium ſuum. Unde legimus, quod imperabat ventis, & mari, & hæc obediebant ei: imperabat febribus, & obediebant: & mortuis, *Adoleſcens tibi dico ſurge, & ſurrexit, qui erat mortuus*: præſidebat Angelis, *qui miniſtrabant ei*, &c. Quod maxime conveniebat ei ſecundum divinitatem, & humanitatem quatenus unitam Verbo, & per communicationem idiomatum: nam inquit Apoſt. [1] *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: ipſum conſtituit caput ſuper omnem Eccleſiam*. Et ipſe dicit: [2] *Data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. Et iterum: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*; ſed videndum, an ſit ſpiritualis, an temporalis.

Certum eſt 3. Chriſtum non habuiſſe dominium proprietatis in alia regna mundi, ſed potius alios reges reliquiſſe in ſuis dominiis; unde reſpondit Judæis tentantibus eum, [3] *ſi liceret dare cenſum Cæſari*: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, &c. Et ipſe paupertatem profeſſus eſt cum Apoſtolis. Loquor autem de facto: nam de poſſibili nullus dubitat, quin Deus potuiſſet Chriſto homini intuitu unionis hypoſtaticæ conferre dominium proprietatis etiam temporalis in univerſum mundum, quod tamen non fecit. His ſuppoſitis, ſit

CON-

[1] *Epheſ.* 1. [2] *Matth.* 27.
[3] *Matth.* 23.

CONCLUSIO I.

CHriſtus vere fuit Rex, maxime ſpiritualis, imo & probabiliter temporalis, ſaltem in actu primo, non ſecundo, & quoad uſum. Eſt de fide quoad primam partem.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui agnoſcit in Chriſto dominium ſupremum ſub dominio Dei: nam voluntas Chriſti *non imperat quidem principaliter, ſicut nec principaliter dominatur; tamen bene imperat, ſicut habens dominium reſpectu imperati; ſed commiſſarie imperat, quia imperat, ut habens dominium ſubordinatum ſupremo dominio Dei;* & adhuc ſic imperat, quod imperium ejus efficaciam completam habeat ab eadem perſona.

Prob. 1. ex Script. in qua ſæpiſſime titulo Regis inſignitur, ut cum David in ejus perſona dicit: [2] *Ego autem conſtitutus ſũ Rex ab eo*, ſc. Deo Patre. Et Jerem. prædixit: [3] *Regnabit Rex, & ſapiens erit.* Et Zachar. *Ecce Rex tuus veniet tibi.* Et Angelus ad Mariam: [4] *Filius Altiſſimi vocabitur; dabit illi Dominus ſedem David patris ejus, & regnabit in æternum.* Et Pilato reſpondet ipſe: *Tu dicis, quia Rex ſum ego,* & de ſeipſo venturo judice: (5) *Dicet Rex his, qui a dextris erunt.* Item dicitur *Princeps Regum terræ;* ergo ex Script. Chriſtus vere eſt Rex, ſaltem ſpiritualis.

Prob. 2. ex Concil. & PP. Nam in Symb. Nicæno, & Conſtant. I. dicitur: *Cujus regni non erit finis.* Et univerſa Eccleſia eum agnoſcit. ut *Regem regum,* & ut *Regem pacificum.* Et, ut notat Clem. Alexandr. (6) *Chriſtus Rex ab imperitis pueris Judæis pronuntiatus .... & ab ipſis Prophetis prædicatus oſtenditur.* Et Hieron. (7) *Regem Chriſtum in ſua claritate videbit, de quo ſupra dicitur; Ecce Rex tuus regnabit.* Et Auguſt. (8) *Filius Dei, qui fecit nos, factus eſt inter nos, & Rex noſter regit nos ... ille unctus eſt & Rex, & ſacerdos: Rex pugnavit pro nobis, ſacerdos obtulit ſe pro nobis.* Et ſic de aliis, & Theologis communiter.

Prob.

[1] 4.*d*.48.*q*.1.*E*.*n*.8. [2] *pſal*.2.
[3] *Jer*.23. [4] *Luc*.1.
[5] *Matth*.25. [6] 1.*Strom*.
[7] *Iſa*.33. [8] *Pſal*.49.

Prob. ratione. Nam Chriſtus vere exercuit in hoc mundo poteſtatem ſupremam, & excellentiæ in Eccleſiam, quam ipſe fundavit, rexit, & inſtruxit ſanctiſſimis legibus; in ea conſtituit Doctores, Sacerdotes, & Paſtores, & munivit ſacramentis, quæ omnia ſunt acta ſupremæ juriſdictionis, & dominationis ſpiritualis; ergo &c.

Prob.2.p. de juriſdictione temporali. Et 1. non eſt dubium de dominio directo, & ſecundario: nam multa præcipit temporalia, & quæ ad politiam civilem pertinent, & hæc ſaltem indirecte, quatenus connexionem habent cum bono regimine animarum, & Eccleſiæ.

Prob.2. abſolute. Nam licet illa poteſtas in temporalibus non videbatur neceſſaria ad finem redemptionis, nec neceſſario connexa cum unione, tamen ſatis congruere videbatur dignitati filii Dei, ſaltem quoad actum primum, & ſufficit ejus poſſibilitas, ut hanc in eo aſſeramus; ergo probabile eſt eum fuiſſe Regem etiam temporalem in actu primo.

Dixi autem, *ſaltem quoad actum primum*, quia non legimus, quod uſus ſit ea poteſtate; imo potius eam ſibi ineſſe negavit, cum dixit: [1] *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: quaſi diceret, inquit Auguſt. [2] *Audite Judæi, & gentes; audi circumciſio, audi præputium ... non impedio dominationem veſtram in hoc mundo ... credendo, venite, & nolite ſervire metuendo*. Item dixit: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam pro multis*, ſc. non venit exercere imperium, ſed ſervitutem.

Prob.4. Quia teſtimonia Script. non limitant eam dignitatem ad ſpiritualia, vel ad temporalia, ut patet; ergo &c. Prob. ant. Nam dicitur [3] Princeps Regum terræ, Rex regum: & Apoſt. [4] *Omnia ſubjecta ſunt ei, præter eum, qui ſubjecit ei omnia*. Et denique: [5] *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, ſc. omnia dicit, & nihil excludit; ergo valde probabile eſt eum fuiſſe abſolute Regem tam temporalem, quam ſpiritualem quoad juriſdictionem, & in actu primo.

Obji.con.1.par. Chriſtus nequidem poteſtate ſpirituali uſus eſt in hac vita; ergo ne quidē in ſpiritualibus fuit

[1] *Jo.18.* [2] *tr.115. in Jo.* [3] *Apoc.1. & 19.* [4] *1.Cor.15.* [5] *Matth.28.*

ſuit Rex prob. ant. nam alium titulum non aſſumpſit, niſi magiſtri, & Prophetæ. *Unus eſt magiſter veſter Chriſtus*. Et ideo *cœpit facere, & docere*. Et de facto Euang. dicit, quod *docebat*, quod non eſt munus Regis, ſed imperare; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. prob. docebat aliquando, & ſimul præcipiebat, con. docebat pure nihil ſtatuens, & nullas condens leges, neg. maj. & conſ. docebat quidem, ſed, cum opus erat, præcipiebat; *ſi præcepta mea ſervaveritis: hoc eſt præceptum meum. Ego autem dico vobis, diligite* &c. Et pœnas comminatur non facientibus præcepta; *qui non crediderit, condemnabitur .... niſi manducaveritis, non habebitis vitam* &c.

Objic. con. 2. p. Si fuiſſet Rex temporalis, id fuiſſet jure hæreditatis, vel electionis, vel acquiſitionis, vel ſpecialis conceſſionis; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam hoc habuit ex conceſſione ſpeciali divina, intuitu unionis hypoſtaticæ.

Inſt. Non uſus eſt illa poteſtate; ergo nec eam habuit, alioqui fruſtra illam habuiſſet.

Reſp. diſt. ant. non eſt præciſe, ſpecialiter, ac directe quoad temporalia, con. abſolute, & ſaltem indirecte, neg. ant. & conſ. nam ſufficit, quod dederit leges ſpirituales, quæ perfecte ſervari non poſſunt ſine actibus, & obſervantia temporalium; imo & temporaliter, ac politice loquebatur, cum præcipiebat: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari* &c.

Objic. 2. Si Chriſtus fuiſſet Rex temporalis ullo modo, id etiam tribueretur Papæ ejus Vicario; ſed hoc falſum eſt, nam extra territorium ejus temporale nullam exercet juriſdictionem temporalem; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam vicarius ejus non habet majorem poteſtatem, quam quæ illi delegata eſt a Chriſto, & hæc eſt pure ſpiritualis, & ſuper Eccleſiam. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et, *paſce oves meas*. Imo nec tantam poteſtatem ſpiritualem ei delegavit, v. g. inſtituendi ſacramenta, & condendi novum Euangelium.

Objic. 3. Si fuiſſet Rex temporalis ratione unionis hypoſtaticæ, & ex conceſſione divina, fuiſſet Mo-

narcha univerſi, & ſic ceſſaſſet poteſtas aliorum omnium; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Quia Chriſtus non utens illo dominio non abſtulit aliis uſum ſuæ poteſtatis. 2. quia cum hæc juriſdictio eſſet in Chriſto ſupereminens, & ſupernaturalis, & univerſaliſſima, non auferebat ab aliis ordinariam, & ſubalternam in ordine inferiori, & politico naturali, & particulari, ut mox dicebamus cum Auguſt. cum dixit: *regnum meum non eſt de hoc mundo, quoad uſum tacite dixit ad omnes reges terræ; nolite timere, non impedio dominationem veſtram.*

CONCLUSIO II.

Probabilius eſt Chriſtum non fuiſſe Regem temporalem Judæorum hæreditario jure. Eſt communior contra Armacanum, & Abulenſem.

Prob. 1. ex Script. qua conſtat diu ante adventum Chriſti regiam poteſtatem ceſſaſſe in familia David, & apud Judæos a quingentis annis, & hoc ex divino judicio: nam ex multis ſæculis regebantur per ſacerdotes ex genere Machabæorum; ergo &c. Probatur ant. nam apud Jeremiam de Jeconia, qui fuit ultimus, [1] *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David.*

Prob. etiam conſ. Nam jus regni ad Chriſtum non poterat venire, niſi per Mariam Matrem, quæ quidem erat de ſtirpe David; ſed jus regni forte non veniebat per fœminas; nec forte iſta erat propinquior in linea deſcendentium, nec per conſequens legitima hæres, ut poſſet tranſmittere illud in filium; ergo non erat Rex jure hæreditario.

Dices. Poterat ad eum pervenire per Joſeph, qui erat de ſtirpe David, pater putatitius, vel etiam adoptivus Chriſti.

Contra. Tum quia jus illud non tranſmittitur per adoptionem in præjudicium naturalium; tum quia non conſtat Joſeph fuiſſe propinquiorem ad ſuccedendum; nec illi jus illud fuiſſe devolutum.

Prob.

[1] *Jer. c. 22.*

Prob. 2. Quia SS. PP. non agnoſcunt aliud regnum in Chriſto, quam ſpirituale, nec ipſe Chriſtus aliud prætendebat; ergo non habuit jus ad temporale titulo hæreditatis. 1. p. ant. patet ex eo, quod illud occupant circa regimen animarum per exempla, & documenta virtutum, & merita gratiarum, & leges, & præcepta Euangelica: nam inquit Auguſt. *Rex noſter eſt J. C. qui nobis & pugnandi, & vincendi præbuit exemplum, in carne noſtra mortali peccata ſuſcipiens tentationibus inimici, neque ille tenebroſis, neque terribilibus cedens* &c. Hæc bella ſunt ſpiritualia, ſicut & victoriæ, & arma.

Prob. 2. p. ejuſdem ant. ex ipſius Chriſti verbis, & facto: nam cum duo diſcipuli dixiſſent ei, quod ſperabant eum [1] *eſſe redemturum Iſrael* a Tyrannide Romanorum, ipſe arguit eos ſtultitiæ, & incredulitatis, eo quod temporalem ſperarent ab eo redemptionem, non autem ſpiritualem, qualem operatus erat per mortem: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum* &c. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati?* &c. ergo ipſe Chriſtus non prætendebat jus ad regnum temporale Judæorum.

Objic. ex Script. [2] Chriſtus dicitur *Princeps regum terræ, & habens in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium*. Et, [3] *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, &c. Quod repetit Apoſt. [4] de Chriſto, & Angelus promittit Mariæ. *Dabit illi Dominus ſedem David*. Et Iſaias [5] prædicit eum ibi ſeſſurum *ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit*. Et Jerem. [6] *ſuſcitabo David germen juſtum*. Et denique pueri Hebræorum divino affectu clamant, [7] *Hoſanna filio David, o Rex Iſrael*; ergo hæreditario jure erat Rex Iſrael.

Reſp. neg. conſ. nam textus allati debent intelligi de regno ſpirituali, non de temporali, ſc. pro regno temporali Davidis promittitur illi filius, qui per ſpiritualem, & auguſtiorem, & ſanctiorem poteſtatem regnaturus erat, quod impletur in Chriſto. Id prob. ex reſponſo Chriſti ad Pilatum: (8) *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, nam ut notat Cyrillus, & alii

S 2 PP.

[1] *Luc.* 24. [2] *Apoc.* 1. & 19.
[3] *Pſ.* 2. [4] *Luc.* 1. [5] *Iſa.* 9. [6] *oenem.* 13.
[7] *Jo.* 12. [8] *l.* 12. *Jo.* 10.

PP. *Chriſtus Pilato reſpondens non negat ſe eſſe Regem; mentiri enim non poteſt, ſed regno Cæſaris non eſſe hoſtem oſtendit, quia principatus ſuus mundanus non erat.*

Objic. Plures PP. agnoſcunt illud jus in Chriſto. Athan. cum *dixit Dominus Domino meo* &c. *accepit his verbis thronum David corporaliter, & ratione proſapiæ, qua David illi pater fuit*. Quod etiam cenſent alii plures, ut Epiphan. Auguſt. Greg. ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nam PP. illi docent quidem, quod regnum David aliqualiter perſeveraverit uſque ad Chriſtum ſive per ſacerdotes, ſive per judices, & quod Chriſtus ſucceſſit etiam, ſed per dominationem, & poteſtatem ſpiritualem, non vero temporalem, quam de facto, & quoad uſum non habuit, ut apud omnes conſtat. Hoc igitur ſenſu loquitur Athan. ſc. quod (1) *ratione proſapiæ regnum* accepit ſpirituale pro temporali, quod habuit pater ejus. Sic etiam acclamatur Rex Iſrael; (2) *non ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hoſtes viſibiliter domandum, ſed Rex Iſrael; quod mentes regat* &c. ait Auguſt.

Objic. 2. Melchiſedech fuit figura Chriſti; ſed ille fuit ſimul Rex temporalis, & ſacerdos; ergo & Chriſtus; ſed non fuit Rex niſi Judæorum, nec alio tit. quam hæreditatis; alioqui non bene eſſet per illum adumbratus: ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & prob. Nam ſufficienter ſalvatur adumbratio, quatenus Chriſtus fuit verus ſacerdos ſeipſum offerens in pane, & vino, ſicut ille, & quatenus fuit Rex pacis, & juſtitiæ, ut ſignificatur, cum dicitur *Rex Salem*.

CONCLUSIO III.

D*ignitas regia convenit Chriſto, ut homo eſt*. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Script. Nam in Davide loquitur ut homo, & ſecundum humanitatem, cum dicit, (3) *ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*. Nam ut Deus, & ſecundum divinitatem non accepit eam dignitatem ex dono Patris, vel conſtitutione libera, ſed ex natura, &

(1) *ſer. de Deip.* (2) *Tract. 1. 5. 70.* (3) *Pſ. 2.*

& ex vi ſuæ generationis; quod magis patet ex ſequentibus verbis, quibus inducitur Deus Pater dicens illi, *poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam* &c. Nam ſecundum Deitatem Chriſtus non poſtulat, nec egebat precibus ad hæc obtinenda.

Confir. Nam dicitur, quod ejus *imperium eſt ſuper humerum ejus*: ſc. propter Crucem, quam portat ut homo. Item, *noviſſime loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum*, id eſt, inquit Gloſſa, [1] *poſſeſſorem omnis creaturæ*. Et Theodoretus: *hæres enim omnium eſt Chriſtus Dominus, non ut Deus, ſed ut homo*. Similiter intelligi debet de illo, ut homine, quod dicit Apoſt. [2] *omnia ſubjecta ſunt ei præter eum* (ſc. Patrem) *qui ſubjecit ei omnia: tunc & ipſe filius ſubjectus erat ei*, ſc. Patri, *qui ſubjecit ſibi omnia*: nam ſecundum Deitatem Chriſtus non eſt ſubjectus Deo patri, ſed omnino æqualis; ergo hæc dignitas regia in omnibus cõvenit Chriſto, ut homo eſt.

Confir. 2. *Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manus*, inquit ipſe; ergo hæc accepit, ut homo. Nam inquit Euthymius, [3] *tamquam Deus omnia habebat... hæc tamen dedit etiam ei tamquam homini*; ergo accepit a Patre regnum in univerſas creaturas, & maxime ſpirituale, ut homo,

QUÆSTIO VI.

An fuerit legiſlator, & judex.

Ex dictis de poteſtate regia Chriſti ſatis liquet de legiſlativa; nam ad Regem, & Monarcham ſpectat condere leges, ſecundùm quas recte adminiſtret regnum, & ſub quibus recte vivant ſubditi. De quo diximus in tract. de legibus, & quærimus, an talis poteſtas fuerit in eo.

Quantum ad poteſtatem judiciariam, ſuppono, quod in judice requiritur primo *Pietas, & religio*; nam inquit Caſſiod. [4] *abſit a judiciariis mentibus aliquid profanum*. 2. *integritas*, nam inquit Philo: [5] *oportet judicem plenum eſſe juſtitiæ, ut adeuntes ad ſe iis, quæ ſunt juſta, reſpergat*. 3. *ſcientia*, ſeu rei judicandæ perfecta notitia; nam, inquit Albinus, [6] *nemo*

[1] *Hebr.* 2. [2] 1. *cor.* 15. [3] *Jo.* 3. [4] *lib.* 1. *var. c.* 12. [5] *lib. de Jud.* [6] *de virt. c.* 20.

mo principum ſtultos, vel improbos judices ponere debet: nam ſtultus per ignaviam ignorat juſtitiam, improbus per cupiditatem ſubvertit ipſam, quam didicit veritatem. Et Chriſtus, (1) *nolite judicare ſecundum faciem, ſed* &c. 4. *animi fortitudo* contra tentationes cupiditatis, aut reſpectuum humanorum. *Noli fieri judex, niſi valeas diſrumpere iniquitates, nec forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*. Unde citatus Albinus: *Quatuor modis juſtitia in judiciis ſubvertitur, timore, cupiditate, odio, & amore*. Sed ſupra omnes iſtas conditiones requiritur poteſtas, ſeu juriſdictio. Nam inquit Scotus: *(2) judicium requirit dominium in judicante*.

CONCLUSIO.

IN *Chriſto, ut homine, fuit poteſtas legiſlativa*. Eſt de fide contra Lutherum, & alios, qui docent eum fuiſſe tantum conſolatorem, & auxiliatorem.

Prob. 1. ex Scoto, qui docet leges Chriſti ſuaves, & leves eſſe pre legibus Moſaicis, citans illud, *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Et quod in lege Euangelica *cæremonialia ſunt multo pauciora, & leviora, quæ impoſita ſunt per Chriſtum ... & judicialia nulla impoſita ſunt per Chriſtum, ſed magis eſt lex mititatis & humanitatis* &c. Denique docet legem novam de facto eſſe a Chriſto latam, & ipſum eſſe de facto legiſlatorem.

Prob. 2. ex Script. dicitur (3) *legifer noſter*, & prædicitur, quod *de Sion exibit lex*, ſc. nova, ſeu Euangelica. Et ipſe præcepit Apoſtolis: [4] *docete omnes gentes ... ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*: Item, *mandatum novum do vobis*. Item ex omnibus locis, quibus conſtat eum inſtituiſſe ſacramenta; nam ea indicant ſummam, & excellentiſſimam poteſtatem præcipiendi, & inſtituendi. Et denique totum Euangelium plenum eſt ſalutaribus, & ſanctiſſimis præceptis, & legibus, quæ dicit ex charitate ſervanda, *qui diligit me, ſermonem meum ſervabit* &c.

Prob. 3. ex dictis de lege nova, quam diximus latam a Chriſto, & ex quæſt. præcedenti; nam in rege eſt

[1] *Eccl.* 7. [2] 4. *d.* 68. *q.* 1. [3] *Iſa.* 33. [4] *Matth.* 28.

eſt vera poteſtas ferendi leges neceſſarias in rege, & miniſtris ejus pro bono regimine, & in ſubditis ad recte vivendum.

Quod autem hoc habuerit, ut homo, patet ex dictis; nam hæc poteſtas data eſt illi cum aliis; ſed omnis poteſtas data eſt illi, ut homini; nam ut Deus ex ſe habebat illam; ergo &c.

Objic. pro Luthero. Status legis gratiæ eſt ſtatus libertatis: *non enim ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberavit*; ergo Chriſtus non dedit legem ullam, cui ſubjiciamur in conſcientia.

Reſp. diſt. ant. libertatis a ſervitute legis veteris, quæ dura erat, & a ſervitute peccati, ex qua nos liberat per gratiam, con. a ſubjectione omnis legis, neg. ant. per legem ſacramentorum liberamur a ſervitute peccati, & per totam legem Euangelicam traduntur præcepta, quibus eam ſervitutem vitamus, aut ab ea liberamur, ſed tamen *jugum*, ſed *ſuave*, ſed *leve*.

CONCLUSIO II.

Chriſtus, habet veram poteſtatem judiciariam minus principalem, ut homo, & eam exercebit ſaltem in fine mundi.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) *poteſt accipi judicare non ſic omnino principaliter* (quod proprium eſt Deo) *ſed commiſſarie, vel ſubauthentice excellenter excellentia ſingulari, quaſi non poſſet eſſe alia auctoritas commiſſaria ſuperior, & hoc modo concedo, quod Chriſtus ſecundum humanam naturam judicat* &c. ergo agnoſcit in Chriſto homine judiciariam poteſtatem, & quidem ſupremam poſſibilem ſub Deo.

Prob. 2. ex Script. (2) *ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium juſtum*. Idem prædicebat David: [3] *Judicabit orbem terræ in juſtitia, & populos in æquitate*. Id clarius ipſe Chriſtus, qui deſcribit pompam ſecundi adventus ſui, ut judicis. [4] *Cum venerit filius hominis in majeſtate*. Et, [5] *videbunt filium hominis venientem in poteſtate*. Item, [6] *Pater omne judicium dedit filio, quia filius hominis eſt*. Et de illo dicitur,

S 4 [1] *con-*

[1] *4. diſt. 41. q. 1. E. n. 8.* [2] *Jerem. 23.* [3] *Pſ. 97.* [4] *Matth. 25.* [5] *Luc. 22.* [6] *Jo. 4.*

[1] *conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum*; ergo &c.

Prob.3.Nam in Chriſto ſunt omnes conditiones veri, & optimi judicis: 1. pietas, & religio, ut patet ex dictis de ſumma ejus ſanctitate. *Qui peccatum non fecit* &c. Unde Clemens Alexan. [2] *ſolus Dei filius judex eſt, quod neque peccare poteſt, & ab humanis animi perturbationibus penitus eſt liber*: 2. Integritas. Nam inquit Deus Pater per Iſaiam, [3] *dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proferet, non clamabit, neque accipiet perſonam ... calamum quaſſatam non conteret* &c. 3. ſcientia, *non enim ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet* &c. Et ex mox dictis *Pater dedit ſpiritum ſuum ſuper eum*; ut ſcilicet non decipiatur in judicando, & ut loquitur Ambroſ. *oculus Domini lucidior ſole occulta omnia deprehendit, tenebroſa illuminat, & intimi cordis penetrat conſcientiam, atque in alta, & profunda deſcendit*. 4. Denique fortitudo, nam tantum abeſt, ut poteſtates humanas formidet, quin potius cœleſtes ipſæ poteſtates pertimeſcunt, & *non intrepide illa ſtabunt, virtutes cœlorum movebuntur*.

Prob. 2. p. Nam ut dicebamus ex Scoto, poteſtas primaria, & principalis judicandi propria eſt ſoli Deo, quia ſoli Deo proprium eſt ſcire, & determinare, quid unicuique reddendum ſecundum merita, ſive perfecto dictamine intellectus, ſive completa determinatione voluntatis, ſive abſoluta, & ineluctabili potentia executionis judiciorum tam ad præmii poſſeſſionem concedendam, quam ad pœnarum infligentiam.

Confir. Nam judicabit ut Dominus dominio, quod meruit per redemptionem; ſed iſtud non fuit dominium ſupremum, & principale ſecundum hominem, ſed ſub divino; ergo & poteſtas judiciaria.

Confir. 2. ex ipſius Chriſti oraculo. Nam fatetur, quod non a ſe habet omnem poteſtatem, ſed ex dono Dei Patris. *Data eſt mihi omnis poteſtas* &c. Et, *omne judicium dedit filio*. Et, *conſtitutus eſt judex vivorum, & mor-*

[1] *Act*.10. [2] 1.*pædago*.2.*c*.42.
[3] *Iſa*.42.

& mortuorum excellentiſſima, & ſpeciali commiſſione Dei Patris.

Prob. 2. p. Non enim legimus, quod hac poteſtate uſus ſit in primo ſuo adventu, ſed potius voluit judicari. Et de facto cum adducta fuiſſet ad eum mulier adultera, ut in eam ferret ſententiam juxta legem, noluit eam judicare, ſed dixit, *nemo te condemnavit, neque ego te condemnabo*. Item, cum ſe judicem dixit, loquebatur de futuro. *Tunc videbunt filium hominis*. Et, *cum venerit in majeſtate*, ſc. 1. adventus fuit in humilitate, ut judicetur; 2. in majeſtate, ut judicet.

Objic. 1. con. 1. p. Ipſe ſe negat judicem; ergo non eſt. Prob. ant. [1] *non veni, ut judicem mundum, ſed ut vivificem*. Et de Patre, qui dedit filium, *non ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*.

Reſp. diſt. ant. negat ſe judicem ſecundum præſentem ſtatum, & adventum, con. abſolute, & ſimpliciter, neg. ant. & conſ. Loquitur de præſenti adventu, in quo non exercuit judicium, nos vero abſolute, quatenus deſtinatus eſt a Patre ad judicandos vivos, & mortuos in futuro.

Objic. con. 3. p. [2] *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Item ſinguli judicantur in inſtanti mortis, ſcilicet judicio particulari; ſed non judicatus eſt, niſi a Chriſto; ergo jam functus eſt officio judicis.

Reſp. diſt. maj. jam judicatus eſt judicio generali ex ſententia lata in Adamo, & alibi contra peccatores, vel habet in ſe cauſam ſuæ condemnationis, con. judicio explicito, & formali, neg. maj. & conſ. nam, inquit Chryſoſt. *quemadmodum homicida etſi judicis ſententia ſit indemnatus, damnatur tamen ipſius rei natura, ita & incredulus:* vel, ut loquitur Hugo Cardin. *habet in ſe cauſam ſuæ damnationis*. De judicio autem particulari nihil ad nos in præſenti; nam illud, de quo loquimur, erit ſolemne, & viſibile.

S 5 QUÆ-

[1] *Jo. 12. & 3.* [2] *Jo. 3.*

narcha univerſi, & ſic ceſſaſſet poteſtas aliorum omnium; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Quia Christus non utens illo dominio non abſtulit aliis uſum ſuæ poteſtatis. 2. quia cum hæc juriſdictio eſſet in Chriſto ſupereminens, & ſupernaturalis, & univerſaliſſima, non auferebat ab aliis ordinariam, & ſubalternam in ordine inferiori, & politico naturali, & particulari, ut mox dicebamus cum Auguſt. cum dixit: *regnum meum non eſt de hoc mundo, quoad uſum tacite dixit ad omnes reges terræ; nolite timere, non impedio dominationem veſtram.*

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt Chriſtum non fuiſſe Regem temporalem Judæorum hæreditario jure. Eſt communior contra Armacanum, & Abulenſem.

Prob. 1. ex Script. qua conſtat diu ante adventum Chriſti regiam poteſtatem ceſſaſſe in familia David, & apud Judæos a quingentis annis, & hoc ex divino judicio: nam ex multis ſæculis regebantur per ſacerdotes ex genere Machabæorum; ergo &c. Probatur ant. nam apud Jeremiam de Jeconia, qui fuit ultimus, [1] *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David.*

Prob. etiam conſ. Nam jus regni ad Chriſtum non poterat venire, niſi per Mariam Matrem, quæ quidem erat de ſtirpe David; ſed jus regni forte non veniebat per fœminas; nec forte iſta erat propinquior in linea deſcendentium, nec per conſequens legitima hæres, ut poſſet tranſmittere illud in filium; ergo non erat Rex jure hæreditario.

Dices. Poterat ad eum pervenire per Joſeph, qui erat de ſtirpe David, pater putatitius, vel etiam adoptivus Chriſti.

Contra. Tum quia jus illud non tranſmittitur per adoptionem in præjudicium naturalium; tum quia non conſtat Joſeph fuiſſe propinquiorem ad ſuccedendum; nec illi jus illud fuiſſe devolutum.

Prob.

[1] *Jer. c. 22.*

Prob. 2. Quia SS. PP. non agnoſcunt aliud regnum in Chriſto, quam ſpirituale, nec ipſe Chriſtus aliud prætendebat; ergo non habuit jus ad temporale titulo hæreditatis. 1. p. ant. patet ex eo, quod illud occupant circa regimen animarum per exempla, & documenta virtutum, & merita gratiarum, & leges, & præcepta Euangelica: nam inquit Auguſt. *Rex noſter eſt J. C. qui nobis & pugnandi, & vincendi præbuit exemplum, in carne noſtra mortali peccata ſuſcipiens tentationibus inimici, neque ille tenebroſis, neque terribilibus cedens* &c. Hæc bella ſunt ſpiritualia, ſicut & victoriæ, & arma.

Prob. 2. p. ejuſdem ant. ex ipſius Chriſti verbis, & facto: nam cum duo diſcipuli dixiſſent ei, quod ſperabant eum [1] *eſſe redemturum Iſrael* a Tyrannide Romanorum, ipſe arguit eos ſtultitiæ, & incredulitatis, eo quod temporalem ſperarent ab eo redemptionem, non autem ſpiritualem, qualem operatus erat per mortem: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum* &c. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati?* &c. ergo ipſe Chriſtus non prætendebat jus ad regnum temporale Judæorum.

Objic. ex Script. [2] Chriſtus dicitur *Princeps regum terræ, & habens in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium*. Et, [3] *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, &c. Quod repetit Apoſt. [4] de Chriſto, & Angelus promittit Mariæ. *Dabit illi Dominus ſedem David*. Et Iſaias [5] prædicit eum ibi ſeſſurum *ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit*. Et Jerem. [6] *ſuſcitabo David germen juſtum*. Et denique pueri Hebræorum divino affectu clamant, [7] *Hoſanna filio David, o Rex Iſrael;* ergo hæreditario jure erat Rex Iſrael.

Reſp. neg. conſ. nam textus allati debent intelligi de regno ſpirituali, non de temporali, ſc. pro regno temporali Davidis promittitur illi filius, qui per ſpiritualem, & auguſtiorem, & ſanctiorem poteſtatem regnaturus erat, quod impletur in Chriſto. Id prob. ex reſponſo Chriſti ad Pilatum: (8) *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, nam ut notat Cyrillus, & alii

[1] *Luc.* 24. [2] *Apoc.* 1. & 19.
[3] *Pſ.* 2. [4] *Luc.* 1. [5] *Iſa.* 9. [6] *oenem.* 13.
[7] *Jo.* 12. [8] *l.* 12. *Jo.* 10.

PP. *Chriſtus Pilato reſpondens non negat ſe eſſe Regem; mentiri enim non poteſt, ſed regno Cæſaris non eſſe hoſtem oſtendit, quia principatus ſuus mundanus non erat.*

Objic. Plures PP. agnoſcunt illud jus in Chriſto. Athan. cum *dixit Dominus Domino meo* &c. *accepit his verbis thronum David corporaliter, & ratione proſapiæ, qua David illi pater fuit.* Quod etiam cenſent alii plures, ut Epiphan. Auguſt. Greg. ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nam PP. illi docent quidem, quod regnum David aliqualiter perſeveraverit uſque ad Chriſtum ſive per ſacerdotes, ſive per judices, & quod Chriſtus ſucceſſit etiam, ſed per dominationem, & poteſtatem ſpiritualem, non vero temporalem, quam de facto, & quoad uſum non habuit, ut apud omnes conſtat. Hoc igitur ſenſu loquitur Athan. ſc. quod (1) *ratione proſapiæ regnum* accepit ſpirituale pro temporali, quod habuit pater ejus. Sic etiam acclamatur Rex Iſrael; (2) *non ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hoſtes viſibiliter domandum, ſed Rex Iſrael; quod mentes regat* &c. ait Auguſt.

Objic. 2. Melchiſedech fuit figura Chriſti; ſed ille fuit ſimul Rex temporalis, & ſacerdos; ergo & Chriſtus; ſed non fuit Rex niſi Judæorum, nec alio tit. quam hæreditatis; alioqui non bene eſſet per illum adumbratus: ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & prob. Nam ſufficienter ſalvatur adumbratio, quatenus Chriſtus fuit verus ſacerdos ſeipſum offerens in pane, & vino, ſicut ille, & quatenus fuit Rex pacis, & juſtitiæ, ut ſignificatur, cum dicitur *Rex Salem*.

CONCLUSIO III.

Dignitas regia convenit Chriſto, ut homo eſt. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Script. Nam in Davide loquitur ut homo, & ſecundum humanitatem, cum dicit, [3] *ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*. Nam ut Deus, & ſecundum divinitatem non accepit eam dignitatem ex dono Patris, vel conſtitutione libera, ſed ex natura, &

[1] *ſer. de Deip.* [2] *Tract. 1. 5. Jo.* [3] *Pſ. 2.*

& ex vi ſuæ generationis; quod magis patet ex ſequentibus verbis, quibus inducitur Deus Pater dicens illi, *poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam* &c. Nam ſecundum Deitatem Chriſtus non poſtulat, nec egebat precibus ad hæc obtinenda.

Confir. Nam dicitur, quod ejus *imperium eſt ſuper humerum ejus*: ſc. propter Crucem, quam portat ut homo. Item, *noviſſime loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum*, id eſt, inquit Gloſſa, [1] *poſſeſſorem omnis creaturæ*. Et Theodoretus: *hæres enim omnium eſt Chriſtus Dominus, non ut Deus, ſed ut homo*. Similiter intelligi debet de illo, ut homine, quod dicit Apoſt.[2] *omnia ſubjecta ſunt ei præter eum* (ſc. Patrem) *qui ſubjecit ei omnia: tunc & ipſe filius ſubjectus erat ei*, ſc. Patri, *qui ſubjecit ſibi omnia*: nam ſecundum Deitatem Chriſtus non eſt ſubjectus Deo patri, ſed omnino æqualis; ergo hæc dignitas regia in omnibus cõvenit Chriſto, ut homo eſt.

Confir. 2. *Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manus*, inquit ipſe; ergo hæc accepit, ut homo. Nam inquit Euthymius, [3] *tamquam Deus omnia habebat... hæc tamen dedit etiam ei tamquam homini*; ergo accepit a Patre regnum in univerſas creaturas, & maximè ſpirituale, ut homo.

QUÆSTIO VI.

An fuerit legiſlator, & judex.

Ex dictis de poteſtate regia Chriſti ſatis liquet de legiſlativa; nam ad Regem, & Monarcham ſpectat condere leges, ſecundum quas recte adminiſtret regnum, & ſub quibus recte vivant ſubditi. De quo diximus in tract. de legibus, & quærimus, an talis poteſtas fuerit in eo.

Quantum ad poteſtatem judiciariam, ſuppono, quod in judice requiritur primo *Pietas, & religio*; nam inquit Caſſiod. [4] *abſit a judiciariis mentibus aliquid profanum*. 2. *integritas*, nam inquit Philo: [5] *oportet judicem plenum eſſe juſtitia, ut adeuntes ad ſe iis, quæ ſunt juſta, reſpergat*. 3. *ſcientia*, ſeu rei judicandæ perfecta notitia; nam, inquit Albinus, [6] *nemo*

[1] *Hebr*.2. [2] 1.*cor*.15. [3] *Jo*.3. [4] *lib*.1. *var*. *c*.12. [5] *lib*.*de Jud*. [6] *de virt*.*c*.20.

mo principum ſtultos, vel improbos judices ponere debet: nam ſtultus per ignaviam ignorat juſtitiam, improbus per cupiditatem ſubvertit ipſam, quam didicit veritatem. Et Chriſtus, (1) *nolite judicare ſecundum faciem, ſed* &c. 4. *animi fortitudo* contra tentationes cupiditatis, aut reſpectuum humanorum. *Noli fieri judex, niſi valeas diſrumpere iniquitates, nec forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*. Unde citatus Albinus: *Quatuor modis juſtitia in judiciis ſubvertitur, timore, cupiditate, odio, & amore*. Sed ſupra omnes iſtas conditiones requiritur poteſtas, ſeu juriſdictio. Nam inquit Scotus: (2) *judicium requirit dominium in judicante*.

CONCLUSIO.

IN *Chriſto, ut homine, fuit poteſtas legislativa*. Eſt de fide contra Lutherum, & alios, qui docent eum fuiſſe tantum conſolatorem, & auxiliatorem.

Prob. 1. ex Scoto, qui docet leges Chriſti ſuaves, & leves eſſe pre legibus Moſaicis, citans illud, *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Et quod in lege Euangelica *cæremonialia ſunt multo pauciora, & leviora, quæ impoſita ſunt per Chriſtum ... & judicialia nulla impoſita ſunt per Chriſtum, ſed magis eſt lex mititatis & humanitatis* &c. Denique docet legem novam de facto eſſe a Chriſto latam, & ipſum eſſe de facto legislatorem.

Prob. 2. ex Script. dicitur (3) *legifer noſter*, & prædicitur, quod *de Sion exibit lex*, ſc. nova, ſeu Euangelica. Et ipſe præcepit Apoſtolis: [4] *docete omnes gentes ... ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*: Item, *mandatum novum do vobis*. Item ex omnibus locis, quibus conſtat eum inſtituiſſe ſacramenta: nam ea indicant ſummam, & excellentiſſimam poteſtatem præcipiendi, & inſtituendi. Et denique totum Euangelium plenum eſt ſalutaribus, & ſanctiſſimis præceptis, & legibus, quæ dicit ex charitate ſervanda, *qui diligit me, ſermonem meum ſervabit* &c

Prob. 3. ex dictis de lege nova, quam diximus latam a Chriſto, & ex quæſt. præcedenti; nam in rege eſt

[1] *Eccl.* 7. [2] 4. *d.* 68. *q.* 1. [3] *Iſa.* 33. [4] *Matth.* 28.

eſt vera poteſtas ferendi leges neceſſarias in rege, & miniſtris ejus pro bono regimine, & in ſubditis ad recte vivendum.

Quod autem hoc habuerit, ut homo, patet ex dictis; nam hæc poteſtas data eſt illi cum aliis; ſed omnis poteſtas data eſt illi, ut homini; nam ut Deus ex ſe habebat illam; ergo &c.

Objic. pro Luthero. Status legis gratiæ eſt ſtatus libertatis: *non enim ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberavit*; ergo Chriſtus non dedit legem ullam, cui ſubjiciamur in conſcientia.

Reſp. diſt. ant. libertatis a ſervitute legis veteris, quæ dura erat, & a ſervitute peccati, ex qua nos liberat per gratiam, con. a ſubjectione omnis legis, neg. ant. per legem ſacramentorum liberamur a ſervitute peccati, & per totam legem Euangelicam traduntur præcepta, quibus eam ſervitutem vitamus, aut ab ea liberamur, ſed tamen *jugum*, ſed *ſuave*, ſed *leve*.

CONCLUSIO II.

Chriſtus, habet veram poteſtatem judiciariam minus principalem, ut homo, & eam exercebit ſaltem in fine mundi.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) *poteſt accipi judicare non ſic omnino principaliter* (quod proprium eſt Deo) *ſed commiſſarie, vel ſubauthentice excellenter excellentia ſingulari, quaſi non poſſet eſſe alia auctoritas commiſſaria ſuperior, & hoc modo concedo, quod Chriſtus ſecundum humanam naturam judicat* &c. ergo agnoſcit in Chriſto homine judiciariam poteſtatem, & quidem ſupremam poſſibilem ſub Deo.

Prob. 2. ex Script. (2) *ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium juſtum*. Idem prædicebat David: [3] *Judicabit orbem terræ in juſtitia, & populos in æquitate*. Id clarius ipſe Chriſtus, qui deſcribit pompam ſecundi adventus ſui, ut judicis. [4] *Cum venerit filius hominis in majeſtate*. Et, [5] *videbunt filium hominis venientem in poteſtate*. Item, [6] *Pater omne judicium dedit filio, quia filius hominis eſt*. Et de illo dicitur,

S 4 [1] con-

[1] 4. *diſt.* 41. *q.* 1. *E. n.* 8. [2] *Jerem.* 23. [3] *Pſ.* 97. [4] *Matth.* 25. [5] *Luc.* 22. [6] *Jo.* 4.

[1] *conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum;* ergo &c.

Prob. 3. Nam in Chriſto ſunt omnes conditiones veri, & optimi judicis: 1. pietas, & religio, ut patet ex dictis de ſumma ejus ſanctitate. *Qui peccatum non fecit* &c. Unde Clemens Alexan. [2] *ſolus Dei filius judex eſt, quod neque peccare poteſt, & ab humanis animi perturbationibus penitus eſt liber*: 2. Integritas. Nam inquit Deus Pater per Iſaiam, [3] *dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proferet, non clamabit, neque accipiet perſonam ... calamum quaſſatam non conteret* &c. 3. ſcientia, *non enim ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet* &c. Et ex mox dictis *Pater dedit ſpiritum ſuum ſuper eum;* ut ſcilicet non decipiatur in judicando, & ut loquitur Ambroſ. *oculus Domini lucidior ſole occulta omnia deprehendit, tenebroſa illuminat, & intimi cordis penetrat conſcientiam, atque in alta, & profunda deſcendit*. 4. Denique fortitudo, nam tantum abeſt, ut poteſtates humanas formidet, quin potius cœleſtes ipſæ poteſtates pertimeſcunt, & *non intrepide illa ſtabunt, virtutes cœlorum movebuntur*.

Prob. 2. p. Nam ut dicebamus ex Scoto, poteſtas primaria, & principalis judicandi propria eſt ſoli Deo, quia ſoli Deo proprium eſt ſcire, & determinare, quid unicuique reddendum ſecundum merita, ſive perfecto dictamine intellectus, ſive completa determinatione voluntatis, ſive abſoluta, & ineluctabili potentia executionis judiciorum tam ad præmii poſſeſſionem concedendam, quam ad pœnarum infligentiam.

Confir. Nam judicabit ut Dominus dominio, quod meruit per redemptionem; ſed iſtud non fuit dominium ſupremum, & principale ſecundum hominem, ſed ſub divino; ergo & poteſtas judiciaria.

Confir. 2. ex ipſius Chriſti oraculo. Nam fatetur, quod non a ſe habet omnem poteſtatem, ſed ex dono Dei Patris. *Data eſt mihi omnis poteſtas* &c. Et, *omne judicium dedit filio*. Et, *conſtitutus eſt judex vivorum, & mor-*

[1] *Act.* 10. [2] 1. *pædago.* 2. *c.* 42.
[3] *Iſa.* 42.

& mortuorum excellentiſſima, & ſpeciali commiſſione Dei Patris.

Prob. 2. p. Non enim legimus, quod hac poteſtate uſus ſit in primo ſuo adventu, ſed potius voluit judicari. Et de facto cum adducta fuiſſet ad eum mulier adultera, ut in eam ferret ſententiam juxta legem, noluit eam judicare, ſed dixit, *nemo te condemnavit, neque ego te condemnabo*. Item, cum ſe judicem dixit, loquebatur de futuro. *Tunc videbunt filium hominis*. Et, *cum venerit in majeſtate*, ſc. 1. adventus fuit in humilitate, ut judicetur; 2. in majeſtate, ut judicet.

Objic. 1.con.1.p.Ipſe ſe negat judicem;ergo non eſt. Prob. ant. [1] *non veni, ut judicem mundum, ſed ut vivificem*. Et de Patre, qui dedit filium, *non ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*.

Reſp. diſt. ant. negat ſe judicem ſecundum præſentem ſtatum, & adventum, con. abſolute, & ſimpliciter, neg. ant. & conſ. Loquitur de præſenti adventu, in quo non exercuit judicium, nos vero abſolute, quatenus deſtinatus eſt a Patre ad judicandos vivos, & mortuos in futuro.

Objic. con.3.p. [2] *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Item ſinguli judicantur in inſtanti mortis, ſcilicet judicio particulari; ſed non judicatus eſt, niſi a Chriſto; ergo jam functus eſt officio judicis.

Reſp. diſt. maj. jam judicatus eſt judicio generali ex ſententia lata in Adamo, & alibi contra peccatores, vel habet in ſe cauſam ſuæ condemnationis, con. judicio explicito, & formali, neg.maj. & conſ.nam, inquit Chryſoſt. *quemadmodum homicida etſi judicis ſententia ſit indemnatus, damnatur tamen ipſius rei natura, ita & incredulus:* vel, ut loquitur Hugo Cardin. *habet in ſe cauſam ſuæ damnationis*. De judicio autem particulari nihil ad nos in præſenti; nam illud, de quo loquimur, erit ſolemne, & viſibile.

[1] *Jo.12. & 3.* [2] *Jo.3.*

QUÆSTIO VII.

De aliis titulis, & officiis Chriſti.

MUltis aliis officiis, & titulis inſignitur Chriſtus in Script. v.g. *Prophetæ*, *Doctoris*, *Medici animarum*, *patris*, *fratris*, *amici*, *ſponſi*, de quibus pauca breviter dicenda ſunt, quia nihil apparet diſputatione dignum: & quidem

Circa nomen *Prophetæ*, illud ſumitur aliquando in Script. pro illo, qui afflatu divino intelligit, & loquitur divina, & maxime ea, quæ procul ſunt a cognitione hominum: ideo Prophetæ dicuntur etiam *videntes*: 2. dicuntur *Prophetæ* illi, qui decantant laudes Dei, & pſalmos ſcribunt: ſcilicet Aſaph, Heman, & Idithun dicuntur prophetare in citharis, & pſalteriis. Sic David dicitur Propheta: 3. dicuntur *Prophetæ* illi, qui ſcribunt libros canonicos, & hoc ſenſu S. Hieron. libros Joſue, & Ruth vocat *prophetales*, licent ſint hiſtorici, & de rebus notis. Et S. Petrus totam Scripturam vocat (1) *propheticum ſermonem*. 4. Eodem nomine vocantur etiam illi, qui interpretantur divina myſteria, & annuntiant Euangelium, ut cum Paulus dicit, (2) *ſectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem, ut prophetetis*.

CONCLUSIO I.

CHriſtus ut homo fuit vere propheta, ſaltem in 1. *&* 4. *ſenſu*.

Prob. 1. ex Script. Nam de illo prædicitur: (3) *prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus*: Quem locum D. Petrus applicat Chriſto. (4) *Moyſes quidem dixit; quoniam prophetam ſuſcitabit vobis Dominus ... Et, omnes Prophetæ, Samuel, & deinceps qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos*. Imo & ipſe Chriſtus id ſibi applicat, cum dicit: (5) *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit*.

Prob. 2.

[1] 2. *Pet*. 1. [2] 1. *Corint*. 14.
[3] *Deut*. 18. [4] *Act*. 3. [5] *Jo*. 5.

Prob. 2. ex dictis ſupra de dono prophetiæ. Nam plura prædixit remotiſſima, & ſecretiſſima revelavit, ut ſecreta cordium, ſcripturas, & myſteria plura interpretatus eſt.

Dices. De ratione prophetiæ eſt, ut veritates videantur obſcure, non evidenter; ſed nihil obſcure prævidit Chriſtus; ergo &c.

Reſp.neg maj.nam ſufficit, ut quæ prophetantur, non ſint obvia, & nota audientibus, non autem requiritur hoc in ipſis prophetis; imo ipſi dicuntur *videntes*.

Inſt. ex Apoſtolo evacuabuntur prophetiæ in Cœlo propter claritatem viſionis beatæ; ergo prophetia eſt incompatibilis cum evidentia.

Reſp.neg.conſ. nam Apoſtol. loquitur ibi de dono prophetiæ, quod inutile erit propter præſentiam rerum omnium, & evidentiam certam in Verbo: Chriſtum autem ſæpe uſum fuiſſe hoc dono, patet ex dictis.

CONCLUSIO II.

Chriſtus ut homo fuit vere Doctor.

Prob. 1. Nam ad rationem veri Doctoris requiritur non ſolum ſcientia, ſed etiam poteſtas, ſeu authoritas docendi; ſed utrumque perfectiſſime fuit in Chriſto etiam ut homine; ergo &c. Prob.min.& 1.de ſcientia patet ex dictis ſupra: 2. de auctoritate patet ex Script.nam de illo dicebat Deus pater apud Iſaiam: [1] *Teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus*: Et Chriſtus ipſe: [2] *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus*. Item, [3] *vocatis me, magiſter, & bene dicitis, ſum etenim*. Et ad judæorum milites: [4) *Quotidie apud vos ſedebam docens*; & de facto *cœpit facere, & docere*; ſc. docebat dictis, & factis, verbis,& exemplis, *ita ut mirarentur turbæ ſuper doctrina ejus*.

Quod autem id præſtiterit cum auctoritate, patet ex eadem Script.nam inquit Apoſt. olim docebat per Prophetas, *noviſſime locutus eſt nobis in filio*; & ipſe filius dicebat; *mea doctrina non eſt mea* &c. ut ſignificaret, ſe docere per auctoritatem, & doctrinam ac-

[1] *Iſai.*25. [2] *Matth.*23.
[3] *Joan.*13. [4] *Matth.*26.

ceptam a patre. Et, *ego a me ipſo non loquor* &c.

Prob.2. Munus veri Doctoris perfecte adimplevit, docuit exempla virtutum. *Cœpit facere, & docere.* Item, *ſum magiſter, quia exemplum dedi vobis* &c. 2. per efficaciam ſermonis; nam dicebant ei auditores; *Verba vitæ æternæ habes*. Et admirantes clamabant: *numquam ſic loquutus eſt homo*: 3. cum auctoritate, & firmitate loquebatur. *Auferte iſta hinc*; *nolite facere domum patris mei domum negotiationis*. Et ut magiſter verberabat profanatores, & evertebat menſas mercatorum. Et aſſertive, & imperative docebat. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*: 4. miraculis, & operibus confirmabat doctrinam ſuam. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*.

Objic. 1. verus Doctor debet explicare doctrinas, & non involvere, ſeu occultare; ſed Chriſtus potius occultabat veritates: *non ſine parabolis non loquebatur eis*, & ipſe nolebat intelligi ab eis, ſed tantum a paucis ſuis diſcipulis: *vobis datum eſt noſſe myſterium, cæteris autem in parabolis* &c. ergo &c.

Reſp.diſt.maj. explicare, quæ clare capienda ſunt, con. quæ credenda ſunt, neg. maj. & conſ. prob.nam veritates practicas, quæ ſciri debebant clariſſime, docuit, ut ad praxim redigerentur, & ſi quædam ſub parabolis depoſuit præcepta morum, illa explicabat, ut patet de parabola ſeminantis: ſed myſteria quæque de ſe obſcura ſunt, non judicavit neceſſarium clariora reddere, vel ad fidei meritum, vel in pœnam temeritatis Scribarum, & Phariſæorum, qui ſuam ſapientiam oſtentabant, ideo dicebat; *nolite ſanctum dare canibus*; & ob eandem rationem nolebat intelligi ab eiſdem incredulis, & temerariis, *ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant* &c.

Objic.2. aliquando contraria docuit; ergo non fuit verus Doctor: prob. ant. nam aliquando dixit; *diligite inimicos* &c. Et alias, *iniquos odio habui*. Item aliquando, *videant opera veſtra bona* &c. Et, *neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera*. Item dicebat legis perito, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: & paulo poſt; *facilius eſt, camelum intrare per foramen acus, quam divitem in Regnum Cœlorum*; ſed hæc ſunt repugnantia; ergo &c.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & min. prob. hæc enim recte intelligenti non pugnant inter ſe, niſi apparenter; in 1. prohibet inimicitias inter proximos, quos docet ut tales diligendos, depoſitis inimicitiis, & peccata in peccatoribus odienda, offenſaſque Dei tollendas. In 2. prohibet oſtentationem hypocriſis, & ſuadet ædificandum proximum exemplis virtutum. in 3. viam mandatorum commendat, ut viam ſalutis, & impedimenta divitiarum ad eandem viam tenendam, & ſic de aliis Antilogiis apparentibus ſcripturarum.

Objic. 3. Chriſtus ſe dicit miſſum ad ſolos Judæos, & illis ſolis prædicavit; ergo non fuit Doctor univerſalis, nec omnium. Prob. ant. *non ſum miſſus*, inquit, *niſi ad oves, quæ perierunt de Iſrael*. Item non curavit de mundo, ſed de ſolis diſcipulis. *Pro eis rogo*, inquit, *non pro mundo*: prob. etiam conſ. nam *non eſt acceptatio perſonarum apud Deum, non eſt diſtinctio Judæi, & Græci*; ſed verus Doctor debet velle omnes docere viam ſalutis; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ad Judæos, quos doceret in perſona propria, con. abſolute, & tam per ſe, quam per ſuos, neg. ant. & conſ. nam ſufficit, ut vel per ſe, vel per ſuos voluerit docere omnes, & ad hoc inſtruxerit, & miſerit diſcipulos: *Euntes in mundum univerſum prædicate omni creaturæ*. Et, *docete omnes gentes*: quod autem per ſe voluerit prædicare ſolis Judæis, ſecretum eſt providentiæ, quod non licet ſcrutari; congruentias afferunt Theologi, quas videbis apud illos.

Quæres, *cur Chriſtus non ſemper docuerit, vel prædicaverit publice, ſed ſæpe in monte* &c.

Reſp. illum palam locutum eſſe mundo, in Synagoga, & in templo, quo omnes conveniunt, & in occulto locutum eſſe nihil, ut ipſemet Pilato dicebat; ſc. ea, quæ omnes debebant ſcire ab ipſo, & per ipſũ, coram diſcipulis autem, & ſeorſim a turbis ea, quæ debebat primum docere diſcipulos; quia non expediebat aliis manifeſtare juxta regulas prudentiæ ſuæ. Ideo dicebat: (1) *Hæc in parabolis locutus ſum vobis; venit hora, cum jam non in parabolis loquar vobis*.

Quæres 2. *an in ſcriptis aliqua docuerit*.

Reſp. nulla per ſe ipſum ſcripta tradidiſſe, ſed omnia ſcitu neceſſaria ſcribi curaſſe per ſuos, ne e memo-

(1) *Joan. 16.*

moria hominum ſine illorum culpa exciderent, aut per malevolos, vel hæreticos falſificarentur.

Primum patet ex certa, & communi traditione. Unde in cap. [1] *Sancta Romana*, rejiciuntur ut Apocryphi quidam libelli, qui circumferebantur ſcripti ab eo: 2. etiam patet ex volumine novi teſtamenti ſcripto vel ab Euangeliſtis, vel ab Apoſtolis.

CONCLUSIO III.

R*Ecte etiam Chriſtus ut homo dicitur medicus animarum: Item & pater, & frater, & amicus, & ſponſus.*

Prob. 1. generaliter: nam ſingulis his titulis, & aliis inſignitus legitur paſſim in Script. & 1. de *Medico*. Petimus cum Pſalmiſta; *ſana animam meam, quia peccavi tibi*. Et Chriſtus de ſeipſo dixit, cum diverteret ad peccatores; *non eſt opus valentibus medico* &c. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*. Quod confir. nam revera Chriſtus nos ſanavit, & liberavit, & adhuc per gratiam nos ſanat a peccatis noſtris, quæ ſunt graviſſimæ, & lethales infirmitates; nam in ſtatu peccati ſumus velut paralytici, qui nihil recte operari poſſumus, ſicut oportet, & quod ſit vitale ad ſalutem, & ideo ex doctrina Patrum animæ peccatrices repræſentantur in illis omnibus infirmis, quos Chriſtus realiter ſanabat, ſc. in leproſis, hydropicis, cœcis, paralyticis, languentibus &c. imo & in mortuis, quos reſuſcitabat.

2. De *Patre* prædicitur futurus [2] *Pater futuri ſaeculi, & erit quaſi pater habitantibus* Jeruſalem, & ſæpe illos, quibus gratias aliquot largiebatur, filios vocabat; [3] *Confide fili* &c. Et revera animas omnes, quas juſtificabat, & inſtruebat, parturiebat Deo. Et Apoſtolus, quos convertebat ad fidem, *filiolos* vocabat; *quos iterum parturio. Per Euangelium ego vos genui*: quanto magis Chriſtus, qui multo ampliori influxu gratiæ id præſtarat per ſe, quam per Apoſtolos?

3. De *Fratre* conſtat ex omnibus locis, in quibus docet nos eundem agnoſcere patrem cæleſtem, cujus eſt ipſe filius naturalis, *ut ſitis filii patris veſtri*. Item ſic

(1) *diſt.* 15. (2) *Matth.*9. (3) *Iſai.*9.

ſic vos orabitis patrem : *Pater noſter* &c. Et clarius diſcipulos ſuos vocat fratres, dicens: *vade ad fratres meos*. Et, *aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum*. Et Apoſtolus nos dixit *hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti*. Et certe patet ex dictis alias, quod per gratiam ſimus filii adoptivi Dei, & conſortes ejus naturæ. Denique, *qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœli eſt, ipſe meus frater* &c.

4. Amicus, & quidem ſine comparatione fideliſſimus; nam ut docet ipſe, *majorem hac charitatem nemo habet, ut animam ponat pro amicis ſuis*, quod ipſe præſtitit pro nobis moriens, ut nos redimeret a morte æterna. Et ipſe ad diſcipulos ſuos dicebat: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*, &c.

Conf. Veræ amicitiæ effectus, & notæ ſunt, 1. perfecta unio, quæ eſt ſumma in Chriſto ad diſcipulos ſuos, & fideles, pro quibus orat. *Volo ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus* &c. Et ſibi facta reputat bona, aut mala, quæ nobis fiunt: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. 2. Bonorum communicatio, & hanc etiam in eo reperimus maximam. Nam, inquit, *ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*. Et ſingulariſſimum bonum, ſcilicet filiationem ſuam divinam nobis acquiſivit. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* &c. 3. *Amor operatur magna, ſi eſt*. Quæ autem majora poſſet operari ſummus amor, quã operatus eſt in Chriſto pro nobis?

5. De *ſponſo*; hæc qualitas patet ex toto libro Canticorum, in quo caſtiſſimi, & puriſſimi amores inter Chriſtum, ut ſponſum, & animam, ut ſponſam fidelem deſcribuntur. Et Apoſtolus hoc expreſſis verbis declarat; *deſpondi enim vos uni viro exhibere Chriſto* &c. Et ex eodem Apoſtolo ſacramentum matrimonii a Chriſto inſtitutum *Sacramentum magnum eſt in Chriſto, & Eccleſia*.

DIS-

DISPUTATIO IX.

De merito, & ſatisfactione Chriſti

JAm attigimus ſcopum, & principalem fructum incarnationis, ſcilicet merita Chriſti, meditaturi, quibus nos redemit per copioſam redemptionem, & ſatisfactionem pro debitis, & peccatis noſtris, delens chirographum, quod adverſus nos erat pretio ſanguinis.

QUÆSTIO I.

An Chriſtus vere, & proprie meruerit.

DEſcripſimus alias meritum, Opus liberum, & honeſtum exigens retributionem alicujus doni ſupernaturalis ex congruitate, vel juſtitia. Unde patet, conditiones meriti eſſe: (1) 1. ut ſit actus rectus, honeſtus, conformis rectæ rationi, & legi: 2. ut ſit liber, ſeu a perſona libere operante, & quidem libertate contingentiæ: 3. ab homine viatore: & 4. ab homine juſto exiſtente in gratia, ut ſit meritum de condigno. Hinc oritur difficultas ſuſtinendi hoc meritum in Chriſto propter ſecundam, & tertiam conditionem; nam cum ille fuerit impeccabilis, & per conſequens non potuerit non bene agere, videtur defuiſſe illi ſufficientem libertatem ad meritum. Et præterea fuit beatus ab inſtanti conceptionis; & per conſequens in termino, non autem viator. Vide quæ ſupra diximus de libertate, & impeccabilitate Chriſti.

CONCLUSIO.

IN *Chriſto fuit verum, & proprium meritum*. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto, (2) *loquendo de merito prout conſiſtit in bono velle voluntatis, dico, quod Chriſtus meruit tale velle* &c. Quod probat tota d. 18. & 19.

Prob.

(1) *Diſp. 7. de gratia q. 1.*
(2) *3. d. 18. B. n. 4.*

Prob. 2. ex Script. & PP. nam licet non habeamus textum ullum, qui loquatur expreſſe de *merito* quoad vocem, habemus tamen plures æquivalentes: nam ſatisfactio, mediatio, & redemptio non habentur ſine aliquali merito. Dicitur autem & mediator, & redemptor. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*. Item prophetice inducitur Deus Pater dicens, [1] *ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam*. Item ipſe de ſeipſo dixit, [2] *non miſit Deus filium ſuum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum . . .* Item, *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Unde Adrianus Papa I. *quicumque percuſſus fuerit a ſerpentibus peccatorum, Chriſtum intueatur, & habebit remiſſionem peccatorum*. Vide, quæ diximus de titulis mediatoris, & redemptoris. Et Apoſt. dicit, quod [3] *Chriſtus in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet ſalvum illum facere, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia ...* Et, *conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ . . .* quod ſine dubio intelligitur de cauſa meritoria. Et alibi, quod ſumus *juſtificati gratis per gratiam ipſius, quem propoſuit Deus propitiationem per ſanguinem ipſius*. Et denique [4] *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio* &c. Et ipſemet docet ſatis evidenter, ſe ex meritis ſuis dilectum a Patre. [5] *Propterea diligit me Pater, quia pono animam meam* &c.

Confirm. nam inquit Rupertus, [6] *Deus pactum cum hominibus pepigit per Chriſtum filium ſuum, quod de illo in cruce moriente, nos ſibi reconcilians, lavit nos a peccatis noſtris, & in ſanguine ejus* &c. Et Hugo Victorinus: [7] *Chriſtus dicitur etiam aliquid mereri, cum bonum aliquod facit, quod ſit dignum remuneratione, ſecundum quod Deus dicitur etiam mereri, cum beneficia præſtat, pro quibus tenemur eum laudare, & Chriſtus ſecundum humanitatem in ſua paſſione meruit nobis introitum vitæ æternæ*.

Prob. 3.

[1] *Iſai.* 53. [2] *Jo.* 3. [3] *Ro.* 3. [4] 1. *Jo.* 2. [5] *Jo.* 10.
[6] *Gen. c.* 26. [7] *Qu.* 150. *Epiſt. ad Rom.*

Prob.3. ex Conc. Trident. in quo inter cauſas noſtræ juſtificationis dicitur, quod [1] *meritoria eſt dilectiſſimus unigenitus Dei Dominus noſter Jeſ. C. qui ... nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit*. Et quod *nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis D.N.J.C. communicantur*. Et infra: [2] *ſi quis dixerit homines ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari ... anathema ſit*; ergo Eccleſia in illo Concil. cognoſcit vera merita in Chriſto.

Confir. ex cap. *unigenitus*; & ex conſtit. 40. Leonis X. [3] in illo Clemens VI. docet, theſauros indulgentiarum conſtare *ex meritis Chriſti, & Sanctorum*; & in iſta damnatur Lutherus, qui negabat, *theſauros, unde dat Papa indulgentias, eſſe merita Chriſti*.

Prob.4. nam actiones Chriſti habent omnes conditiones ad meritum; ergo ſunt vera merita: prob. ant. 1. ſunt honeſtiſſimæ, & ſanctiſſimæ, quod nemo negabit. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*: 2. ſunt ſufficienter liberæ, ut patet ex dictis de libertate illius. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Et, *propterea diligit me Pater, quia pono animam meam, & nemo tollit eam a me* &c. 3. ſunt ab homine viatore æque, ac comprehenſore; erat enim mortalis, ideo dicebat, *Ego vado: quæretis me*. Et, *quo ego vado, non poteſtis venire*. 4. Erant actiones hominis ſanctiſſimi, & in ſumma gratia exiſtentis, & ideo opera ejus ſumme placebant Deo Patri, qui propterea toties declaravit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. 5. Omnes actus ſuos referebat ad Deum, *non quæro gloriam meam, ſed ejus, qui miſit me*, 6. Denique aderat pactum ex parte Dei de acceptatione operum ejus in ordine ad præmium. (4) *Pactum, inquam*, ait Rupertus, *unum, quo inimicitiæ ſolventur, quæ erant inter Deum, & homines, incarnatio, vel paſſio filii Dei eſt*.

Objic. 1. Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit immutabiliter conjunctus fini ultimo, & beatus; ergo non potuit mereri, ſicut nec peccare: prob. conſ. nam ideo beati non poſſunt mereri, quia ſunt perfecte conjuncti fini ultimo.

Reſp. diſt. ant. conjunctus fini quoad affectum juſti-

[1] *Seſſ.6.c.7.* (2) *can.*10.
(3) *de pif. nat. erro.*17. (4) *in gen.*34.

ſtitiæ ; & portionem ſuperiorem , con. quoad affe-ctum commodi , & partem inferiorem , neg. ant. & conſ. prob. nam , inquit Scotus , [1] *ſi portio ſuperior fuit perfecte conjuncta Deo ſecundum actum beatificum , fuit tamen eadem voluntas paſſibilis ſecundum portionem inferiorem , & ut ſic fuit viatrix , & potuit mereri* . Hinc patet diſparitas de Chriſto, & aliis beatis ; quia iſti in Cœlo nihil habent optandum ex affe-ctione commodi, vel juſtitiæ ; Chriſtus vero in hac vita habebat optandam immunitatem a paſſione , & aliis pœnis , quas paſſus eſt .

Inſt. Si potuiſſet mereri , id feciſſet per eundem a-ctum voluntatis , quo fruebatur Deo , vel per alios ; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob.min. 1.non per eundem , nam actus fruitionis, ſuppoſita viſione, non erat liber . 2. non per alios ; quia fruitio erat actus adæquatus voluntatis ejus , occupabat , & exhauriebat totam ejus activitatem , & erat ſumma fruitio ; ergo &c.

Reſp.neg.min.nam mereri poterat per actus portionis inferioris ; & ſic diſt.ant.prob.quoad 2.p.erat adæquatus activitati portionis ſuperioris , con. activitati portionis inferioris , neg. ant. nam licet actus iſtius portionis in Chriſto dirigerentur etiam ſecundum aſſertionem juſtitiæ , & ad Deum tenderent , non tamen eodem modo , nec ita immediate , & ſic per iſtos poterat mereri .

Reſp. 2. cum Scoto , [2] diſt.ant.prob. quoad 2. p. fruitio erat actus adæquatus intenſive , con. quia voluntas non poterat amare per actum intenſiorem , extenſive autem , neg. ant. nam per alium actum poterat diligere electos propter Deum , & per hunc , & ſimiles actus merebatur . Imo & docet eum potuiſſe mereri per ipſum actum beatificum , non quidem ſibi , quia quoad ſe , & per illum actum fuit in termino , ſed aliis, quia nihil repugnat, eum voluiſſe per illum amorem prodeſſe hominibus , & quidem libere , ſed de hoc infra .

Inſt.2. Actus, ut ſunt a portione inferiori , non ſunt liberi ; ergo nec meritorii .

Reſp.neg.ant.nam nomine portionis ſuperioris intelligimus animam , prout reſpicit divina immediate ,

[1] *Ibid.n.*10. [2] *ibid.n.*16.

te, & directe, per inferiorem autem intelligitur eadem, quatenus reſpicit temporalia, & creata: ſic Chriſtus per portionem inferiorem reſpiciebat bona, & mala, & paſſiones ſui corporis, & eas offerens Deo potuit mereri, & hoc patet ex Script. quia etiam nunc *advocatum habemus ad Patrem Jeſum Chriſtum*, & quamvis jam *ſedet a dextris Dei*, adhuc tamen *interpellat pro nobis*. Et ipſe promittebat, (1) *ego rogabo Patrem* &c. Quanto magis id poterat in ſtatu paſſibilitatis?

Objic. 3. meritum reſpicit eum, apud quem meretur, ut alterum; eſt enim actus *juſtitiæ*, quæ eſt ad alterum; ſed Deus Pater non erat alter a Chriſto, quia, inquit, *ego, & Pater unum ſumus*; ergo non poterat mereri apud Patrem.

Reſp. diſt. min. non erat alter a Chriſto ſecundum Deitatem, con. ſecundum humanitatem, neg. min. & conſ. non enim dicimus, quod meruerit ut Deus, ſed ut homo. Aliæ difficultates ſolventur infra, ubi de actibus, per quos meruerit.

QUÆSTIO II.

Quando, & quibus actibus meruerit.

CHriſtus plurimos actus habuit, & omnes laudabiles, & quidem alios habuit pure intellectuales, & volitiones ſanctas circa Deum, & proximum, alios ſenſibiles, & corporales, ut labores, vigilias, jejunia, peregrinationes, orationes, dolores crucis, & mortis, & alios mixtos ex utraque facultate, ſenſitiva ſc. & intellectuali, alios denique beatificos, ut ſunt viſio, & fruitio, per quos erat in termino, & ſumme conjunctus Deo ſecundum portionem ſuperiorem, alios habuit ſecundum portionem animæ inferiorem, per quos reſpiciebat creaturas: & quærimus, an per ſingulos meruerit, vel potuerit mereri.

Rurſus aliqui actus erant precepti, ut paſſio, & mors, alii vero ejus arbitrio relicti, ut jejunium, orationes, vigiliæ, opera miſericordiæ erga infirmos, quos curabat &c. Et quæritur, an etiam meruerit per præceptos,

(1) *Jo.* 14.

ceptos, quandoquidem iſti non videbantur liberi, nec poterat eos omittere, ſicut nec peccare. Idem quæritur de actibus portionis ſuperioris, & inferioris.

CONCLUSIO I.

CHriſtus meruit ab inſtanti ſuæ conceptionis, & per totum vitæ mortalis decurſum. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto, [1] *quia omne habens actum primum perfectum, & objectum præſens in ratione objecti, ſi non impeditur, & ſi non ſit actus ejus ſecundus ſucceſſivus, ſed permanens, poteſt agere pro quocumque inſtanti, ſi omnia iſta concurrant, quia non plura requiruntur ad actum; ſed hæc omnia fuerunt in Chriſto in 1. inſtanti conceptionis, ſcilicet potentia perfecta, gratia, objectum præſens per intellectum, ſcilicet tota Trinitas, cui poterat velle bonum propter ſe, & non impediebatur, & actus volendi eſt permanens;* ergo &c.

Prob.2. ex Script. ex Apoſt. Chriſtus (2) *ingrediens mundum dixit, hoſtiam, & oblationem noluiſti..... tunc dixi, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam*. Ingrediens ergo mundum, inquit S. Thomas, [3] *tunc ſc. quando aptaſti mihi corpus, ſc. in conceptione, dixit: ecce venio, id eſt venire propoſui, ſc. ad paſſionem.. Ecce venio per incarnationem*; ergo in ipſo ingreſſu in mundum, ſeu in inſtanti conceptionis Chriſtus obtulit ſe in ſacrificium pro redemptione; ergo per ipſam oblationem meruit. Unde Apoſt. addit, quod *ea voluntate ſanctificati ſumus oblatione corporis* J. C. *ſemel*, ſc. in decreto, & acceptatione Dei.

Prob.3. Nam, ut dicebamus ex Scoto, nihil deerat Chriſto in eo inſtanti ad merendum, habebat perfectum uſum rationis, plenitudinem ſcientiæ, & gratiæ, aliaque dona omnia ſupernaturalia, & neceſſaria ad merendum, nec quidquam impediebat operationem meritoriam, ut patebit ſolutione objectionum.

Confir. ex dictis de Angelis, quod potuerint mereri, aut peccare in ipſo inſtanti ſuæ creationis: nam hoc

[1] *3.d.18.E.n.7.* [2] *Hebr.10.* [3] *Ibid. lect.1.*

hoc a fortiori dicendum de Chriſto, & ſi potuit, ergo & fecit.

Prob.2. p. Nam ſi in eo inſtanti potuit mereri, nulla eſt ratio, quod unquam ceſſavit a bonis actibus Deo offerendis.

Confir. ex Script. de illo dicitur, quod voluntas ejus *in lege Domini meditatur die, ac nocte*, ſeu perpetuo. *Hæc enim omnia non omni beato viro, ſed ſoli Chriſto conveniunt*, inquit Gloſſa, *allegorice de Chriſto id explicandum, quod ſemper in lege Dei fuit voluntas ejus ad operandum*: ait Lyranus. Et ipſe Chriſtus dicebat: *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Unde S. Bonavent. dicit, quod *quantum ad tempus, in quo merebatur, fuit ab inſtanti conceptionis ſuæ uſque ad horam mortis ſuæ*.

Objic. 1. con. 1. p. Actus meritorius debet eſſe deliberatus, & liber; ſed actus Chriſti in 1. inſtanti ſuæ conceptionis non potuit eſſe deliberatus, & liber; ergo. prob. min. nam deliberatio exigit prioritatem voluntatis ad volitionem, & libertas requirit, ut quod fit, poſſit non fieri; ſed neutrum eſſet in actu primi inſtantis conceptionis; ergo &c. Prob. min. nam cum creatione ipſa voluntatis fuit volitio, & quod eſt, non poteſt non eſſe in inſtanti, in quo eſt; ergo &c.

Reſp. neg. min. 1. argum. & diſt. maj. 2. exigit prioritatem naturæ, con. temporis, ſeu durationis, neg. maj. quoad 1. p. & min. quoad 2. & diſt. ant. 3. non poteſt non eſſe in ſenſu compoſito exiſtentiæ pro illo inſtanti, con. in ſenſu diviſo, neg. ant. nam quod libere fit, licet pro eo inſtanti, quo fit, non poſſit non eſſe, ſeu fieri, tamen in ſenſu diviſo poſſet non fieri, ſi videlicet voluntas vellet non fieri: ita eſt de actibus Chriſti in inſtanti ſuæ conceptionis, voluntas ejus ſic operatur, ut non poſſet non operari.

Inſt. 1. Ut poſſet mereri, deberet poſſe peccare; ſed hoc non poterat in primo inſtanti conceptionis; ergo nec mereri: maj. patet; nam alioqui non eſſet liber perfecte: prob. min. ſi poſſet peccare in illo inſtanti, peccatum, & gratia poſſent eſſe ſimul pro eodem inſtanti; ſed hoc eſt impoſſibile, ſaltem naturaliter, & moraliter; ergo &c. Prob. maj. nam pro illo 1. inſtanti, quo poſſet mereri, eſſet in gratia; hæc

enim

enim requiritur in merente, & pro eodem inſtanti poſſet eſſe peccatum; ergo &c.
Reſp. 1. neg. maj. abſolute, ſufficit enim, quod in eo inſtanti, quo bene agit, poſſit non agere.
Reſp. 2. quidquid ſit de maj. neg. min. 1. argum. & maj. 2. & ant. 3. nam pro eo inſtanti, quo peccaret, non eſſet gratia, nec potentia proxima ad meritum, poſſet quidem eſſe in ſenſu diviſo, videlicet præciſo peccato, ſed non in ſenſu compoſito peccati. Idem argumentum fieri poteſt de Angelis, imo & de omnibus juſtis pro illo inſtanti, in quo ſunt juſti, & juſte operantur.
Objic. 2. prius eſt eſſe, quam operari; ergo voluntas Chriſti debuit prius exiſtere, quam mereri; ergo non potuit mereri pro 1. inſtanti ſuæ conceptionis.
Reſp. ut ſupra diſt. ant. prius natura, con. prius duratione, ſeu tempore, neg. ant. addo, quod qui diceret nos loqui de inſtanti morali, non de Mathematico, vel Phyſico conceptionis Chriſti, non apparet magnum inconveniens, ſed ſpeculative nihil impedit hoc ſuſtinere de eodem inſtanti etiam phyſico; ſicut ſol pro eodem inſtanti phyſico lucet, quo exiſtit in facto eſſe. Idem eſt de igne.
Inſt. Fieri paſſivum animæ Chriſti, & operari activum ejuſdem animæ, ſunt duæ mutationes, & duo termini, qui non poſſunt eſſe ſimul duratione; nam primum fieri eſt terminus actionis creativæ, & præcedit 2. quod eſt terminus volitionis; ergo &c.
Reſp. diſt. ant. & rationem ejus: non poſſunt eſſe ſimul natura, con. ſimul tempore, neg. ant. nam fieri paſſivum animæ præcedit quidem natura operari ejus activum, quia operari ſequitur eſſe, ſed non ſequitur illud duratione.
Objic. 1. con. 2. p. Si Chriſtus per totum vitæ tempus meruiſſet, dici poſſet meruiſſe per omnes, & ſingulos actus vitæ ſuæ; ſed hoc dici non poteſt; nulla enim eſt neceſſitas, vel auctoritas Script. qua id dicı oillit.
Reſp. neg. min. & ant. prob. tum quia id facit ad majorem gloriam ejus; tum quia neceſſe eſt ſic loqui de illo, ut nihil otioſum reperiatur in ejus vita, nihil non ſanctum &c.
Inſt.

Inſt. Unus actus, v.g. illa prima oblatio ſui ab initio conceptionis ſuæ facta ſufficiebat pro redemptione omnium; ergo fruſtra dicuntur cætera.

Reſp. neg. conſ. nam licet cætera fuerint abundantia, non tamen ſuperflua, nec propterea debent negari fuiſſe meritoria.

Inſt. 2. nimis eſſet oneroſa homini Chriſto ſempiterna illa attentio, & applicatio, ut nulla nunquam intervenerit diſtractio, vel interruptio; ergo non ſemper meruit.

Reſp. neg. conſ. nam licet homini Chriſto cum tanta perfectione continua illa per 33. annos applicatio, & contentio tribueretur, & eſſet illi oneroſa; tanto tamen eſſet illi glorioſior, & ideo eſſet non neganda, ſed aſſerenda.

Quæres, *an meruerit poſt mortem*.

Reſp. negative, quia ex tunc non fuit amplius viator, & id videtur ipſemet docuiſſe: [1] *me oportet operari, donec dies eſt*, id eſt, inquit Gloſſa Interlin. *dum ſum in mundo*. Et Chryſoſt. [2] *dum durat hæc vita, laborandum*.

Objic. dicitur meruiſſe per vulnus lateris, & per ſepulturam; ſed hoc eſſet falſum; ergo etiam poſt mortem meruit: prob. maj. nam, inquit S. Leo, *tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ejus profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmi*.

Reſp. diſt. maj. meruiſſe per illa, ut præviſa, & acceptata, & oblata Deo, con. pro tempore, quo peracta ſunt, id eſt poſt mortem, neg. maj. nec id docent Patres.

Objic. 2. tam potuit diſpenſari, ut poſt ſeparationem animæ a corpore poſſet mereri, quam toto vitæ decurſu, ut eſſet ſimul comprehenſor, & viator; ſed in hoc diſpenſatum eſt cum ipſo; ergo & in illo.

Reſp. aliud eſt loqui de poſſibili, aliud de facto, potuit diſpenſari, ſed nihil urget aſſerere ita contigiſſe de facto, quia diſpenſatio iſta non urget ad meritum redemptionis, quod *conſummatum eſt* in morte, ſicut durante vita mortali congruebat.

Quæres 2. *an meritum Chriſti debeat dici unicum numero durans per totam vitam: an plura, juxta numerum, & differentiam actuum, & operum*.

Reſp.

(1) *Joan. 9.* (2) *hom. 55. in Joa.*

Reſp. mihi videri, quod parum intereſt quoad ſubſtantiam, utrum dicatur: probabilius tamen, & melius dicuntur fuiſſe plura, & multiplicia.

CONCLUSIO II.

C*Hriſtus meruit per omnes actus ſuos liberos, etiam per actus charitatis in Deum*. Eſt communis quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia loquendo de merito prout conſiſtit in bono velle voluntatis, dicit, quod *Chriſtus meruit nobis tali velle ..... Chriſtus ſecundum aliquid fuit viator, & paſſibilis ſecundum partem ſenſitivam, & partem inferiorem voluntatis: ideo habuit multa objecta præſentia ſenſibus, & parti inferiori, circa quæ potuit libere velle contra affectionem commodi, quæ ſemper eſt ad conveniens illi, cujus eſt. Ideo jejunando, vigilando, orando, & multis aliis talibus potuit mereri, vel exercendo illa exterius, vel volendo interius talia propter Deum.*

Prob. 2. quia in his omnibus actibus reperiuntur conditiones meriti, ut per ſingulas diſcurrenti patebit.

Prob. 2. p. de charitate in Deum, de qua poteſt eſſe dubium propter amorem beatum; ſed hoc non impedit meritum in illo actu amoris; ergo &c. Prob. min. ex Scoto. Omnis actus acceptatus a Deo, ut bonus, & laudabilis, pro quo velit retribuere aliquid operanti, vel alteri, cui applicatur, eſt vere meritorius; ſed omnis actus Chriſti ſecundum humanitatem, etiam actus beatificus, quo ſecundum portionem ſuperiorem fruitur Deo, talis eſt; ergo eſt etiam meritorius. Prob. min. Nullum enim eſt inconveniens, vel repugnantia, quod Deus, qui miraculoſe voluit Chriſtum fuiſſe viatorem, paſſibilem, & mortalem ſimul, & beatum, ſeu in termino, potuerit etiam velle acceptare actum charitatis ejus beatificæ, ac fruitionis in ordine ad redemptionem hominum æque, ac aliarum virtutum; imo & a fortiori actus charitatis, qui ſunt longe meliores, ut patebit ſolutione objectionum; ergo &c.

Prob. 2. Chriſtus potuit cognoſcere Deum per ſcientiam

[1] *ibid. L. n. 5.*

tiam infuſam ſimul, & per viſionem beatam; ergo & potuit eum amare, ut cognitum per illam æque, ac per iſtam: nam voluntas poteſt amare omne id, quod ſibi ab intellectu proponitur ut amabile; ſed amor Dei cogniti per illam ſcientiam eſt meritorius; ergo amor Dei in Chriſto fuit meritorius. Ant. patet ex dictis de ſcientia Chriſti. Prob. ſubſumptum. Nulla enim conditio meriti deeſt illi amori; eſt enim liber, & proprius viatori, & honeſtus, & gratus Deo, &c.

Objic. 1. cont. 1. par. Omnis actus meritorius debet reſpicere Deum; nam inquit Scotus, primum omnium objectum, circa quod aliquis meretur, eſt Deus; ſed plures illorum actuum, & maxime actuum exteriorum non reſpiciebant Deum, ſed vel proximum, vel honeſtatem particularem virtutum, vel ipſos labores vitæ; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ut objectum, vel ut finem ultimum, conc. ut objectum, formaliter, & immediate, neg. maj. & min. nam ex intentione Chriſti omnes actus ejus deliberati erant propter Deum.

Objic. 2. Illi dolores, & labores externi erant potius paſſiones ſenſuum; ſed in potentiis ſenſitivis non eſt meritum; ergo nec in illis Chriſtus, &c.

Reſp. diſt. maj. elicitive, & ſubjective, conc. imperative, aut in acceptatione, neg. maj. & conſ. Nam opera, & paſſiones in potentiis externis poſſunt imperari vel acceptari a voluntate, & propter Deum, & in illo imperio, & acceptatione ſunt meritorii, & tales fuerunt in Chriſto.

Inſt. Voluntas Chriſti erat in termino, & perfecte beata; ſed voluntas ut talis non eſt capax meriti; ergo ex parte voluntatis illi actus non erant meritorii. Prob. min. nam meritum eſt neceſſario actus viatoris, & liber.

Reſp. diſt. maj. in termino, & beata ſimul, & viatrix, conc. integre, & abſolute, neg. maj. & conſ. nam Chriſtus ex diſpenſatione divina fuit & viator, & comprehenſor, ut dictum eſt ſæpe.

Objic. 1. cont. 2. part. Chriſtus non habuit alium amorem Dei præter beatam fruitionem; ſed per hanc non potuit mereri: ergo nec per ullum amorem charitatis in Deum. Min patet: nam actus meritorius debet eſſe viatoris, & liber. Prob. maj. Actus amoris beati

beati fuit actus portionis ſuperioris, & adæquatus voluntatis: ergo non alium amorem in Deum habuit.

Reſp. 1. ex Scoto neg. maj. Nam potuit amare Deum ut cognitum per ſcientiam infuſam, & hic amor fuit alius actus, quam amoris beati: & diſt. ant. prob. adæquatus intenſive, & reſpective ad viſionem, conc. extenſive, & reſpective ad ſcientiam infuſam, per quam proponebatur illi amandus, neg. ant. Jam diximus, quod licet beati ament Deum ut viſum amore adæquato intenſive, & quoad ultimum poſſe: tamen adhuc poſſunt amare creaturas propter Deum, & de facto Chriſtus cum ſummo amore fruitionis amabat ſuos: *Cum dilexiſſet ſuos*, ita & Deum ipſum poterat amare per alios actus, ut cognitum per ſcientiam infuſam.

Reſp. 2. neg. min. Nam, ut mox dicebamus ex Scoto, nihil repugnat Deum acceptare amorem ipſum beatificum ad meritum, non quidem, quo ſibi Chriſtus mereretur quidquam, quia per illum actum erat in termino, & quiete, & nihil ſibi deerat, ſed hominibus.

Inſt. Ille amor beatificus non erat liber: ergo nec meritorius. An. patet: nam ſuppoſita viſione, Deus non poteſt non amari, & amor ille eſt neceſſarius. Prob. conſ. nam ad meritum requiritur libertas a neceſſitate, quæ eſt libertas contingentiæ: ergo &c.

Reſp. 1. neg. ant. & prob. ejus: nam ſicut ex diſpenſatione divina conditio viatoris ſtabat cum ſtatu beatitudinis, & termini, ita & ex conſequenti libertas ſufficiens ad meritum ſtabat cum illa neceſſitate.

Reſp. 2. neg. conſ. quia ex eadem diſpenſatione Deus Pater voluit acceptare actum illum ut meritorium in favorem aliorum, & intuitu ejus velle dimittere peccata hominum, & concedere gratias, & gloriam illis, qui ſibi applicant ejus merita.

Inſt. Angeli, & beati non poſſunt mereri in cœlo, nec per amorem beatificum: ergo nec Chriſtus.

Reſpon. neg. conſ. & diſparitas eſt, inquit Scotus, alii beati a Chriſto non ſunt amplius ullo modo viatores, ſed Chriſtus ſecundum aliquid fuit viator, & paſſibilis.

Reſp. 2. diſt. ant. de via ordinaria, conc. de potentia abſoluta, neg. antec. & conſ. Nam inquit Scotus, non implicat Deum acceptare actum beatificum Michaelis, ut meritorium pro aliis.

CONCLUSIO III.

Chriſtus meruit etiam per actus, quibus implevit præcepta. Hæc ſequitur ex dictis de libertate, & impeccabilitate Chriſti.

Prob. 1. ex Scoto.[1] Si quid impediret meritum in illis actibus, maxime defectus libertatis; ſed non deerat libertas; ergo &c. Prob. Nam inquit, *Dico, quod voluntas in Chriſto ita libere elicit, & dominatur actui ſuo, ſicut voluntas mea ſuo*. Et certe ſi ſufficienter erat liber in actibus beatis ad meritum, quanto magis in aliis, v.gr. in acceptatione mortis, & præcepti moriendi?

Prob. 2. ex Script. Nam per obedientiam meruit ſui nominis exaltationem. [2] *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens ..... propter quod & Deus exaltavit illum*, &c. Item, [3] *Sicut per inobedientiam unius peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituti ſunt multi*.

Prob. 3. Ratio præcepti non aufert libertatem, nec alias conditiones meriti; ergo non impedit meritum in actibus Chriſti, quibus implevit præceptum. Prob. ant. Nam præceptum ut tale præciſe nihil reale phyſicum ponit in actibus, alioqui nec nos eſſemus liberi ad actus præceptos; ergo &c.

Objic. 1. Ideo nos ſumus liberi ad actus præceptos, quia poſſumus illos omittere peccando, non autem Chriſtus, quia non poterat peccare; ergo nec omittere illos actus; ergo illi actus non erant ei liberi; ergo nec meritorii.

Reſp. neg. ant. quoad 2. part. & conſ. ejus: nam, ut diximus ſupra de libertate Chriſti, & ejus impeccabilitate, circa actus præceptos fuit liber mediate, ſeu remote, ſaltem quatenus illa præcepta libere acceptavit, & phyſice adhuc poterat illos omittere, vel poterant non obligare ſub peccato, & ſic impeccabilitas ejus non obſtabat libertati.

Inſt. Phyſica libertas ad aliquid faciendum, vel omittendum non ſufficit, ut actus, vel omiſſio ejus ſit laudabilis, aut vituperabilis; ergo neque ut illi actus in Chriſto eſſent meritorii. Prob. ant. nam quia unus homo

[1] *d. 17. E. n. 5.* [2] *Philip. 2.* [3] *Rom. 5.*

homo habet phyſicam poteſtatem occidendi totum exercitum, non ideo eſt laudabilis, ſi non occidat, quia deeſt illi potentia moralis, ergo ad meritum non ſufficit libertas phyſica faciendi, vel non faciendi, ſed requiritur moralis.

Reſp. diſt. ant. præciſe, & ſi nihil aliud concurrat ex parte voluntatis, conc. ſi accedat acceptatio libera moralis, etiam neceſſitatis, neg. ant. & conſeq. prob. ſi ille miles gauderet ſe moraliter impotentem ad delendum totum exercitum, talis omiſſio eſſet ei laudabilis, & voluntaria: ita eſt de Chriſto, qui liberrime acceptavit mandata Patris, juxta illud, *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam*, ecce præceptum; audi acceptationem, *Deus meus, volui*, &c.

Inſt. 2. Sed Chriſtus non poterat non acceptare præcepta, nec omittere actus, qui præcipiebantur, alioqui peccaſſet; ergo nulla ſolutio.

Reſp. neg. ant. Id enim dicitur ſine fundamento, nec enim probabile eſt, Deum ſic deſpotice imperaſſe filio ſuo unigenito.

Præterea dici poſſet, Chriſtum ex ſua libera voluntate, & inclinatione fuiſſe paratum ad omnia agenda, & patienda, quæ potuerunt præcipi, nec alia de cauſa ſuperveniſſe præceptum, niſi ut illis actibus accreſceret meritum obedientiæ, & ſic evidens eſt præceptum non impediiſſe libertatem operum.

Objic. 2. Chriſtus non fuit liber circa amorem beatificum; ergo nec circa res præceptas; ergo nec iſtarum executio fuit meritoria. Prob. ant. Nam per illum amorem determinabatur ad præcepta Dei implenda, alioqui potuiſſet ab eo ceſſare; ergo eorum executio non erat ei libera.

Reſp. ut ſup. neg. ant. nam ſicut cum illo amore per diſpenſationem retinebat Chriſtus ſtatum viatoris, & paſſibilitatis, ita & libertatem neceſſariam ad meritum redemptionis.

QUÆSTIO III.

An meritum, & ſatisfactio Chriſti fuerint infinita.

Valor, ſeu quantitas meriti alicujus operis menſurari poteſt 1. ex ipſa ejus entitate intrinſeca abſque ulla conſideratione ad aliquid extra ejus entitatem; ſic aurum præcellit aliis metallis independenter ab ulla æſtimatione, vel acceptatione, vel relatione ad aliquid, quod ſit extra ipſum. 2. ex objecto, quod reſpicit; ſic virtus Theologica præcellit moralibus, quia illa reſpicit immediate Deum, iſtæ bonitatem creatam, aut ſaltem rectitudinem naturalem. 3. ex parte perſonæ operantis; ſic opera Chriſti, cæteris paribus, digniora ſunt operibus Petri, reſpectu perſonæ Verbi, cui unitur humanitas operans. 4. ex pacto, & æſtimatione, ſeu acceptatione illius, apud quem meremur; ſic Deus elevat potum aquæ erogatæ pauperi propter Deum ad valorem regni cœleſtis, ita ut pro illa eleemoſyna debitorem ſe faciat Deus regni ſui in favorem erogantis. Quæritur ergo de operibus Chriſti ſingulis, vel ſaltem de omnibus ſimul, an fuerint infinita in ratione meriti aliquo ex his capitibus.

Porro Theologi omnes agnoſcunt quidem in merito, & ſatisfactione Chriſti aliquam infinitatem, & fatentur, quod ſufficeret pro redemptione infinitorum hominum, & pro ſatisfactione, & remiſſione peccatorum infinitorum; ſed non conveniunt de ratione, & cauſa infinitatis, &c.

CONCLUSIO.

Satisfactio, ſeu meritum Chriſti eſt infinitum extrinſece, non intrinſece, ſeu entitative. Ita Scotiſtæ communiter contra Thomiſtas, & alios, qui aſſerunt infinitatem intrinſecam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod meritum Chriſti fuit finitum, quia dependens a principio finito eſſentialiter, & accipiendo ipſum cum omnibus reſpectibus, ſive cum reſpectu ad ſuppoſitum Verbi, ſive cum reſpectu ad*

[1] d. 19. B. n.

ad finem, quia omnes reſpectus iſti erant finiti, & ideo quomodocumque circumſtantionatum finitum erat; aut ſi fuit infinitum, tunc non fuit meritum plus ſecundum velle creatum, quam ſecundum velle Verbi increatum, &c..... Tamen ex circumſtantia ſuppoſiti, & de congruo, ratione ſuppoſiti, habuit quandam rationem extrinſecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, ſc. extenſive pro infinitis. Idem docet in Reportatis. [1]

Prob. 2. quia Chriſtus non meruit, niſi per actus humanos; ſed iſti fuerunt entitative, & intrinſece finiti; ergo & merita. Maj. patet: nam actiones divinæ non ſunt capaces meriti, quia meritum arguit inferioritatem in merente. Prob. min. actiones humanæ Chriſti non potuerunt excedere ſuas cauſas; ſed iſtæ erant finitæ in entitate, & virtute, nempe voluntas creata; ergo actus, ſeu opera Chriſti humana fuerunt entitative finita.

Prob. 3. Infinitas valoris operum Chriſti petitur vel ab entitate gratiæ, vel a ſuppoſito Verbi, vel objecto illorum, vel acceptatione divina; ſed nullum horum dat operibus Chriſti valorem intrinſece, ſeu entitative infinitum; ergo &c. Prob. min. 1. ex dictis patet, quod gratia fuit finita. 2. non ex ſuppoſito Verbi, ut mox patebit: nam ſuppoſitum non influit valorem intrinſecum. 3. non ex objecto: nam virtutes ejus non habebant alia objecta, quam noſtræ. 4. non ex acceptatione divina, quia hæc non dat valorem intrinſecum, ſed pure extrinſecum; ergo &c.

Dices, infinitatem non peti ex parte ſolius naturæ, ſeu voluntatis humanæ, ſed ſimul ex parte perſonæ Verbi ad illa opera concurrentis.

Contra 1. quia ſuppoſitum Verbi non aliter concurrit in opera, & actiones humanitatis, quam concurreret propria ſubſiſtentia; ſed hęc non concurreret effective, ſed pure terminative, ut ſuppono ex Metaphyſ. & ex dictis ſupra; ergo opera humana Chriſti nullam infinitatem intrinſecam ſumunt a ſuppoſito Verbi.

Cont. 2. quia opera Chriſti humana non poſſunt dependere effective a Verbo potius, quam a Patre, & Spiritu S. nam opera Trinitatis ad extra ſunt communia, & indiviſa quoad efficientiam.

[1] *ibid. n. 3.*

Prob.3.Si hæc opera haberent aliquam infinitatem, maxime ex dignitate operantis; ſed hæc non dat infinitatem entitativam, ſive intrinſecam; ergo &c.Prob. min.nam dignitas operantis non dat infinitatem operi intenſivam, nec objectivam, nec localem, nec finalem, nec formalem, nec materialem; ergo illa dignitas non dat meritis infinitatem ſimpliciter, & intrinſecam, ſed ſecundum quid, & extrinſecam. Min.patet: nam ex his capitibus opera Chriſti humana erant finita. Maj. prob. Nam dignitas regis largientis nummum non auget valorem intrinſecum ejus ſupra nummum datum a ruſtico, quamvis aliunde poſſit creſcere valor, & meritum doni regii, v.gr. ex meliori objecto, & fine, ex intenſiori charitate &c.

Prob. 4. ex dictis alias de gratia Chriſti, & de infinito: nam repugnat infinitum in ſubſtantia, vel qualitate, & quantitate; ergo &c.

Confir. Nam inde ſequeretur omnia opera Chriſti fuiſſe æqualia; ſingula enim fuiſſent infinita, & non datur infinitum infinito majus; & omnia ſimul opera ejus in toto decurſu vitæ ſuæ non facerent meritum majus, nec ſatisfactionem ejus pleniorem, quam unicus,& primus actus ejus elicitus in inſtanti conceptionis; ſed hoc videtur abſurdum; ergo &c.

Confir. 2. Nam ſi opera Chriſti haberent infinitatem intrinſecam, eſſent æqualis valoris, & dignitatis cum operibus divinis, ſeu increatis; ſed conſ.eſt abſurdum,& falſiſſimum;ergo &c. Prob. maj.nam eſſent intrinſece,& entitative infinita,& ab eodem principio effective: nam adverſarii volunt, quod Verbum influat effective, & quod actiones ſint effective ſuppoſitorum; ſed omnia infinita ſunt æqualia; ergo &c.

Prob. denique: nam per hanc infinitatem ſalvantur omnia, quæ dicuntur in Script. & PP. de plenitudine ſatisfactionis,& meritorum Chriſti,& vitantur inconvenientia, ut patebit ſolut. objectionum.

Objic. 1. ex Script. & PP.Nam dicitur *copioſa apud Deum redemptio*.Et, *Empti eſtis pretio magno*. Et S. Baſil. dicit: *Chriſti ſanguinis pretium excedit omnem valorem*. Et Nazianz. dicit, *Sanguinem Chriſti lavare omne peccatum*; ſive, ut notat Baſil. *Sanguinem martyrum infinitis intervallis diſtare a ſanguine Chriſti*, ſc.

pro-

propter valorem infinitum. Et Clem. VI. aſſerit, *Chriſtum meritis, & ſatisfactionibus acquiſiviſſe infinitum theſaurum hominibus, & unam guttam ſanguinis fuiſſe ſufficientem ad perfectam redemptionem noſtram*: ergo ex PP. imo & ex ſenſu Eccleſiæ meritum Chriſti fuit intrinſece infinitum.

Reſp. neg. conſ. Nam ex infinitate, quam tribuimus meritis Chriſti, redemptio eſt copioſiſſima, & pretium ejus ſummum. Et quoad PP. inquit Scotus, *dicta iſta videntur hyperbolice dicta, & explicanda*, ſc. de infinitate extrinſeca per acceptationem divinam, quatenus Deus intuitu perſonæ operantis, quæ ſubſiſtebat in Verbo, acceptavit illa opera in ordine ad præmium infinitum, & ut ſatisfactionem pleniſſimam pro infinitis. Et hoc ſufficit intentioni Clementis, qui hæc dicebat, ut doceret theſaurum, ex quo accipiuntur indulgentiæ, eſſe inexhauſtum, quia fundatur in meritis Chriſti, quæ ſunt infinita tali infinitate, ut exhauriri non poſſint, ut de facto non poſſunt exhauriri propter hanc ordinationem divinam, qua voluit hæc merita valere pro infinitis.

Objic. 2. Valor meritorum Chriſti petitur ex dignitate perſonæ operantis; ſed perſonæ hujus dignitas eſt infinita; ergo & meritum. Prob. maj. Nam ſicut offenſa creſcit ex dignitate offenſi, ita & ſatisfactio ex dignitate ſatisfacientis.

Reſp. diſt. maj. Valor, & dignitas extrinſeca, conc. intrinſeca, neg. maj. & conſeq. Nam in materia juſtitiæ commutativæ non attenditur qualitas perſonarum, ſed gravitas, vel levitas nocumenti, & ad illud comparatur ſatisfactio, quæ ſpectat ad juſtitiam iſtam. Præterea ſicut peccatum reſpicit Deum offenſum, & inde contrahit gravitatem extrinſece, & denominative infinitam: ita & ſatisfactio eſt a Chriſto ſubſiſtente in perſona divina, a qua ſimiliter habet denominationem quandam infinitatis.

Objic. 3. Actiones Chriſti fuerunt *Theandricæ*, ſeu *Deiviriles*; ſed actiones divinæ ſunt intrinſece infinitæ: ergo & actiones Chriſti. Prob. maj. quia tam procedunt a Deo, quam ab homine: ergo contrahunt infinitatem a Deo; conſ. videtur Scoti: nam inquit, *Si meritum Chriſti fuit infinitum, tunc meritum non fuit plus ſecundum velle creatum, quam ſecundum velle in-*

le increatum Verbi; ergo non negat infinitatem coarctatam ex parte Verbi.

Reſp.diſt.I.ant. *Theandricæ*, quatenus elicitæ a voluntate humana ſubſiſtente in perſona divina, conc. quatenus elicitæ tam a perſona divina, quam a voluntate humana,neg.ant. & conſ. prob. Nam, ut diximus, ſicut perſonalitas propria humanitatis non influit phyſice, & efficienter in actiones humanas, ita nec perſona Verbi in eaſdem, quia nihil ibi præſtat, niſi ſupplere locum, & munus ſubſiſtentiæ humanæ. Scotus autem non dicit, quod de facto velle illud, in quo eſt meritum, ſit a Verbo æque, ac ab humanitate, ſed quod ſic deberet eſſe, ut diceretur infinitum, ut patet ex textu.

Inſt. Limitatio in ratione meriti eſt propria puræ creaturæ; ergo dedecet Chriſtum, qui non eſt pura creatura.

Reſp.diſt.conſ.Dedecet Chriſtum agentem ex principio increato, & divino, conc. agentem per voluntatem creatam, neg.conſ. Nam ſicut non dedecet illum operari per voluntatem humanam, ita nec habere actiones, & merita entitative, & intrinſece finita.

Objic. 4. Meritum, & ſatisfactio Chriſti valet pro infinitis peccatis, & peccatoribus; ergo eſt valoris infiniti intrinſece.

Reſp.neg.conſ.nam ad hoc ſufficit infinitas extrinſeca,quatenus acceptatur pro remiſſione infinitorum, ſi eſſent.

Inſt. Satisfactio non poteſt excedere valorem operis, alioqui effectus excederet cauſam ſuam; ergo ſi ſatisfactio Chriſti valet pro infinitis, valor operum ejus erit infinitus entitative.

Reſp. diſt. ant. valorem intrinſecum, vel extrinſecum, conc. intrinſecum, neg. ant. & conſeq.Valor extrinſecus eſt infinitus ex pacto,& acceptatione, & hæc acceptatio fundatur in illa dignitate extrinſeca,& congruentiæ, quam accepit a perſona Verbi. Diſt. etiam prob.ant.effectus moralis excederet cauſam ſuam moralem quoad entitatem, conc. effectus phyſicus cauſam phyſicam, neg.ant. Opera Chriſti ſunt cauſa moralis ſatisfactionis, & remiſſionis peccatorum, non phyſica. Et præterea hæc cauſa habet etiam aliquam infinitatem, ſicut effectus cum aliqua proportione, ſc.

ex

ex pacto, & ex dignitate perſonæ.

Inſt. 2. Meritum menſuratur ex præmiis; ſed præmia operum Chriſti ſunt vere infinita intrinſece; ergo & ipſum meritum. Prob.min. Præmia meriti Chriſti ſunt remiſſiones peccatorum omnium, infuſiones omnium gratiarum pro eiſdem, & collationes gloriæ omnibus electis; ſed hæc omnia ſimul, aut diviſim ſunt infinita intrinſece; ergo & præmium Chriſti.

Reſp.1. diſt.maj. menſuratur aliquo modo, & geometrice, conc. rigoroſe, & arithmetice, neg.maj. nam, ut dicemus, ſatisfactio Chriſti non fuit de toto rigore juſtitiæ. Et præterea omnia peccata in comparatione meritorum Chriſti ſunt longe inferiora; ſunt enim ordinis naturalis, & infimi, merita vero ordinis ſupernaturalis, & ſummi.

Reſp.2.neg.min. Nam falſum eſt, peccati gravitatem eſſe poſitive, & intrinſece infinitam, nec gratiæ omnes in ſua entitate, & numero ſunt categorematice infinitæ: ita eſt de lumine gloriæ.

Objic.5. Illud eſt infinitum actu, & intrinſece, quod excedit ex ſe omnem gratiam, & gloriam, quam Deus poſſet creare, & concedere: ſed meritum Chriſti ita excedit omnem gratiam, & gloriam: non enim poteſt aſſignari ratio menſuræ, aut limitationis. Prob. maj. Nam Deus poteſt ſemper majorem, & majorem gratiam, & gloriam creare, & concedere in infinitum; ergo meritum, quod illa excedit, debet eſſe ex ſe infinitum.

Reſp.diſt.min.excedit ratione ſuppoſiti, & deitatis, cui voluntas unitur hypoſtatice, & a quo merita elevantur denominative, & extrinſece, conc. excedit ſecundum ſe intrinſece, neg.min.& conſ. prob. Nam licet ex eo capite non poſſit aſſignari terminus, ſeu mẽſura talis dignitatis entitativæ, & intrinſecæ, & multo minus dignitatis extrinſecæ, non ſequitur, quin illa ſit finita, ſicut iſta eſt infinita.

Objic.denique. Scotus in commendando Chriſtum magis vult excedere, quam deficere, & quidquid rationabile, & glorioſum eſt Chriſto, & non implicat. *Scito*, inquit Auguſt. *hoc Deum potius feciſſe, quam non feciſſe*; ſed talis infinitas abſoluta meriti eſt glorioſior Chriſto, & non implicat; ergo aſſerenda eſt.

Reſp. neg. min. Nam implicantia, & abſurditas patent ex fundamentis concluſionis, ut quod unica Chri-

ſti actio potuiſſet eſſe meritoria; quod ſingula opera fuiſſent æqualia; quod ſi Verbum, aut Spiritus S. ſumeret aliam naturam, non poſſet per eam habere aliud meritum ab iſto diſtinctum: repugnant enim plura infinita ſimpliciter.

Hæc magis patent ex dictis alias de merito, ubi probatum eſt pactum, & acceptationem divinam eſſe rationem, ſeu conditionem completivam meriti: nam quoad hoc eadem eſt ratio de merito Chriſti. Nam inquit Scotus, [1) *Meritum eſt aliquid acceptatum vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante aliquid eſt retribuendum illi, in quo eſt quaſi debitum pro illo merito illi, vel alteri, pro quo meruit.* Hæc autem acceptatio non eſt aliquod novum decretum Dei pro tempore, pro quo operatur quis, ſed eſt decretum generale, & æternum, quo ſtatuitur omni exiſtenti in gratia, & operanti in talibus circumſtantiis conferre tale, aut tale præmium; & ſic per æternum decretum Incarnationis Chriſti in carne paſſibili decrevit acceptare opera ejus in ſatisfactionem, & redemptionem omnium peccatorum, &c.

Collige autem, quod Scotus in hoc puncto non docet illam acceptationem operum Chriſti pro tali ſatisfactione, & redemptione omnium peccatorum fuiſſe ita liberam, & gratuitam, ut nihil ſpeciale viderit in illis, per quod motus fuerit ad illam: nam aſpexit Deus non ſolum ad naturam, & entitatem operum ejus, quæ omnia fuerunt quidem ſanctiſſima, ſed valoris finiti, ſed etiam aſpexit ad dignitatem perſonæ divinæ terminantis, & ſuſtentantis naturam operantē;alioqui, inquit,[2] *ex formali ratione ſua illa opera non poterant accepiari in infinitum pro infinitis, ſed pro finitis.* Nota ſequentia verba: *Tamen ex circumſtantia ſuppoſiti, & de congruo, ratione ſuppoſiti, habuit quandam rationem extrinſecam, quare Deus potuit accipere illud in infinitum, ſcilicet extenſive pro infinitis.* Quæ ſi perpenderentur ab adverſariis, non ſic inveherentur in doctrinam hanc Scoti. Imo hinc facile conciliari poſſunt partes adverſæ.

QUÆ-

[1) *d.18.A.3.*§[2] *ibid.D.n.4.*

QUÆSTIO IV.

Quid meruit Chriſtus tam ſibi, quam nobis.

NOn quærimus de merito Chriſti circa ſuam unionem cum Verbo, ſeu an ſibi meruerit, vel mereri potuerit ſuam incarnationem. Nam hæc quæſtio deciſa eſt negative, ubi de cauſis ejus. Quæſtio tantum procedit de gratia ſanctificante cum aliis donis, & de gloria animæ ſuæ, an illa meruerit, vel mereri potuerit: item de gloria corporis, & nominis ſui exaltatione.

Quoad nos vero quæſt. verſatur circa prædeſtinationem, juſtificationem, & alia dona gratiæ, & gloriæ: ſingula perſtringemus.

CONCLUSIO.

CHriſtus non meruit ſibi nec gratiam ſanctificantem, nec de via ordinaria potuit mereri, bene vero de potentia abſoluta. Eſt communis quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod non meruit ſibi fruitionem.* Quod efficaciter probat rationibus adducendis, & inde ſequitur, quod neque gratiam ſanctificantem; tum quia, ut patuit ſupra, negat, quod unionem præceſſerit ulla gratia: tum quia patuit, eum cum ſumma gratia fuiſſe conceptum.

Prob. per partes, & 1. de gloria: nam ille actus meritorius verſaretur vel circa Deum, vel circa creaturam, vel eſſet ipſe actus fruitionis; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non circa Deum, nullo enim actu perfectiori potuit attingere Deum, quam viſione, & fruitione, quæ illi debebantur ex vi unionis; ergo &c. 2. non circa creaturam, non enim decuit eum reſpicere primo quidquam præter Deum, indignum eſſet filio naturali Dei reſpicere creaturam, priuſquam Deum; non 3. per actum ipſum fruitionis; alioqui hæc fuiſſet cauſa ſui ipſius; ergo nullo actu meruit beatitudinem animæ ſuæ.

Prob. 2. In 1. inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus: ergo in eodem non meruit beatitudinem, quia de via ordinaria meritum præcedit præmium.

Con-

[1] *d. 18. l. n. 12.*

Confir. Nam unio hypoſtatica non cadit ſub meritum Chriſti; ergo nec gloria animæ: prob.conſ.nam hęc gloria eſt quid debitum, & annexum huic unioni.

Prob:2.p. de gratia. Nam gratia prima ſanctificans non cadit ſub meritum, nam ipſa eſt principium meriti.

Confir. Nam hæc eſt etiam ſequela unionis hypoſtaticæ, & hanc habuit in primo inſtanti ſuæ conceptionis; ergo hanc non meruit.

Prob.2. Nam ſi non meruit ſibi gloriam animæ, ergo multo minus gratiam ſanctificationis; nam illam præcedit aliqualiter.

Prob.3.p. quod de via ordinaria non potuerit eas mereri. Nam de via ordinaria debuit concipi in gratia, & gloria; ergo neutram potuit mereri: ant. patet ex dictis de utraque, erant enim connexæ, & debitæ conſequenter ad unionem hypoſtaticam: prob. conſ. nam ut dicebam de via ordinaria meritum debet præcedere præmium duratione.

Igitur in ipſo inſtanti conceptionis Chriſtus habuit 1. unionem hypoſtaticam, velut radicem, & *fundamentum* omnium aliorum donorum. 2. *habitus* ſupernaturales gratiarum cum lumine gloriæ. 3. actus illorum habituum, & luminis, ſc. viſionem, fruitionem, ſeu amorem beatificum, & actus aliarum virtutum.

Prob.4. p. quod de potentia abſoluta potuit Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis carere gloria, & gratia, & creari cum ſola unione hypoſtatica; ergo tum potuiſſet mereri utramque: prob. ant. tum quia in hoc nulla apparet repugnantia; tum quia omne prius poteſt eſſe ſine poſteriori, ſi non ſint intrinſece, & neceſſario connexa; ſed unio hypoſtatica eſt prior viſione beata, & omni alio dono, quia unio reſpicit eſſe naturæ in ratione ſuppoſiti, & illa dona ſupponunt naturam ſubſiſtentem, & completam; & hæc dona non ſunt intrinſece connexa cum illa unione; ergo &c.

Objic.1.con.1.p.ex Script.[1] *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*. Et, *vidimus Jeſum propter paſſionem gloria, & honore coronatum*; ergo Chriſtus meruit gloriam.

Reſp.

[1] *Luc.4.ult.*

Reſp. diſt. ant. in gloriam corporis, & manifeſtationem, con. in gloriam animæ, & interiorem, neg. ant. & de hac non loquuntur hi textus, nec alii, qui poſſent adduci.

Inſt. Anſelmus explicat poſteriorem locum de gloria animæ, ſicut & corporis; ſic enim habet: *Videmus oculis Jeſum propter paſſionem gloria, & honore coronatum ſecundum animam, & corpus;* ergo non valet ſolutio.

Reſp. diſt. ant. ſecundum animam quoad aliqua accidentalia gloriæ, con. quoad eſſentialia, neg. ant. nec enim id cogitavit Anſelmus, alioqui ſentiret contra omnes Theologos. Hæc autem accidentalia conſiſtunt in hoc, quod poſt, & per paſſionem meruerit animæ gloriam communicari corpori &c. Quod patet ex Euangelio: nam, inquit Joannes, *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti*, &c. *plenum gratia* &c. Ubi non aſſignat meritum operum, ſed conditionem perſonæ, ſc. filiationem divinam.

Objic. 2. Potuit Chriſtus mereri talem gloriam, & gratiam; ergo de facto meruit: ant. patet ex 4. p. prob. conſ. nam illud meritum facit ad majorem gloriam Chriſti; nam glorioſius eſt, quod illam meruerit, quam quod ſine meritis, & gratis data ſit ei, & ſufficit aliquid eſſe poſſibile, & glorioſum Chriſto, ut aſſeratur factum.

Reſp. diſt. ant. potuit de potentia abſoluta, con. de via ordinaria, neg. ant. & conſ. & ant. prob. glorioſius enim eſt Chriſto, quod hæc illi deberentur jure aliquo naturæ; & quod ſi non ita deberentur ex tali jure, adhuc poſſet illa mereri conſequenter, ut evenit in ipſo, cujus opera fuiſſent ſufficienter meritoria talium donorum, niſi aliunde habuiſſet anteriori titulo.

Objic. Opera Chriſti habita in ipſo inſtanti conceptionis, prout naturaliter priora donis gloriæ, & gratiæ, habebant omnes conditiones meriti condigni; ergo per illa meruit gratiam, & gloriam. prob. ant. erant ſupernaturalia hominis viatoris, & Deo gratiſſima, nempe filii gratiſſimi, & oblata Deo; ergo &c.

Reſp. neg. ſuppoſitum, ſc. quod ulla Chriſti opera de facto fuerint priora illis donis; id enim gratis dicitur, imo contra rationem; nam ordine naturæ, prius debuit habere dona, quæ naturaliter, & immediatius

tius pertinent ad eſſe, quam remotiora, ut ſunt operationes; nam operari ſequitur eſſe completum ex omnibus, quæ illud comitantur.

Objic. cont.4. p. Implicat aliquid mereri, & ſimul eſſe in termino; ſed ſi Chriſtus mereretur gloriam, & gratiam in illo primo inſtanti, eſſet ſimul in termino, & in motu: ergo &c. Prob. min.1. eſſet in termino, quia eſſet, & erat beatus in illo inſtanti. 2. fuiſſet in motu, quia meritum gloriæ, & gratiæ eſt motus ad illas; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſimultate temporis, & naturæ, con. ſimultate temporis, neg.maj. & min. nam in eo caſu præmium, & meritum fuiſſent ſimul tempore, ſed non natura, ſicut omnis cauſa eſt ſimul tempore cum effectu, ſed natura prior.

Reſp.2. neg. min. & ant.prob. nam in noſtra hypotheſi Chriſtus non fuiſſet, vel non eſſet pro illo 1.inſtanti beatus, nec in gratia; non enim implicat, illum fuiſſe creatum cum ſola unione hypoſtatica, ut diximus, & tunc potuiſſet mereri gloriam, & gratiam.

Objic.2. ex Scoto. [1] Conjunctio animæ Chriſti cum Deo per fruitionem fuit tanta, & tam excellens, quod ad illam non potuit præcedere meritum; ſicut natura Angeli eſt talis, ut ad eam creandam non potuerit cooperari cauſa ſecunda, ſc. propter perfectionem talis naturæ; ergo nequidem de potentia abſoluta potuiſſet Chriſtus mereri gloriam animæ ſuæ, nam illa ratio probat etiam de hac potentia, quia petitur ex natura illius doni, & actus.

Reſp.1. neg. conſ. & rationem ejus: nam Scotus non dicit hoc implicare, ſed tantum *videtur rationabile*, ſeu congruum, imo nec multum fidit in illa opinione, & recurrit ad puram congruentiam. *Aliter dicitur ponendo, quod actus ille potuerit cadere ſub merito ... quod decens eſt, propter alios beatos, & propter perfectionem illius ſtatus* &c. ergo.

Reſp.2. diſt. ant. non potuit de via ordinaria, con. de via extraordinaria, & abſoluta, neg.ant. nam, inquit Marginiſta, *loquitur de potentia ordinaria*.

Objic. Illud meritum eſſet ipſe actus fruitionis, vel alius; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob.min.1. non ipſa fruitio, alioqui eſſet meritum, & cauſa ſui ipſius.

[1] *Ibid.G.n.*13.

ipſius. 2. non alius actus, quia nullus alius potuit præcedere fruitionem, quia immediate debebatur propter unionem, ergo &c.

Reſp.neg. min Nam poſſet habere pro eodem inſtanti temporis alium actum charitatis priorem naturaliter fruitione v. g. amorem elicitum ex ſcientia infuſa: in hoc enim nulla eſt implicantia, & ſic meritum non præceſſiſſet præmium tempore, ſed natura.

CONCLUSIO II.

Chriſtus ſibi meruit [*ſaltem indirecte*] *gloriam corporis, & nominis exaltationem; & animæ impaſſibilitatem, & alias beatitudinis dotes*. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui hoc proponit dubium. *Numquid meruit ſibi impaſſibilitatem animæ, & corporis? Magiſter dicit, quod ſic .... poteſt dici pie ſentiendo cum Magiſtro, & pie gloſſando, quod quamvis non meruerit directe impaſſibilitatem utriuſque; meruit tamen amotionem impedimenti*, videlicet amotionem, ſeu ceſſationem miraculi, quo impediebatur, ne gloria animæ redundaret in corpus, & in portionem inferiorem ipſius animæ. Ideo dixi in concl. [*ſaltem indirecte*]

Prob.2. ex Script. Nam de hac gloria intelliguntur hæc loca. (2) *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*. Item (3) *Vidimus Jeſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum*. Item, *humiliavit ſemetipſum .... propter quod & Deus exaltavit illum* &c. Et eodem ſenſu dicitur in Apocalypſi, *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere gloriam* &c. id eſt gloriam viſibilem corporis, honores divinitatis &c. quæ impediebantur apparere, & cauſare impaſſibilitatem ante reſurrectionem.

Illas autem dotes enumeravimus in tractatu de beatis, ut ſunt agilitas, claritas, incorruptibilitas, impaſſibilitas, ſubtilitas, &c.

Prob.3. Nam hæc cadunt ſub meritum, & certum eſt, quod illa Chriſtus non habuit durante vita ſua mortali; ergo hæc mereri potuit; ergo & meruit de facto, quandoquidem id tam aperte docent Scripturæ. An autem abſolute, & ſimpliciter, & directe, an indirecte, & quoad amotionem ſeu ceſſationem miraculi im-

pe-

[1] *Ibid.n.15.* [2] *Luc.24.* [3] *Heb.2.*

pedientis, parum intereſt, ni fallor, ſed tamen magis proprie loquitur Scotus dicens, eum illa meruiſſe indirecte: nam certum eſt illa debita fuiſſe conſequenter ad gloriam animæ, quæ non cadebat ſub meritum ejus; unde tribuitur miraculo, quod non habuerit ſimul illas dotes corporis glorioſi.

Prob.2. p. ex Script. citata: *Propter quod & Deus exaltavit illum* &c. Et *In nomine Jeſu omne genu flectatur*. Item, *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat ſalvos fieri*. Et revera ex meritis obtinuit nomina *Jeſu*, ſeu *Salvatoris*; *Deus ſuſcitavit Jeſum*... *principem*, *& Salvatorem*, *exaltavit dextera ſua*. Item titulum capitis, *Caput Eccleſiæ*, *& Salvator corporis ejus*. Et, *apparuit gratia Dei ſalvatoris noſtri omnibus hominibus* &c.

Prob.2. Nam de facto ex tempore mortis, & reſurrectionis Chriſti cepit manifeſtari gloria nominis ejus; ergo &c.

Objic. contra hanc particulam, ſeu reſtrictionem. Derogatur gloriæ Chriſti, cum negatur illi tale meritum directum; ergo dicendum abſolute, *quod hæc* meruit directe. prob. ant. nam glorioſius eſt *illi*, quod habeat illa ex merito, quam ſi haberet gratis; ergo &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. ſi alio jure altiori non fuiſſent debita, con. ſi ſic debita, neg. ant. nam, ut dicebam ſupra, major eſt gloria Chriſto, quod illa ſibi fuerint debita, & quod non ſine miraculoſa diſpenſatione fuerint ſuſpenſa, & dilata, quam quod obtinuerit proprio labore, & maxime cum nec iſtud meritum defuerit, quo ſc. ea meritis acquiſiiſſet, niſi priori, & potiori titulo habuiſſet; ſic enim pluribus titulis ea poſſidet.

Objic. con. 1. p. Chriſtus dicit ſe datum a Patre, ut ſalvaret mundum; [2] *ut ſalvetur mundus per ipſum*; non autem ut ſalvaret ſeipſum. Et *pro nobis omnibus tradidit illum*; ergo nihil ſibi meruit, alioqui diceretur Salvator ſui ipſius.

Reſp. diſt. ant. ut ſalvaret mundum primario, & principaliter, con. abſolute, ita ut nihil, ſaltem ſecundario, ſibi mereretur, neg. ant. & conſ. nam dicitur Salvator mundi, quia primo, & principaliter venit in carne paſſibili, ut nos redimeret; quamvis etiam

[1] *Eph.* 5. [2] *Jo.* 3.
[3] *Rom.* 8.

etiam ſibi meruerit aliqua, & hoc ſenſu loquitur Euangelium, & D. Paulus.

CONCLUSIO III.

Chriſtus meruit nobis gratias omnes, quibus juſtificamur, aut ad juſtificationem diſponimur: & liberationem a culpa, & pœna peccatorum, & apertionem januæ paradiſi, & introductionem in paradiſum. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod meruit omnibus, qui primam gratiam accipiunt, collationem illius.... ſimiliter dico, quod Chriſtus meruit nobis, ut totalis cauſa, apertionem januæ paradiſi*, &c.

Prob. generaliter ex Script. quæ docet, (2) quod *Deus, & Pater D. N. J. Chriſti benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*. Et Joannes cum dixiſſet, [3] *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*, Addit: *Et de plenitudine ejus omnes accepimus*. Et infra: *gratia, & veritas per J. Chriſtum facta eſt*. Et ipſemet de ſeipſo dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita, & nemo venit ad Patrem, niſi per me*.

Prob. 3. ex Conc. Trident. (4) *Ipſius juſtificationis exordium in adultis a Deo per J. Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe &c.* Et *ipſius gratiæ juſtificantis cauſa meritoria eſt unigenitus ſuus Dominus Noſter J. C. qui... juſtificationem nobis meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit*. Et addit, quod *nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis J. C. communicantur*. Idem definit Can. 10. de gratiis actualibus, v. g. excitante, & adjuvante: *Per redemptionem, quæ eſt in Chriſto J.* Et idem docet de aliis gratiis paſſim.

Prob. 3. ex PP. nam, inquit Aug. [5] *accipimus de plenitudine ejus primam gratiam, & rurſum gratiam pro gratia accipimus*, primam illam gratiam vocat fidem, *in fide deambulantes in gratia ambulamus*. Et Cyrillus: [6] *De plenitudine filii quaſi de jugi fonte gratiarum donum ſcaturiens in ſingulas animas, quæ dignæ ſunt, defluit*. Idem docet Chryſoſtomus. *Ipſe enim fons eſt, & radix bonorum omnium, ipſe vita, ipſe lux, ipſe veritas non in ſeipſo bonorum divitias* con-

[1] *d.19.C.n.8.* [2] Ephe.1. [3] Jo.1.
[4] *Seſs.6.* [5] *tract.3.in* Jo. (6) *Ibid.*

continens, ſed in univerſos diffundens, &c. Et Theodoretus in locum cit. Pauli, [1] *Benedixit nos in omni benedictione*, enumerat ſingula dona, *dedit enim nobis dona ſpiritus, dedit ſpem reſurrectionis, immortalitatis promiſſionem, pollicitationem regni cœlorum, & adoptionis in filios dignitatem*. Hæc fit per gratiam &c.

Prob. 4. Nam hæc omnia ſunt partes, vel media, vel ſequelæ redemptionis; ſed illam habemus per merita Chriſti; ergo &c.

Confir. ex dictis de dignitate capitis, & mediatoris; nam, ut docet Concil. Trident. [2] *Cum ille ipſe Chriſtus J. tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine quo nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.*

Confir. 2. ex inſtitutione, & efficacia ſacramentorum: nam utrumque habemus à Chriſto, & illa ſunt fontes omnium gratiarum, & donorum, quibus à peccatis pervenimus ad juſtitiã, a captivitate diaboli ad libertatem filiorum, & a morte ad vitam æternam.

Prob. denique de apertione paradiſi, & introductione in illum; nam certum eſt, quod hoc habemus per Chriſtum, ut ſtatim poſt diſceſſum ex hac vita, & completam purgationem peccatorum introducamur in paradiſum, & quod ante mortem ejus, & aſcenſionem Patriarchæ, & Prophetæ, licet ſanctiſſimi, remanſerunt in Limbo, nec ullus eorum intravit in Cœlum, & de fide eſt, quod ex eo tempore illi omnes intrarunt; ergo &c.

Objic. contra priores partes. Præmium debet excedere meritum; ſed gratiæ omnes omnium hominum non excedunt meritum Chriſti; ergo meritum Chriſti non eſt propter gratias noſtras. prob. maj. merita ſunt propter præmia in ratione finis; ſed finis excedit media; ergo præmium excedit meritum.

Reſp. 1. diſt. utramque maj. excedit meritum ſub ratione meriti, con. opus meritorium abſolute, & ſecundum ſe, neg. utramque maj. & 1. min. opus in ratione meriti formaliter, & reduplicative ordinatur ad præmium; ſed poteſt in ſe intendi propter ſuam propriam honeſtatem, & quidem principaliter, ut con-

[1] *Eph.* 1. [2] *Seſſ.* 6. *c.* 16.

contigit in Chriſto, qui primario intendebat placere Deo, & opera ſua reſpiciebat in eorum propria bonitate, & ſecundario ea offerebat, ut nobis impetraret gratias, & remiſſionem peccatorum. Aliter reſpondet Scotus; nobis iſta ſufficiat.

Objic.2. Meritum Chriſti fuit finitum per nos, peccata vero infinitæ gravitatis; ergo Chriſtus non potuit mereri nobis remiſſionem peccatorum.

Reſp. 1.neg.ant. quoad 2.par. Nam ex dictis de peccatis, eorum gravitas intrinſeca eſt finita, abſolute loquendo.

Reſp.2.neg.conſ. Nam ſi peccati infinitas menſuratur ex dignitate infinita Dei offenſi; ita meritum Chriſti dicitur infinitum ex dignitate perſonæ in Chriſto operante: utraque autem infinitas eſt extrinſeca, ut dictum eſt

Objic.cont.3. p. de apertione cœli: nam ſi Chriſtus meruit gratiam, & gloriam Patriarchis juſtificatis, & ſalvatis ante ejus adventum, anticipate potuit etiam mereri pro iiſdem apertionem cœli, & introductionem; ſed neutrum meruit anticipate; ergo nec illas gratias. Prob.maj. Non enim eſt potior ratio de anticipatione mercedis quoad gratiam, quam quoad gloriam, ſed ſi gratia data eſt illis ex meritis Chriſti nondum exiſtentibus, & data eſt anticipate; ergo & gloria; vel neutrum meruit.

Reſp. neg. utramque maj.& diſparitas eſt, quia ex pacto, inquit Scotus, [1] aliqua pars præmii potuit dari anticipate ad meriti exhibitionem, ſed non ultimum, & ſummum præmium, qualis eſt poſſeſſio gloriæ. *Generaliter verum eſt, quod ſummum bonum, ad quod ordinatur meritum, non debet conferri ante exhibitum, & completum meritum: ſummum autem bonum, ad quod ordinatur meritum Chriſti, reſpectu eorum, pro quibus meruit, eſt ingreſſus eorum in paradiſum, & ille non dabatur actualiter ante paſſionem exhibitam, licet pro paſſione prævisa remitteretur offenſa, & daretur gratia illis Patribus credentibus paſſionem exhibendam.*

QUÆ-

[1] *ibid. D.n.*11.

QUÆSTIO VI.

An Chriſtus meruerit gratiam primis parentibus ante lapſum, & Angelis.

GRatia, quam diximus datam hominibus, eſt gratia reparationis, ſeu redemptionis, & ſic non adeo mirum, quod data fuerit ex merito redemptionis Chriſti præviſo, & quidem ex merito paſſionis, ſed ſi Chriſtus non erat venturus, Adamo non peccante, ita nec illa gratia dari potuit intuitu meritorum ejus, ut futurorum, & præviſorum; & ita eſt de Angelis, & quidem a fortiori: nam qui peccarunt, nihil habuerunt de redemptione.

CONCLUSIO.

CHriſtus meruit gratiam Angelis, & primis parentibus. Eſt ſatis communis. In ea diviſi ſunt Scotiſtæ recentiores. Negativam tenet Card. de *Laurea*. Affirmantem putat Maſtrius probabiliorem.

Prob. 1. ex Scoto: [1] nam eo ipſo, quod docet, Chriſtum fuiſſe præviſum, & prædeſtinatum præcise, & independenter a præviſione peccati, ut eſſet caput utriuſque Eccleſiæ militantis, & triumphantis, & denique omnis creaturæ rationalis, ſufficienter indicat, eum per merita ſua præviſa influxiſſe omnibus vitam ſpiritualem gratiæ, & aliorum donorum. Unde concludit Vulpes ex Scoto, [2] *Chriſtum vel hominem aſſumptum fuiſſe primario a Verbo hypoſtatice, ut eſſet per modum capitis glorificator Angelorum, & hominum.*

Prob. 2. ex Script. De Angelis, ac de hominibus in quocumque ſtatu verificari poſſunt iſta: [3] *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, ſc. nulla datur gratia, niſi per me. Item, [4] *Propoſuit reſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt;* ergo influit per merita ſua in utramque Eccleſiam, ſc. terreſtrem, & cœleſtem.

Prob. 3. ex PP. Nam inquit Cyrillus: [5] *Per Chriſtum omnis fructificatio ſpiritualis tum in ſanctis Angelis,*

[1] *ibid. n.* 10. [2] *diſp.* 30. *G. n.* 3.
[3] *Jo.* 14. [4] *Eph.* 1. [5] *lib.* 5. *in Iſa.*

gelis, tum in nobis ipſis inſita eſt. Et alibi, [1] *Verax eſt Joannes, dicens, quod ex plenitudine ejus omnes accepimus; Chriſti enim eſt particeps univerſa viſibilis, & inviſibilis creatura, Angelique, & Archangeli... non alia ratione ſancti ſunt, præterquam per ſolum Chriſtum*. Et eodem ſenſu explicat eundem locum S. Thomas. (2) Item Fulgentius: [3] *Non alia virtus Dei partem Angelorum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare... una eſt in utroque operata, in hoc, ut reſurgeret, in illo, ne caderet*; ergo utriſque meruit, ſc. Angelis, & a fortiori primis parentibus gratiam ſanitatis, & hominibus lapſis gratiam medicinalem, & reparationis. Et Laur. Juſtin.(4) de Maria dicit, quod *ex Angelis, ſuper quos exaltata eſt, nemo illi invidebat: fructus quippe ventris ejus totam illam civitatem repleverat ſanctitate*.

Prob.4. quia ex multorum ſenſu Angelis in ſtatu viæ revelatum eſt myſterium incarnationis; & illud crediderunt, & per hanc fidem meruerunt; ergo ex merito Chriſti participaverunt: ad quid enim hic fuiſſet revelatus eis, niſi ut crederent, & venerarentur ut fontem omnium donorum ſuorum? Sicut e contra Lucifer, & Angeli ejus ex invidia in eundem peccarunt, quo ſenſu dicitur *fuiſſe homicida ab initio*.

Prob. 5. Non implicat, nec eſt inconveniens, quod Chriſtus inter omnes creaturas, & maxime inter rationales fuerit primus prævíſus, & prædeſtinatus, antequam prædeſtinati ſint Angeli, nec Adam, nec alii electi, & quidem prædeſtinatus ad omnem gratiam, & gloriam, quoad ſubſtantiam, quam de facto habet, & maxime ad dignitatem capitis, & *primogeniti omnis creaturæ*; ergo ita factum eſſe dicendum eſt. Antec. patet tum ex dictis de motivo incarnationis, quod ſc. decreta fuit independenter a præviſione peccati; tum quia nullum poteſt afferri inconveniens, vel implicantia. Prob.conſ. hoc enim facit ad majorem gloriam Chriſti; ergo id ita factum eſſe dicendum eſt, juxta illud: *In glorificando Chriſtum malo excedere, quam deficere*.

Prob.autem 2.p. Nam eadem, & adhuc major ratio eſt

[1] *l.9.de ador.* [2] *in Jo.c.1.*
[3] *lect.10.* [4] *ſer.de Aſſumpt.*

eſt de gratia ſanitatis in Adamo, quam in Angelis; ergo ſi iſtis meruit gratiam, qua donati ſunt, ita & illi eam, quam habuit ante peccatum. Quod confirmatur, quia Chriſtus fuit prævisus, & prædeſtinatus ante prævisionem peccati Adæ; ergo &c.

Objic. 1. Parabolam de Paſtore, qui 99. oves in deſerto reliquit, ut perditam quæreret: nam per 99. intelliguntur Angeli ex PP. per perditam homo, per Paſtorem Chriſtus; ergo hic nihil meruit Angelis, nec Adamo innocenti. 2. Apoſtolus dicit, quod *qui ſanctificat, & ſanctificatur, ſunt ex uno omnes*, ſcilicet ex uno Adamo deſcendentes; & ideo Chriſtus nos vocat fratres, dicens, *nuntiabo nomen tuum fratribus meis*: ergo ſoli homines ab Adamo deſcendentes habent gratiam ex meritis Chriſti, non autem Angelus, nec ipſe Adam.

Reſp. neg. conſ. & quidem 1. quoad parabolam gratis explicatur de Angelis. Quomodo enim paradiſus, in quo relinquuntur, poteſt dici deſertum? 2. Demus hoc dici de Angelis, hoc faciet pro nobis: nam ſi ſunt de eodem ovili ejuſdem Paſtoris, a quo aberravit ovis illa; ergo una erat ab initio totius *ovilis* gratia, & cura Paſtoris, & ſubjectio centum ovium, & ut dicebamus ex S. Fulgent. per Chriſtum illæ nonagintanovem ſteterunt, & in toto relictæ ſunt, ſicut per illum quæſita eſt errans, & reportata in ovile. Ad Apoſt. autem dico, ille unus, ex quo ſunt omnes, eſt Deus creator, ex quo ſunt Angeli, & homines, & ipſe Chriſtus. Item vult, quod omnes homines, quos Chriſtus ſanctificat, ſunt ab eodem Adamo ejuſdem naturæ, & fratres, ſed non excludit alios, nec ipſum Adamum, quem non negabunt adverſarii ex meritis ejus redemptum, nec etiam alios, qui aliter participarunt de meritis ejus, ut Angeli, quique non ſunt fratres ſecundum carnem.

Inſt. Nunquam dicit Script. Angelos eſſe *dealbatos in ſanguine agni*, ſeu redemptos; ſed hoc dicendum eſſet, ſi per ejus merita recepiſſent gratiam ſanctificantem; ergo non receperunt.

Reſp. neg. min. Nam id dicitur de ſolis illis, qui juſtificati ſunt ex meritis Chriſti paſſibilis, & patientis, ſeu paſſuri, quales non ſunt Angeli, nec primi parentes ante lapſum.

Inſt.

Inſt. 2. Chriſtus non meruit, niſi pro illis, qui erant mortui; ſed Angeli non erant mortui; ergo &c. Prob. maj. ex Apoſtol. [1] *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*: alioqui argumentum ejus non valeret.

Reſp. diſt. maj. non meruit per mortem ſuam, con. abſolute, & independenter a paſſione, neg. maj. & conſ. prob. non enim dicimus Chriſtum meruiſſe Angelis per merita paſſionis, ſed per alia independenter a morte, ſcilicet per actus charitatis &c.

Objic. 2. Angeli non habuerunt gloriam ex meritis Chriſti: ergo nec gratiam. ant. patet. Nam Patriarchæ non intrarunt in Cœlum ante conſummationem paſſionum, & meritorum Chriſti, ut fatemur; prob. conſ. nam ſi non habuerunt gloriam ex meritis Chriſti; ergo multo minus gratiam, quæ eſt diſpoſitio ad gloriam.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam Patriarchæ non poterant intrare in gloriam anticipate ad exhibitionem meriti, quia demeruerunt excluſionem ab ea, & ſibi clauſerant Cœlum per peccatum, non autem Angeli, ideo pro illis non valet ratio Scoti, qui per illum diſcurſum non intendit abſolute negare, quin poſſit dari ſummum præmium anticipate, ſed tantum dare rationem, cur Deus anticipate voluit præmium quoad accidentale, & præparatorium, ut eſt gratia, & noluit anticipate illud quoad eſſentiale, & ſummum, de poſſibili non curat, ſed quid de facto acciderit circa homines illos ſanctos, qui præceſſerunt Chriſti mortem, & dat rationem facti.

Objic. 3. SS. PP. docent, Chriſtum non eſſe mortuum pro Angelis, ut Auguſtinus, & illos non fuiſſe redemptos, ut Gregorius, & ſolis hominibus datam eſſe paſſionem, ut Bernardus; ſed Chriſtus non meruit pro illis, pro quibus non eſt mortuus; ergo &c.

Reſp. diſt. min. non meruit redemptionem, niſi per paſſionem, con. per alias gratias, neg. min. & conſ. nam Angeli boni non egebant redemptione, quia non incurrerant ſervitutem peccati, ſed alias acceperunt gratias, & hoc per opera independentia a paſſione, ut ſunt actus interiores virtutum.

Inſt. Adhuc diceretur redemptor Angelorum propter

[1] 2. *Corinth.* 1.

pter gratias præſervativas a ſervitute; ſed SS. PP. negant abſolute, Angelos fuiſſe redemptos; ergo & negant, quod illis meruerit tales gratias. prob. maj. nam licet beata Virgo non habuerit peccatum originale, nec actuale, adhuc dicitur redempta ob gratias præſervativas; ergo & id diceretur de Angelis, ſi per illum habuiſſent tales gratias.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. & diſparitas eſt, quia B. V. peccaverat in Adam, & ab eo contraxerat debitum incidendi in ſervitutem illam, non autem Angeli.

Reſp. 2. diſt. maj. redemptor large, & improprie, con. proprie, neg. maj. & conſ. & idem dico ad prob. nam inquit Auguſt. *nullus redimitur*, proprie, *qui ſub peccato non ſervit*. Sic B.V. minus proprie dicitur redempta, quam cæteri, qui concipiuntur in peccato, & multo minus Angeli, qui nequidem debuerunt incurrere talem ſervitutem.

Objic. con. 2. p. Si Adam ante lapſum habuiſſet gratiam ex meritis Chriſti, debuiſſet illum cognoſcere, & ſic ipſi revelari; ſed conſ. eſt falſum, & ſine fundamento diceretur; ergo &c.

Reſp. neg. maj. nam ſufficit, quod Deus, cum creavit Adam, prævidebat Chriſti merita independentia a redemptione, & a peccato, & intuitu eorum potuit dare illam gratiam primam. Præterea potuit eidem revelari futura incarnatio, ſicut & alia myſteria, quorum cognitio infuſa eſt illi, non enim minus hoc decebat ſtatum ejus, quam reliquæ.

QUÆSTIO VII.

An Chriſtus meruerit Angelis, & hominibus prædeſtinationem, ſeu electionem ad gloriam:

HÆc etiam quæſtio ſupponit decretum incarnationis independenter a prævifione peccati, & præterea prædeſtinationem, ſeu electionem æternam ad gloriam ex prævifis meritis aliquibus Chriſti. De quo diximus tract. 1. quod relegere juvabit ad hujus difficultatis intelligentiam, & reſolutionem.

CON-

CONCLUSIO.

PRobabilius eſt Chriſtum meruiſſe Angelis, & hominibus prædeſtinationem ad gloriam.

Prob. ex Scoto cit. ſupra de motivo incarnationis. Nam ſi Chriſtus prædeſtinatus eſt propter ſe primario, & independenter a prævifione peccati, ita etiam merita ejus independenter a decreto redemptionis, & incarnationis paſſibilis potuerunt prævideri, & eſſe Deo motiva prædeſtinandi alios. Docet quidem, quod [1] *omnes PP.* (& a fortiori ſinguli) *prius natura erant prædeſtinati, quam paſſio Chriſti eſſet prævisa: voluit enim Deus prius omnes electos habere gratiam, & gloriam, quam prævideriт eos caſuros* &c. ergo prædeſtinatio ad gratiam, & gloriam fuit ante prævisum peccatum, & ſic Chriſtus, ut glorificator, prius volitus eſt a Deo, quam ut Redemptor; ergo merita Chriſti, ut glorificatoris, & impaſſibilis potuerunt movere Deum ad prædeſtinandos homines, & Angelos, quia in illo priori prædeſtinabatur, ut caput utrorumque.

Prob. 2. ex Script. adducta in præcedenti: [2] *benedixit nos Deus omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem* .... Et, [3] *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Chriſtum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Unde inquit Chryſoſt. *per quem nos benedixit, per hunc etiam elegit.* Et infra: *vides quomodo nihil ſine Chriſto .... quid eſt, nos elegit in ipſo? per fidem in ipſum Chriſtum hoc præclare geſſit;* ergo per Chriſtum, id eſt, ex ejus merito prædeſtinati ſumus.

Confir. nam Chriſti prædeſtinatio fuit cauſa exemplaris prædeſtinationis noſtræ; ergo & ipſe potuit eſſe etiam cauſa meritoria: non enim eſt major ratio dicendi, quod ejus prædeſtinatio præceſſit ut exemplar, cui in hoc fieremus conformes, quam quod ipſe præceſſit in prævifione, ut via, & meritum noſtræ: prob. ant. ex Apoſtol. [4] *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Chriſti filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus* &c. Gloſſa addit, *conformes in puritate vi-*

[1] *d.* 19. *F. n.* 12. [2] *Eph.* 1. [3] *ibid. hom.* 1.
[4] *Rom.* 8. *interlin.*

ta modo hic, & poſtea in beatitudine. Et Auguſt. [1] *eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratię ipſe ſalvator, ipſe mediator ... appareat in nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ .. ipſa eſt igitur prædeſtinatio ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum maxime claruit; ergo ſicut prædeſtinatus eſt ille unus, ut eſſet caput noſtrum, ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus*; ergo influxit in noſtram prædeſtinationem, non ut cauſa efficiens, ſed ut meritoria, & exemplaris.

Prob. 3. Prædeſtinati ſumus ad gloriam per media, quibus eam conſequimur; nam volitio finis eſt cauſa mediorum, & cum illorum volitione connectitur; ſed non conſequimur gloriam, niſi per merita Chriſti; ergo nec ad eam electi ſumus, niſi ex prævişis meritis Chriſti: prob. min. ex Script. [2] *Non eſt in alio aliquo ſalus, nec aliud nomen eſt datum ſub Cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri*.

Confir. nam, ex dictis, Chriſtus primus eſt omnium prædeſtinatorum in ideis, & decretis divinis, &, ut probatum eſt ab initio, decretus eſt ejus adventus, priuſquam permiſſio peccati, & ejus reparatio; ergo in illo priori potuerunt etiam prævideri omnia ejus merita independentia a paſſione, & eorum intuitu eligi homines, & Angeli ad gloriam; ergo & probabile eſt id ita factum eſſe, quia hoc glorioſius eſt Chriſto, ut capiti omnium, quod ſcilicet in ipſo, & per ipſum, ut hominem, habeant homines, & Angeli gratiam, & gloriam.

Prob. denique. Eodem modo res præordinatæ ſunt ab æterno, quo eveniunt in tempore; nam Dei providentia *in ſui diſpoſitione non fallitur*; ſed de facto, & in tempore electi omnes conſequuntur gloriam per merita Chriſti; ergo ita etiam ſunt prædeſtinati ad gloriam: & idem eſt de Angelis, de quibus probatum eſt, quod habuerunt primam gratiam, & alias ex meritis Chriſti.

Objic. 1. ex Scoto. [3] *Chriſtus prædeſtinatus eſt eodem inſtanti naturæ, quo alii electi; ſed alii electi prius prædeſtinabantur ad gratiam, & gloriam, quam prævideretur paſſio Chriſti*; ergo non fuerunt electi ex meritis Chriſti, ſed ex puro Dei beneplacito. Prob. maj. nam

[1] 1. *prædeſt. ſſ. 15.* [2] *Act. 6.* [3] *ibid. A. n. 6.*

nam ſecundum ordinem, quem ponit in prævisione Dei, prædeſtinatio omnium, etiam Chriſti, fuit in 3. ſigno, & paſſio Chriſti in 5. in quo præordinavit de remedio peccati: ergo &c.

Reſp.neg.maj.& ant. prob. Nam potius contrarium intendit Doctor, dicens, quod *incarnatio Chriſti, quoad ſubſtantiam, non fuit occaſionaliter prævisa, ſed ſicut finis, immediate videbatur a Deo ab æterno: ita Chriſtus in natura humana, cum ſit propinquior fini cæteris, prius prædeſtinabatur, loquendo de his, quæ prædeſtinantur*; ergo ex Scoto prædeſtinatio Chriſti præceſſit prędeſtinationem Angelorum,& hominum, & potuit eſſe ejus cauſa meritoria.

Objic.2. Chriſtus non potuit mereri prædeſtinationem electorum, niſi ut prævisus offerre Deo merita ſua pro illis; ſed hoc non potuit facere Chriſtus ante electionem eorum ad gloriam; ergo nec eam mereri: maj. patet, nam cauſa præcedit effectum: prob. min. nam, ut Chriſtus prævideretur offerre merita ſua pro electis, debuit prævideri ut cognoſcens electos, alioqui potuiſſet decipi,& offerre pro reprobis, & contra voluntatem Dei; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & prob. ejus, nam ſicut in illo ordine Chriſtus prævidebatur præciſe a paſſibilitate, & impaſſibilitate, ita potuit prævideri offerens merita ſua pro omnibus creaturis indifferenter, & generaliter; ſicut de facto, ſi peccatum non fuiſſet, non fuiſſent nati ulli reprobi, ut multi putant, & ſic potuit prævideri Chriſtus, ut offerens Deo opera ſua pro omnibus eligendis a Patre, & ſic poterat acceptare illa in hunc finem.

Alia poſſunt objici, quæ ſunt communia opinioni, quam probabiliorem diximus de prædeſtinatione ex prævisis meritis.

QUÆSTIO VIII.

An Chriſtus pro omnibus mortuus ſit.

NOn dubitatur de ſufficientia meritorum mortis Chriſti pro redemptione, & ſatisfactione omium peccatorum, & omnium hominum, ſed de

intentione, qua merita illa obtulit Deo Patri, an ſc. voluerit ſyncere per mortem ſuam omnibus prodeſſe, & omnes redimere etiam reprobos, & ſine exceptione ullius individui, quantum erat ex ſe, ac voluntate antecedente, & conditionata, conditione ſe tenente ex parte ſalvandorum. Ut enim dicamus eum pro omnibus, & ſingulis mortuum eſſe, non ſufficit, quod ſatisfactionem, & pretium obtulerit de ſe ſufficiens pro redemptione omnium hominum etiam poſſibilium, ſic enim etiam dici poſſet redemptor dæmonum, quippe ſanguis ejus ſufficiens fuiſſet etiam pro illis, ut notat Janſenius, ſed præter ſufficientiam pretii requiritur adhuc intentio offerentis, qua voluerit illud pretium prodeſſe omnibus, nemine excepto.

CONCLUSIO.

C*Hriſtus omnibus meruit redemptionem*, ſeu, *pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuus eſt*. Eſt hodie de fide contra Calvinum, Bezam, & Janſenium Yprenſem, qui ait, quod Auguſt. numquam in ſcriptis fatetur, [1] *Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe redemptionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum, ſed tantummodo pro illis, quibus mors ejus profuit* &c. Et ut ex Bullis conſtat, docuit, [2] *Pelagianum eſſe dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*: quæ eſt 5. propoſitio damnata in hujus Epiſcopi doctrina.

Prob. 1. ex Scoto, qui licet doceat, quod Chriſtus non meruit quoad efficaciam niſi electis, & quod omnibus, qui primam gratiam accipiunt, meruit collationem illius, tamen fatetur, quod quoad ſufficientiam meruit omnibus. Imo aſſerit ex S. Leone ſerm. de nativit. quod *ſicut a reatu nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit:* ſc. eadem eſt totalitas redemptorum, & captivorum, ſeu peccatorum. Et alias docuerat, [3] *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quantum eſt ex parte ſua, & voluntate ſua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & auxilia ſufficientia ad ſalutem.* Chri-

[1] *Tom.3.l.3.de grat.chr.c.20.pag.* 162.
[2] *Ibid. A. & C.n.6. & 7.*
[3] 1.*d*.46.

Chriſtus ſimiliter voluntate ſua antecedente, & ex parte ſua voluit mortem ſuam prodeſſe omnibus, & ſingulis, pro quanto omnibus dedit legem Evangelicam, quam juſſit prædicari omni creaturæ, & pro omnibus inſtituit ſacramenta &c.

Prob.2. ex definitione Eccleſiæ. Nam Innocent.X. inter alias propoſitiones Janſenii damnat 5.prædictam ut *falſam, temerariam, & ſcandaloſam, & intellectam in eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam.* Quod confirmavit Alex. VII. & Conc. Trident. docuerat, quod *& ſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen ejus beneficium recipiunt* &c. Nam ſic loquens ſatis indicat, quod illa pars propoſitionis, [1] *pro omnibus mortuus*, ſupponit generaliter pro ſingulis omnino, etiam pro illis, *qui beneficium mortis non recipiunt*, ut ſunt infideles, & morientes ſine baptiſmo.

Prob. 3. ex Script. [2] *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. Item, [4] *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*. Item, [4] *ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt:* Et, *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus:* ſed omnes, & ſinguli, nemine dempto, mortui ſunt, ita & pro iiſdem mortuus eſt Chriſtus. Item, [5 *Deus pro omnibus tradidit illum.* Et Joannes monet omnes peccatores ad fiduciam in Chriſtum: *quia ipſe propitiatio eſt non pro noſtris tantum peccatis, ſed pro totius mundi*; ergo ex Script. Chriſtus pro omnibus, & ſingulis mortuus eſt, nullus enim ibi excipitur.

Prob.4.ex PP. & quidem, ut ab Auguſt. incipiam, neſcio, an melius Janſenius mentem ejus intellexerit, qui dicit nuſquam eum dixiſſe, quod Chriſtus mortuus eſt pro omnibus; an S. Proſper ejus fidelis diſcipulus, qui in reſponſ.ad 1. object. Vincentianam ubi dicit, quod *contra vulnus peccati originalis, quo in Adam omnium hominum corrupta eſt, & mortificata natura.. verum, & potens, & ſingulare remedium eſt mors filii Dei...qui liber a mortis debito.. pro peccatoribus, & debitoribus mortuus eſt..., cum ergo præ-*

V 4 pter

[1] *Seſſ.6.c.3.* [2] *Heb.2.* [3] *1.Tim.2.*
[4] *2.Corin.5.* [5] *Rom.8.*

pter unam omnium naturam, & unicam omnium cauſam a Domino noſtro in veritate ſuſceptam recte omnes dicuntur redēpti, & tamen non omnes a captivitate ſunt eruti. Cauſa redemptionis haud dubie apud illos eſt, cujus mors non impenſa eſt humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinentes, ſed ita quod per unum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare ſacramentum celebraretur in ſingulis: poculum quippe immortalitatis, quod confectum de infirmitate noſtra, & virtute divina, habet quidem in ſe, ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.

Objectio autem, quam hic impugnat, erat, quod *Chriſtus non pro omnium hominum ſalute, & redemptione paſſus eſt*. Et in ob. 2. impugnat aliam propoſitionem, qua dicebatur, quod *Deus nolit omnes ſalvare, etiam ſi omnes ſalvari velint*; ergo de mente Proſperi, Auguſtinus cenſet Chriſtum pro omnibus mortuum, & Deum velle omnes ſalvare. Et ipſe Auguſtinus adeo clare multis in locis hoc docet, ut mirum ſit, qua fronte ejus doctrinam Janſenius diſſimulavit, ut cum dicit: [1] *Judicabit orbem terrarum in æquitate*, addit, (2) *non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Quid clarius? item cum judicabit impios, inducit eum dicentem: *Ecce Deum hominem, in quem credere noluiſtis, videte vulnera, quæ inflixiſtis, videte latus, quod pupugiſtis, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, & tamen intrare noluiſtis*. Item, *omnes mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive in originalibus, ſive etiam voluntate additis, & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus*: quid ad hoc dixerit Janſen. vide plures alios formaliſſimos textus ejuſdem Auguſtini apud Cardin. de Laurea.

Item ex aliis. Nam, inquit Nazian. (3) *Chriſti perpeſſiones, per quas omnes reformati ſumus, nullo penitus excepto, qui eidem Adamo participavimus* &c. Et Chryſoſt. (4) *Chriſtus quemlibet hominum tanta charitate complectitur, quanta orbem univerſum. Quocirca ſacrificium quidem ipſum pro tota natura oblatum fuerat: Qui autem uſum ſacrificii percipiunt, ſunt ſoli credentes* &c. ergo Chriſtus ſacrificium Crucis pro

[1] *Pſal.* 98. [2] *lib. 2. de ſym.* 8. [3] *d. 20. a. 4. n.* 231.
[4] *Ora. 25. Gal. c. 2.*

pro omnibus, etiam pro non credentibus obtulit, quamvis ſolis credentibus proſit. Idem eſt de aliis.

Prob. 5. ratione. Nam 1. ſi pro aliquibus noluiſſet mori, non juberemur credere, aut temere crederemus, & diceremus, quod *propter nos homines paſſus, & ſepultus eſt*. Nam ſi hæc fecit pro ſolis electis, quis audeat præſumere ſe eſſe electum? 2. Cum tantus ſit numerus reproborum, pauci de ſe auderent hoc dicere cum Apoſtolo, [1] *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*: 3. quia pro omnibus ſitiebat ſalutem in Cruce clamans, *ſitio*. Et ut ait Auguſt. *ipſos tortores ipſe ſitiebat: at illi acetum dederunt... illi interficiebant, illi repellebant, ego eos ſitiebam*, ſcilicet ipſos perfidiſſimos judæos, & perditiſſimos hoſtes. Et pro illis orabat: *Pater ignoſce illis*. Et S. Leo. [2] *Tanta eſt bonitas noſtri redemptoris, ut etiam vos judæi poſſetis conſequi veniam, ſi parricidialem malitiam relinquatis*. Idem dicit de Juda: 4. quia ſi liceret dubitare de intentione pro omnibus ſatisfaciendi, liceret etiam dubitare de ſufficientia ſatisfactionis; ſed hoc eſt hæreticum, & impium; ergo & illud: prob. mai. non magis licet dubitare de univerſalitate charitatis Chriſti, quam de ſufficientia meritorum ejus; ſed dubitatio de intentione moriendi pro omnibus infert dubitationem de charitatis univerſalitate; ergo &c.

5. Satisfactio Chriſti erat ſufficiens pro omnibus nullo dempto; ergo & potuit velle, ut prodeſſet omnibus, ſic enim commendatur magis charitas ejus, & e contra ſi aliquos excepiſſet, minueretur opinio vel de charitatis magnitudine, ſaltem extenſiva, vel de valore ſatisfactionis. Cur enim eam noluiſſet omnibus prodeſſe, ſi ſufficiens erat?

6. Quia non adeo rationabiliter poſſet in judicio improbare reprobos, & eos objurgare, comparative ad electos, ſi illi fuiſſent neglecti in redemptione, & omiſſi; haberent enim hanc excuſationem, ſc. quia non erant redempti.

Objic. 1. ex Script. ſanguis Chriſti dicitur effuſus non pro omnibus, ſed [3] *pro multis*. Et de ipſo prædicabat Iſaias, quod [4] *juſtificabit juſtus ſervus meus multos*. Et

V 5 quod

[1] *Gal.* 2. [2] *de Chr. ago.* 19.
[3] *Matt.* 26. [4] *Iſa.* 53.

quod *peccata multorum tulit*. Et, [1] *venit filius hominis ... dare animam ſuam pro multis*. Et, [2] *non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*. Item *pro his, qui credituri ſunt*: ergo non pro omnibus, ſed pro ſolis electis mortuus eſt.

Reſp. neg. ant. 1. quia illa multitudo generalis, & indeterminata ponitur pro univerſalitate, & nullum excludit, ut patet in aliis lociis Script. ut cum dicit Apoſtolus: [3] *ſi unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia unius Chriſti in plures abundavit*. Vox *multi* ponitur ibi pro *omnibus*, & ſingulis. Omnes enim mortui ſunt in Adam; ergo & vox *in plures* ponitur etiam pro omnibus, & omnes redempti ſunt. Igitur ab illa multitudine nullus excluditur. 2. cum dicit, *non pro mundo rogo*, ſignificat, quod ea, quæ tunc ſpecialiter petebat a Patre, pertinebant ad Apoſtolos, & eos, qui credituri erant, non ad omnes: nec enim omnia omnibus conveniunt; ſicut *omnia membra corporis non eundem actum habent*.

Objic. 2. ex PP. ex Auguſt. [4] *Chriſtus propitiator eſt peccatorum, non tantum noſtrorum, ſed totius mundi propter triticum, quod eſt per totum mundum*: per triticum intelligit electos: & alibi dicit, quod [5] *non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus*; ergo non mortuus eſt pro omnibus.

Reſp. neg. conſ. nam Auguſt. loquitur de intentione ſpeciali, quam Chriſtus habuit pro diſcipulis, & electis; ſicut & Deus ſpeciali affectu vult eorum ſalutem præter volitionem generalem, qua vult ſalutem omnium: & de talibus non peribit quiſquam, quia ſunt poſitive, & ſpecialiter electi, & redempti; quod patet ex eodem Aug. ſcribente: [6] *Feſtinet unuſquiſque, cum vivit, ut vivat, currat, ut ejus pretioſo ſanguine redimatur, ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum*. Sc. omnes Chriſtus redemit; ſed ut ſit efficax redemptio, debet quiſque currere, & applicare ſibi redemptionem, cujus defectu non reperietur redemptus, niſi ex parte Chriſti: *ſi vis, ſanguis Chriſti datus eſt pro te, ſi nolueris, non datus eſt pro te*: ait Beda. [7]

Objic.

[1] *Matth.* 20. [2] *Jo.* 10. [3] *Rom.* 5.
[4] 22. *civit.* [5] *Ep.* 102. [6] *lib. de ſymn.* 8.
[7] 2. *Corint. c.* 5.

Objic. 3. Non omnes percipiunt fructum mortis Chriſti; ergo non eſt mortuus pro omnibus: ant. patet, quia non omnes ſalvantur, nec credunt, nec ullum ſacramentum recipiunt, ut pueri morientes in utero: prob. conſ. nam vel illa voluntas Chriſti offerentis mortem ſuam, & volentis eam omnibus prodeſſe fruſtraretur, quod eſſet illi indecorum, vel diceretur, quod id ſyncere non voluit; ergo &c.

Reſp.neg. conſ. & ant.prob. quoad utramque partem; nam voluntas Chriſti generalis, & ſyncera fuit ſolvere pretium redemptionis pro omnibus, & parare omnibus media ſufficientia ad effectum redemptionis, cum deſiderio ſyncero, quantum eſt ex ſe, ut ſingulis applicarentur, & prodeſſent; non autem abſolute voluit, ut independenter ab eorum, vel aliarum cauſarum concurſu prodeſſent; & ſic patet, quod nec fruſtra, nec ficte obtulit mortem pro illis, qui culpa ſua, vel aliena non recipiunt fructum ejus.

Objic. 4. Cum dicitur Chriſtus mortuus eſſe, & ſatisfeciſſe pro omnibus, hoc intelligitur vel quoad ſufficientiam ſatisfactionis, vel quoad deſtinationem poſitivam mortis pro omnibus ſine exceptione; ſed neutrum dici poteſt, ergo &c. Prob. min. non 1. quia hoc ſenſu tam pro dæmonibus diceretur mortuus, quam pro aliis; mors enim, & ſatisfactio fuiſſet ſufficiens tam pro dæmonibus, quam hominibus: Non 2. alioqui vel de facto prodeſſet omnibus, vel intentio Chriſti fruſtraretur; ergo &c.

Reſp.neg.min. quoad 2.p. & diſt.prob. ejus prodeſſet omnibus, qui vellent eam ſibi applicare, & quantum eſt ex intentione offerentis, con. de facto, & quantum eſt ex parte illorum, quibus non applicatur, nec prodeſt, neg.ant. nam, ut illa intentio non ſit fruſtra, ſufficit, quod ex parte ſua Chriſtus exhibuerit, & ſolverit de facto pretium redemptionis, quod ſibi omnes poſſunt applicare: alioqui fruſtra diceretur vocare peccatores, qui non convertuntur; nec poſſet Deus dicere: *vocavi, & renuiſtis; tota die expandi manus meas ad populum non credentem* &c.

Conſtat igitur Chriſtum ex ſyncera voluntate obtuliſſe mortem ſuam Deo Patri pro redemptione,

& ſalute omnium, & ſingulorum hominum, & mortem, ac merita ejus ad hoc ſufficientia fuiſſe, & media, quæ per mortem, & merita præparavit, potuiſſe, & poſſe omnibus prodeſſe per aliquam applicationem ab ipſo Deo prævíſam, & præſcriptam ſecundum varios ſtatus, quibus extiterunt homines ab initio mundi uſque ad præſens, & exiſtent uſque in finem.

QUÆSTIO IX.

Qualis, & quanta fuerit ſatisfactio Chriſti pro redemptione totius generis humani, an fuerit de rigore juſtitiæ.

HAec controverſia famoſa eſt inter Orthodoxos Theologos, ſed, ni fallor, multum habet de nomine; nam multum pendet ex ſenſu nominis *juſtitiæ rigoroſæ, & propriæ*.

Quantum ad valorem pretii, & ſatisfactionis, conveniunt omnes, eam fuiſſe ſufficientiſſimam, imo & copioſam, & ſuperabundantem, quod conſtat ex dictis ſupra, quod ſufficerent merita Chriſti, quamvis entitative, & intenſive finita, pro omnibus etiam poſſibilibus peccatoribus: ſed difficultas eſt, an dici poſſit ſufficiens ex rigore juſtitiæ, ita ut Deus Pater, ſeu Trinitas illam non poſſet non acceptare, & illa non contentari (ut ita loquar) ſine injuria tam Chriſti, quam hominum.

Porro ſatisfactio deſcribitur, *redditio voluntaria æquivalentis alias indebiti pro æquivalenti*. Dicitur 1. *redditio*, non autem donatio, quia fit propter damnum præteritum, quod reſarciri debet. 2. *voluntaria*, quia ſatisfactio involuntaria, ut pœna damnatorum, eſt potius *ſatiſpaſſio*, quam *ſatisfactio*. 3. *æquivalentis*, quia reddit compenſationem æqualem. 4. *alias indebiti*, quia id, quod datur, non eſt debitum creditori alio titulo. Unde

Ad perfectam ſatisfactionem requiritur: 1. ut ſit ad alterum, ſc. ad perſonam diſtinctam realiter a ſatisfaciente: ſicut enim nemo proprie eſt ſibi debitor; ita nec proprie ſibi ſatisfacit, & quia juſtitia proprie eſt virtus ad alterum: 2. ut fiat ab eo, qui oſtendit, vel

vel ſaltem qui ex pacto debet ſatisfacere pro debitore. 3. ut ſatisfactio ex natura ſua, & abſque gratia creditoris debeat acceptari, & ut de ſe ſit arithmetice æquivalens debito, vel offenſæ. 4. ut fiat ex bonis propriis debitoris, non autem creditoris. 5. ut ſit ex rebus non debitis alio titulo creditori. 6. ut non fiat ex bonis ſibi gratuito collatis a creditore. Hanc vix credo neceſſariam; nam ex quo aliquid mihi donatum eſt ſive gratis, ſive ex debito, vere ſit meum, & de illo poſſum diſponere ſicut de alia quacumque re, vel bonis meis, niſi alia intentione datum mihi ſit à donatore. 7. ſed alia condito rigoroſioris juſtitiæ dicitur, quod ad juſtitiam commutativam inter homines ultra æqualitatem dati, & accepti, ſeu debiti, & ſoluti, ſeu ablati, & reſtituti requiritur translatio dominii ex parte ſolventis, ſeu ſatisfacientis in partem recipientem, ſeu in creditorem.

CONCLUSIO

Satisfactio Chriſti fuit copioſiſſima, & actus vera juſtitiæ, ſed non rigoroſæ. Eſt communis quoad 1. p. & cont. Thom. & plures alios quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto, quatenus docet merita nequidem Chriſti fuiſſe acceptabilia, nec habuiſſe valorem, niſi ex acceptatione divina. [1] *Dico, quod ſicut omne aliud a Deo ideo eſt bonum, quia a Deo volitum, & non e converſo, ſic meritum illud tantum bonum erat, pro quanto acceptabatur*, & ideo meritum, quia acceptatum, non autem è converſo; ergo ex Scoto, poterat Deus ſine injuria non acceptare opera Chriſti in ſatisfactionem pro peccatis hominum, nec ad æquivalentiam.

Prob. 1. p. ex Script. [2] *copioſa apud eum redemptio.* Item, *non ſicut delictum, ita & donum*, [3] ſcilicet donum excedit delictum: *ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei unius hominis J. C. in plures abundavit*; ergo, inquit Theodoretus, *gratiæ magnificentia ſuperat juſtitiæ decretum.* Item dicitur: *juſtificati gratis per gratiam ipſius*, ſcilicet Dei, *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſ*

[1] d. 19. L. n. 7. [2] Rom. 4. [3] Rom. 3.

oſtenſionem juſtitiæ ipſius; ergo juſtitia vera oſtenditur in illa redemptione.

Prob.2. Nam, ut patet ex dictis, ratione perſonæ ſatisfacientis, & gratiæ, & virtutum, ex quibus proficiſcebantur opera Chriſti, habebant ſummum valorem, imo & acceptabilitatem quandam infinitam, ſaltem de congruo, ut loquitur Scotus; ergo prout ab ipſo fuerunt nobis applicata, & pro nobis oblata pleniſſime, & ſuperabundanter fuerunt ſatisfactoria ex juſtitia.

Prob.2. p. in qua eſt controverſia, 1. ex Script. cit. nam ibi Apoſt.cum oſtenſione juſtitiæ oſtendit etiam gratiæ interventum ex parte Dei. [1] *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*, ſcilicet Dei, *& per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*: ergo vides gratuitam juſtificationem cum redemptione, quæ eſt actus juſtitiæ. Item [2] *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret* &c. Nam hæc donatio ex parte Dei eſt pure gratuita, & ſine alienatione ex parte dantis, & ſic totus Chriſtus remanſit in poteſtate Dei; item manſit filius Dei, & non emancipatus. Item *Pater diligens filium ſuum hunc, omnia dedit in manus ejus*, ſcilicet gratias, & virtutes, quibus operatus eſt, ac meruit, & maxime unionem hypoſtaticam, quibus ſignificantur ejus merita; ergo tota hæc ſatisfactio venit, aut fundatur in gratiis Dei creditoris ſine translatione dominii; nam ipſe Chriſtus proteſtatur: [3] *Ego, & Pater unum ſumus*. Et ad Patrem: *omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*.

Prob.2.quia in operibus Chriſti deſunt conditiones rigoroſæ juſtitiæ commutativæ,qualis requiritur inter homines, & de qua loquimur; ergo &c. Prob. ant. per ſingulas. 1. non videtur proprie ad alterum, quia ex mox dictis, Chriſtus non erat emancipatus, nec aliud à Patre, nec diviſus in bonis, ut patet ex locis Script.cit.ſed inter Patrem, & filium non emancipatum non datur juſtitia rigoroſa commutativa; ergo. 2. etiam deficere videtur; nam quod Deus acceptet ſatisfactionem a filio pro debitis, & pro offenſis ſibi illatis ab hominibus, maxima eſt indulgentia: unde dicitur, [4] *factus eſt pro nobis juſtitia, ſanctificatio, & re-*

[1] *Rom.*3. [2] *Joan.*3.
[3] *Ibid.* 4. [4] 1. *Cor.*1.

& redemptio: & quidem a Deo eſt hoc beneficium. Dico, *aliquo modo*, nam etiam ab aliis potuit,& poteſt ſatisfieri ex pacto, ut contingit in fidejuſſoribus, qui ſolvunt pro principali debitore. 3. non apparet, unde peteretur illa æqualitas rigoroſa, & arithmetica, quam teneretur Deus acceptare ex natura talium operum; nam valor eorum maxime fundabatur in pacto, & libera Dei acceptatione; nam, ut diximus, poterat illam non acceptare pro debitis alienis, poterat non ſubrogare filium, nec ejus opera in defectum valoris operum noſtrorum, & hæc ſine injuria Chriſti, & reorum. 4. deficit, nam Deus habebat jus in opera Chriſti filii ſui ut Dominus univerſorum, & rerum omnium creatarum; nec enim verum eſt, quod dicunt Thomiſtæ, ſcilicet illa opera ratione ſuppoſiti divini fuiſſe propria Chriſto, ex falſo principio, quod actiones ſint ſuppoſitorum elicitive; nam ſi illa operationes fuiſſent elicitive a Verbo, fuiſſent elicita per intellectum, & voluntatem divinam, quæ eſt una in tribus perſonis: item à Verbo, ut filio, & non emancipato; erant ergo aliquo quidem modo propria Chriſto, ſed non perfecte, quia dominium Dei in omnia opera creata non poteſt alienari, nec eorum ſubjectio diſpenſari. Hinc ſequitur 5. non minus deficit, nam ſi debes domino centum florenos titulo ſervitii, aut cenſus, non potes per eoſdem ſatisfacere pro centum, quos debebas titulo emptionis, aut reſtitutionis; ſed operaChriſti aliis pluribus titulis debebantur Deo, v. g. gratitudinis, obedientiæ &c. ergo per eadem non poterat ſatisfacere pro debitis noſtris ſecluſo favore; ergo nec de rigore. 6.etiam deficit, nam evidens eſt Chriſtum ſatisfacere non potuiſſe niſi ex bonis ſibi collatis à Deo creditore: ſed hæc ratio coincidit fere cum tertia. Hæc magis patebunt ex objectionum ſolutione.

Objic.1.con.2.p. ex Script.*copioſa eſt apud Deum redemptio*. Item, *ſi ex unius delicto mortui ſunt multi, multo magis gratia Dei in gratia hominis unius in plures abundavit*. Item, *hanc propitiationem poſuit Deus in ſanguine ejus ad oſtenſionem juſtitiæ ejus propter remiſſionem*; ſed hæc non eſſent vera, niſi ſatisfactio eſſet ex perfecta juſtitia; ergo &c. Prob. min. nam redemptio non poſſet dici *copioſa*, nec *abundans*,

dans, nec *ad oſtenſionem juſtitiæ*, ſed miſericordiæ; ergo &c.

Reſp. diſt. min. ex perfecta juſtitia, quoad conditiones rigoris, con. quoad valorem pretii, neg. min. & ant. prob. nam quoad valorem fuit copioſiſſima, & hinc oſtenditur juſtitia, quod ſufficit ad mentem Scripturæ. Idem dicendum ad authoritates Patrum, quas congerunt adverſarii.

Inſt. Juſtitia rigoroſa nihil aliud requirit, quam æquivalentiam ſoluti cum debito, aut cum ablato, aut reparationis cum offenſa; ſed in redemptione copioſa, qualis eſt iſta, eſt æquivalentia, imo & pluris valentia ſoluti; ergo &c. Prob. maj. non poteſt eſſe major rigor juſtitiæ, quam cum tanta eſt ſatisfactio, ut creditor non poſſit plus exigere; ſed Deus non poteſt exigere ampliorem ſatisfactionem, quam ad æquivalentiam debiti, vel offenſæ; ergo &c.

Reſp. neg. utramque maj. nam in ipſo pretio ſolutionis, & ut creditor teneatur illud acceptare, requiruntur dictæ conditiones, quæ certe deficiunt in paſſione, & operibus Chriſti.

Ut autem hæc, & ſimilia melius capiantur, nota, quod ſatisfactio alia dicitur *perfecta*, quæ reddit totum debitum abſolute; alia *imperfecta*, quæ reddit tantum partem debiti, qua contentus creditor remittit aliam partem. Rurſus *perfecta* ſubdividitur in eam, qua redditur totum, vel æquivalens quomodocumque, ſcilicet centum pro centum, & dicitur *ſatisfactio condigna*, ſeu ad æqualitatem, & aliam, quæ præter condignitatem, ſervat alias conditiones prædictas, quas non lubet repetere, & hæc ſola vocatur *de rigore juſtitiæ*, & ſtricte ſumptæ, & hanc negamus interveniſſe in meritis Chriſti, & redemptione, & admittimus condignam.

Objic. 2. Merita Chriſti erant altioris ordinis, & dignitatis, quam in ulla creatura; ergo ſufficiebant in toto rigore juſtitiæ. prob. conſ. nam ſi merita hominum, & Angelorum ſunt de condigno, & eis debetur præmium ex juſtitia; ergo a fortiori merita Chriſti excellunt ſuper omnem condignitatem, & rigorem juſtitiæ.

Reſp. neg. 1. conſ. & diſt. 2. quantum eſt ex dignitate, & valore operum ratione operantis, & ex pacto, con.

quoad

quoad conditiones juſtitiæ rigoroſæ, neg. conſ. nam in Chriſto deeſt, quod ſatisfactio, & meritum non ſit ad alterum, neque ex rebus alias indebitis, nec independens a gratia creditoris &c.

Inſt. In meritis humanis tota dignitas, & valor fundatur in gratia, & acceptatione extrinſeca divina: in Chriſto autem dignitas, & valor ſunt intrinſeca, & ex natura rei; ergo hæc merita ſunt vere de rigore juſtitiæ. prob. ant. valor meritorum Chriſti petitur ex ſuppoſito Verbi, cujus opera non poſſunt non eſſe grata, & accepta; ergo &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. ex ſuppoſito Verbi extrinſece, & denominative, con. intrinſece, & elicitive, neg. ant. nam, ut ſæpe diximus, opera Chriſti ſatisfactoria, & meritoria ſunt elicitive ab humanitate, & gratiis ejus, a quibus ſumunt valorem intrinſecum, ut ſæpe dictum eſt, a perſona autem Verbi ſumunt dignitatem extrinſecam, ratione cujus ex quadam congruitate (ut loquitur Scotus) opera illa acceptantur a Deo in pleniſſimam ſatisfactionem. Præterquam quod unio illa naturæ cum Verbo erat ſumma gratia Dei; & per conſequens illa elevatio, & dignitas extrinſeca meritorum.

Objic. 3. Si quid impediret rigorem juſtitiæ in his meritis, maxime donatio gratuita unionis, & auxiliorum, quibus dignificantur; ſed hæc non impedit; ergo &c. maj patet ex fundamentis noſtris: prob. min. quod hæc principia liberaliter donata ſint Chriſto, adhuc ſunt illi propria per veram translationem, & proprietatem dominii; nam per donationem veram, & liberalem transfertur dominium rei donatæ in donatarium; ergo non impedit, quin ſatisfactio Chriſti ſit ex propriis, & ad alterum &c.

Reſp. 1. neg. min. & diſt. ant. prob. in humanis transfertur dominium, & proprietas rei donatæ, con. inter Deum, & homines, neg. ant. nam dominium Dei abſolutum in omnia entia creata eſt inalienabile, & intransferibile.

Reſp. neg. conſ. nam quando donatarius non habet, unde ſatisfaciat, & ſolvat debitum, niſi ex bonis ſibi a creditore donatis, quantumcumque transferatur dominium rei donatæ in donatarium, adhuc ſolutio pendet ex gratia donatoris, & non eſt de rigore ju-

fundamento adverſariorum: prob. min. tum quia falſa eſt illa infinitas, ut alias diximus, tum quia nulla eſt gravitas in peccato, cui non æquivalere poſſit bonitas charitatis in Deum, ergo impoſſibilitas ſatisfactionis ab homine non venit ex gravitate peccati, quantacumque illa ſit.

Confir. Ex nullo capite creſcit gravitas peccati, ex quo non creſcat bonitas actus charitatis, ergo illa per iſtam poſſet, Deo volente, compenſari: prob. ant. 1. peccatum tranſgreditur legem divinam, aut naturalem; charitas implet legem: 2. illud avertit a Deo, & offendit: iſta convertit a ad Deum, honorat, & placet eidem, qui pronior eſt ad clementiam, quam ad iram: 3. illud poteſt committi ex malitia voluntatis intenſa: iſta exerceri poteſt cum ſummo ardore, & reverentia: 4. illud eſt contra Deum cognitum ut infinitum: iſta reſpicit Deum, ut infinite amandum propter ſe, & ſic de cæteris capitibus: ergo ex omni capite, ex quo creſcere poteſt malitia peccati, poteſt creſcere bonitas charitatis, & illam compenſare, ſi Deus id ita ſtatueret de potentia abſoluta.

Fateor tamen, quod ex parte iſtius hominis Deus non poſſet habere tantam rationem æſtimandi omnia bona ejus, quantam habet æſtimandi minimum opus Chriſti propter perſonam Verbi, in quo humanitas ejus operans ſubſiſtit, & a quo infinite dignificantur, & ideo meritum ejus, & ſatisfactio eſt ſuperabundans, & excedens omne demeritum, & offenſas humanas, ſed tamen ſatis æquaret earum gravitatem, ut ſufficeret ad redemptionem.

Objic. 1. Ut ſatisfactio ſit condigna, ſatisfaciens debet eſſe æqualis dignitatis cum offenſo; ſed hoc repugnat omni creaturæ poſſibili; nam offenſus eſt Deus, & ſatisfaciens erit creatura; ergo &c.

Reſp. neg. maj. alioqui impoſſibilis eſſet juſtitia commutativa inter perſonas inæquales; ſufficit ergo æqualitas ſatisfactionis cum offenſa, vel damno illato: offenſa autem Dei creſcit quidem cum aliqua proportione ad ejus infinitam dignitatem, non tamen arithmetice, & entitative, ut diximus; gratia autem elevat hominis conditionem ad filiationem divinam, & participationem quandam naturæ divinæ.

Inſt.

Inſt. Res inferioris ordinis æquare, nec attingere poteſt rem ſuperioris; v. g. tota natura humana Angelicam naturam infimam in perfectione; ſed offenſa Dei eſt res ſupremi ordinis, & opus humanum eſt longiſſime inferioris ordinis; ergo non æquabit ſua bonitate gravitatem offenſæ.

Reſp. diſt. maj. non æquabit æqualitate phyſica, & entitativa, ſeu ſpecifica, con. æqualitate morali per æquivalentiam, & per rationabilem æſtimationem, neg. maj. & conſ. prob. totum argentum, & tota moneta mundi non æquabit phyſicam, & ſpecificam perfectionem unius grani aurei, ſed ſuperabit ejus valorem, & defectum dignitatis ſpecificæ compenſabit ſua quantitate, & in æſtimatione civili. Ita eſt de actu veræ charitatis comparative ad peccatum.

Addo, quod omne peccatum eſt ordinis naturalis, & omnis actus illius hominis, de quo loquimur, eſſet ordinis ſupernaturalis tam ex objecto, & fine, quam ex principio efficiente, ſcilicet a ſumma gratia, & a perſona Deo ſumme grata.

3. Ex hoc argumento ſequeretur nullam puram creaturam poſſe ſatisfacere condigne pro minimo peccato veniali; nam iſtud quoad Deum offenſum eſt ejuſdem ordinis, quod eſt contra adverſarios.

Objic. 2. ex PP. qui docent, quod ſolus Deus potuit ſatisfacere plene pro redemptione. Baſilius dicit, (1) *non hominem nudum, ſed hominem Deum J. C. qui ſolus pro nobis propitiationem dare poteſt Deo*. Et S. Leo: (2) *Si non eſſet verus homo, non præberet exemplum, ſi non eſſet verus Deus, non afferret remedium*. Et S. Anſel. docet, quod *ſatisfacere non debebat niſi homo, ſed non poterat, niſi Deus*; ergo ex PP. repugnat purum hominem ſatisfacere poſſe condigne pro peccatis.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam loquuntur vel de homine obnoxio peccato Adæ, vel de homine de lege ordinaria, vel de ſatisfactione ſuperabundante, qualis eſt præſens, non autem in noſtra hypotheſi, quam non examinarunt; niſi forte Auguſtinus, quem citat Doctor, & alibi docet: *Stulti ſunt, qui dicunt, non*

(1) *Pſal.* 48.
(2) *Serm.* 1.

& ſalute omnium, & ſingulorum hominum, & mortem, ac merita ejus ad hoc ſufficientia fuiſſe, & media, quæ per mortem, & merita præparavit, potuiſſe, & poſſe omnibus prodeſſe per aliquam applicationem ab ipſo Deo prævīſam, & præſcriptam ſecundum varios ſtatus, quibus extiterunt homines ab initio mundi uſque ad præſens, & exiſtent uſque in finem.

QUÆSTIO IX.

Qualis, & quanta fuerit ſatisfactio Chriſti pro redemptione totius generis humani, an fuerit de rigore juſtitiæ.

HAec controverſia famoſa eſt inter Orthodoxos Theologos, ſed, ni fallor, multum habet de nomine; nam multum pendet ex ſenſu nominis *juſtitiæ rigoroſæ, & propriæ*.

Quantum ad valorem pretii, & ſatisfactionis, conveniunt omnes, eam fuiſſe ſufficientiſſimam, imo & copioſam, & ſuperabundantem, quod conſtat ex dictis ſupra, quod ſufficerent merita Chriſti, quamvis entitative, & intenſive finita, pro omnibus etiam poſſibilibus peccatoribus: ſed difficultas eſt, an dici poſſit ſufficiens ex rigore juſtitiæ, ita ut Deus Pater, ſeu Trinitas illam non poſſet non acceptare, & illa non contentari (ut ita loquar) ſine injuria tam Chriſti, quam hominum.

Porro ſatisfactio deſcribitur, *redditio voluntaria æquivalentis alias indebiti pro æquivalenti*. Dicitur 1. *redditio*, non autem donatio, quia fit propter damnum præteritum, quod reſarciri debet. 2. *voluntaria*, quia ſatisfactio involuntaria, ut pœna damnatorum, eſt potius *ſatiſpaſſio*, quam *ſatisfactio*. 3. *æquivalentis*, quia reddit compenſationem æqualem. 4. *alias indebiti*, quia id, quod datur, non eſt debitum creditori alio titulo. Unde

Ad perfectam ſatisfactionem requiritur: 1. ut ſit ad alterum, ſc. ad perſonam diſtinctam realiter a ſatisfaciente: ſicut enim nemo proprie eſt ſibi debitor; ita nec proprie ſibi ſatisfacit, & quia juſtitia proprie eſt virtus ad alterum: 2. ut fiat ab eo, qui offendit,

vel

vel ſaltem qui ex pacto debet ſatisfacere pro debitore. 3. ut ſatisfactio ex natura ſua, & abſque gratia creditoris debeat acceptari, & ut de ſe ſit arithmetice æquivalens debito, vel offenſæ. 4. ut fiat ex bonis propriis debitoris, non autem creditoris. 5. ut ſit ex rebus non debitis alio titulo creditori. 6. ut non fiat ex bonis ſibi gratuito collatis a creditore. Hanc vix credo neceſſariam; nam ex quo aliquid mihi donatum eſt ſive gratis, ſive ex debito, vere fit meum, & de illo poſſum diſponere ſicut de alia quacumque re, vel bonis meis, niſi alia intentione datum mihi ſit à donatore. 7. ſed alia condito rigoroſioris juſtitiæ dicitur, quod ad juſtitiam commutativam inter homines ultra æqualitatem dati, & accepti, ſeu debiti, & ſoluti, ſeu ablati, & reſtituti requiritur translatio dominii ex parte ſolventis, ſeu ſatisfacientis in partem recipientem, ſeu in creditorem.

CONCLUSIO

Satisfactio Chriſti fuit copioſiſſima, & actus veræ juſtitiæ, ſed non rigoroſæ. Eſt communis quoad 1. p. & cont. Thom. & plures alios quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto, quatenus docet merita nequidem Chriſti fuiſſe acceptabilia, nec habuiſſe valorem, niſi ex acceptatione divina. [1] *Dico, quod ſicut omne aliud a Deo ideo eſt bonum, quia a Deo volitum, & non e converſo, ſic meritum illud tantum bonum erat, pro quanto acceptabatur,* & ideo meritum, quia acceptatum, non autem è converſo; ergo ex Scoto, poterat Deus ſine injuria non acceptare opera Chriſti in ſatisfactionem pro peccatis hominum, nec ad æquivalentiam.

Prob. 1. p. ex Script. [2] *copioſa apud eum redemptio.* Item, *non ſicut delictum, ita & donum,* [3] ſcilicet donum excedit delictum: *ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei unius hominis J. C. in plures abundavit;* ergo, inquit Theodoretus, *gratiæ magnificentia ſuperat juſtitiæ decretum.* Item dicitur: *juſtificati gratis per gratiam ipſius,* ſcilicet Dei, *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſ-*

[1] *d.* 19. *L. n.* 7. [2] *Rom.* 5. [3] *Rom.* 3.

oſtenſionem juſtitiæ ipſius; ergo juſtitia vera oſtenditur in illa redemptione.

Prob.2. Nam, ut patet ex dictis, ratione perſonæ ſatisfacientis, & gratiæ, & virtutum, ex quibus proficiſcebantur opera Chriſti, habebant ſummum valorem, imo & acceptabilitatem quandam infinitam, ſaltem de congruo, ut loquitur Scotus; ergo prout ab ipſo fuerunt nobis applicata, & pro nobis oblata pleniſſime, & ſuperabundanter fuerunt ſatisfactoria ex juſtitia.

Prob.2. p. in qua eſt controverſia, 1. ex Script. cit. nam ibi Apoſt.cum oſtenſione juſtitiæ oſtendit etiam gratiæ interventum ex parte Dei. [1] *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*, ſcilicet Dei, *& per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*: ergo vides gratuitam juſtificationem cum redemptione, quæ eſt actus juſtitiæ. Item [2] *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret* &c. Nam hæc donatio ex parte Dei eſt pure gratuita, & ſine alienatione ex parte dantis, & ſic totus Chriſtus remanſit in poteſtate Dei; item manſit filius Dei, & non emancipatus. Item *Pater diligens filium ſuum hunc, omnia dedit in manus ejus*, ſcilicet gratias, & virtutes, quibus operatus eſt, ac meruit, & maxime unionem hypoſtaticam, quibus ſignificantur ejus merita; ergo tota hæc ſatisfactio venit, aut fundatur in gratiis Dei creditoris ſine tranſlatione dominii; nam ipſe Chriſtus proteſtatur: [3] *Ego, & Pater unum ſumus*. Et ad Patrem: *omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*.

Prob.2.quia in operibus Chriſti deſunt conditiones rigoroſæ juſtitiæ commutativæ,qualis requiritur inter homines, & de qua loquimur; ergo &c. Prob. ant. per ſingulas. 1. non videtur proprie ad alterum, quia ex mox dictis, Chriſtus non erat emancipatus, nec aliud à Patre, nec diviſus in bonis, ut patet ex locis Script.cit.ſed inter Patrem, & filium non emancipatum non datur juſtitia rigoroſa commutativa; ergo. 2. etiam deficere videtur; nam quod Deus acceptet ſatisfactionem a filio pro debitis, & pro offenſis ſibi illatis ab hominibus, maxima eſt indulgentia: unde dicitur, [4] *factus eſt pro nobis juſtitia, ſanctificatio, & re-*

[1] *Rom*.3. [2] *Joan*.3.
[3] *Ibid*. [4] 1. *Cor*.1.

& redemptio: & quidem a Deo eſt hoc beneficium. Dico, *aliquo modo*, nam etiam ab aliis potuit,& poteſt ſatisfieri ex pacto, ut contingit in fidejuſſoribus, qui ſolvunt pro principali debitore. 3. non apparet, unde peteretur illa æqualitas rigoroſa, & arithmetica, quam teneretur Deus acceptare ex natura talium operum; nam valor eorum maxime fundabatur in pacto, & libera Dei acceptatione; nam, ut diximus, poterat illam non acceptare pro debitis alienis, poterat non ſubrogare filium, nec ejus opera in defectum valoris operum noſtrorum, & hæc ſine injuria Chriſti, & reorum. 4. deficit, nam Deus habebat jus in opera Chriſti filii ſui ut Dominus univerſorum, & rerum omnium creatarum: nec enim verum eſt, quod dicunt Thomiſtæ, ſcilicet illa opera ratione ſuppoſiti divini fuiſſe propria Chriſto, ex falſo principio, quod actiones ſint ſuppoſitorum elicitive; nam ſi illa opera fuiſſent elicitive à Verbo, fuiſſent elicita per intellectum, & voluntatem divinam, quæ eſt una in tribus perſonis: item à Verbo, ut filio, & non emancipato; erant ergo aliquo quidem modo propria Chriſto, ſed non perfecte, quia dominium Dei in omnia opera creata non poteſt alienari, nec eorum ſubjectio diſpenſari. Hinc ſequitur 5. non minus deficit, nam ſi debes domino centum florenos titulo ſervitii, aut cenſus, non potes per eoſdem ſatisfacere pro centum, quos debebas titulo emptionis, aut reſtitutionis; ſed operaChriſti aliis pluribus titulis debebantur Deo, v. g. gratitudinis, obedientiæ &c. ergo per eadem non poterat ſatisfacere pro debitis noſtris ſecluſo favore; ergo nec de rigore. 6.etiam deficit, nam evidens eſt Chriſtum ſatisfacere non potuiſſe niſi ex bonis ſibi collatis à Deo creditore: ſed hæc ratio coincidit fere cum tertia. Hæc magis patebunt ex objectionum ſolutione.

Objic.1.con.2.p. ex Script.*copioſa eſt apud Deum redemptio*. Item, *ſi ex unius delicto mortui ſunt multi, multo magis gratia Dei in gratia hominis unius in plures abundavit*. Item, *hanc propitiationem poſuit Deus in ſanguine ejus ad oſtenſionem juſtitiæ ejus propter remiſſionem*; ſed hæc non eſſent vera, niſi ſatisfactio eſſet ex perfecta juſtitia; ergo &c. Prob. min. nam redemptio non poſſet dici *copioſa*, nec *abundans*,

dans, nec *ad oſtenſionem juſtitiæ*, ſed miſericordiæ; ergo &c.

Reſp.diſt.min. ex perfecta juſtitia, quoad conditiones rigoris, con.quoad valorem pretii, neg. min. & ant. prob.nam quoad valorem fuit copioſiſſima, & hinc oſtenditur juſtitia, quod ſufficit ad mentem Scripturæ. Idem dicendum ad authoritates Patrum, quas congerunt adverſarii.

Inſt. Juſtitia rigoroſa nihil aliud requirit, quam æquivalentiam ſoluti cum debito, aut cum ablato, aut reparationis cum offenſa; ſed in redemptione copioſa, qualis eſt iſta, eſt æquivalentia, imo & pluris valentia ſoluti; ergo &c. Prob.maj. non poteſt eſſe major rigor juſtitiæ, quam cum tanta eſt ſatisfactio, ut creditor non poſſit plus exigere; ſed Deus non poteſt exigere ampliorem ſatisfactionem, quam ad æquivalentiam debiti, vel offenſæ; ergo &c.

Reſp. neg. utramque maj. nam in ipſo pretio ſolutionis, & ut creditor teneatur illud acceptare, requiruntur dictæ conditiones, quæ certe deficiunt in paſſione, & operibus Chriſti.

Ut autem hæc, & ſimilia melius capiantur, nota, quod ſatisfactio alia dicitur *perfecta*, quæ reddit totum debitum abſolute; alia *imperfecta*, quæ reddit tantum partem debiti, qua contentus creditor remittit aliam partem. Rurſus *perfecta* ſubdividitur in eam, qua redditur totum, vel æquivalens quomodocumque, ſcilicet centum pro centum, & dicitur *ſatisfactio condigna*, ſeu ad æqualitatem, & aliam, quæ præter condignitatem, ſervat alias conditiones prædictas, quas non lubet repetere, & hæc ſola vocatur *de rigore juſtitiæ*, & ſtricte ſumptæ, & hanc negamus interveniſſe in meritis Chriſti, & redemptione, & admittimus condignam.

Objic.2. Merita Chriſti erant altioris ordinis, & dignitatis, quam in ulla creatura; ergo ſufficiebant in toto rigore juſtitiæ. prob.conſ.nam ſi merita hominum, & Angelorum ſunt de condigno, & eis debetur præmium ex juſtitia; ergo a fortiori merita Chriſti excellunt ſuper omnem condignitatem, & rigorem juſtitiæ.

Reſp.neg.1.conſ.& diſt.2.quantum eſt ex dignitate, & valore operum ratione operantis, & ex pacto, con. quoad

quoad conditiones juſtitiæ rigoroſæ, neg. conſ. nam in Chriſto deeſt, quod ſatisfactio, & meritum non ſit ad alterum, neque ex rebus alias indebitis, nec independens a gratia creditoris &c.

Inſt. In meritis humanis tota dignitas, & valor fundatur in gratia, & acceptatione extrinſeca divina: in Chriſto autem dignitas, & valor ſunt intrinſeca, & ex natura rei; ergo hæc merita ſunt vere de rigore juſtitiæ. prob. ant. valor meritorum Chriſti petitur ex ſuppoſito Verbi, cujus opera non poſſunt non eſſe grata, & accepta; ergo &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. ex ſuppoſito Verbi extrinſece, & denominative, con. intrinſece, & elicitive, neg. ant. nam, ut ſæpe diximus, opera Chriſti ſatisfactoria, & meritoria ſunt elicitive ab humanitate, & gratiis ejus, a quibus ſumunt valorem intrinſecum, ut ſæpe dictum eſt, a perſona autem Verbi ſumunt dignitatem extrinſecam, ratione cujus ex quadam congruitate (ut loquitur Scotus) opera illa acceptantur a Deo in pleniſſimam ſatisfactionem. Præterquam quod unio illa naturæ cum Verbo erat ſumma gratia Dei; & per conſequens illa elevatio, & dignitas extrinſeca meritorum.

Objic. 3. Si quid impediret rigorem juſtitiæ in his meritis, maxime donatio gratuita unionis, & auxiliorum, quibus dignificantur; ſed hæc non impedit; ergo &c. maj patet ex fundamentis noſtris: prob. min. quod hæc principia liberaliter donata ſint Chriſto, adhuc ſunt illi propria per veram translationem, & proprietatem dominii; nam per donationem veram, & liberalem transfertur dominium rei donatæ in donatarium; ergo non impedit, quin ſatisfactio Chriſti ſit ex propriis, & ad alterum &c.

Reſp. 1. neg. min. & diſt. ant. prob. in humanis transfertur dominium, & proprietas rei donatæ, con. inter Deum, & homines, neg. ant. nam dominium Dei abſolutum in omnia entia creata eſt inalienabile, & intransferibile.

Reſp. neg. conſ. nam quando donatarius non habet, unde ſatisfaciat, & ſolvat debitum, niſi ex bonis ſibi a creditore donatis, quantumcumque transferatur dominium rei donatæ in donatarium, adhuc ſolutio pendet ex gratia donatoris, & non eſt de rigore ju-

ſtitiæ,

ſtitiæ, etiam in humanis, ſed tantum quando donatarius haberet aliunde, unde ſolveret debitum.

Objic. 4. Suppoſito pacto, & acceptatione divina operum Chriſti non poſſet Deus ſine injuſtitia punire homines; ergo ſatisfactio eſt de rigore juſtitiæ. prob. conſ. nam ſatisfactio dicitur rigoroſa, quando creditor non poteſt non eſſe contentus ſine injuſtitia.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. ſi non poteſt non eſſe contentus ex natura ſolutionis præciſa omni gratia, pactione, & acceptatione, con. ſi hoc veniat ex ſuppoſita gratuita pactione, & acceptatione, neg. ant. nam ſicut poterat Deus non paciſci, nec acceptare illa opera Chriſti in ſolutionem offenſæ aliorum, ita ſemper ſatisfactio fundatur in gratia creditoris.

Vides, nos nihil derogare plenitudini, & infinitati meritorum, & ſatisfactionis Chriſti, quia concedimus totum valorem, quem ibi cognoſcit Eccleſia, perfectam æquivalentiam cum debitis noſtris. ſed lis tota conſiſtit in agnoſcendis conditionibus juſtitiæ rigoroſæ, & ſatisfactionis ſecundum illas conditiones, & ideo præmonui controverſiam facile reduci ad quæſt. de nomine.

Vide quæ diximus in tract. de juſtitia Dei ad homines, & de merito, an exigat præmium a Deo ex juſtitia rigoroſa.

QUÆSTIO X.

An pura creatura potuiſſet ſatisfacere ex aliqua juſtitia pro toto genere humano.

EX 1. diſp. conſtat, quod incarnatio non fuit neceſſaria ſimpliciter ne quidem ex ſuppoſitione decreti de redimendo homine per ſatisfactionem ſufficientem: id magis patebit in præſenti, ubi quærimus, an ex alia lege, ſeu diſpoſitione divina poſſet deſtinari pura creatura ad redemptionem, & ad hoc acceptari ejus opera. Nomine autem puræ creaturæ non intelligitur homo, vel Angelus in puris naturalibus, ſed cum plenitudine gratiæ poſſibilis, nec etiam loquimur de ſatisfactione rigoroſa, ſed pure ſufficienti; nam ſi Chriſtus Deus, & homo non ſatisfecit de toto

illo

illo rigore, quanto minus creatura pura, quæ nihil haberet de divino? certe omnia ejus opera poſſibilia non attingerent dignitatem, nec valorem minimi operis Chriſti, de hoc conveniunt omnes. Quærimus ergo an homo, vel Angelus, cui Deus conferret gratiæ plenitudinem, poſſet Deo exhibere ſatisfactionem æquivalentem offenſæ ipſi illatæ per peccatum Adæ, & per alia peccata totius generis humani, non ſuperabundantem, ut Chriſtus, ſed tanti valoris, ut poſſet Deus eam acceptare ut ſufficientem.

CONCLUSIO

Est affirm. *Poſſet enim Deus de potentia abſoluta acceptare opera puræ creaturæ in plenitudine gratiæ in ſatisfactionem ſufficientem, ſeu condignam pro peccatis hominum*. Eſt contra Thomiſtas.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Unus purus homo potuiſſet ſatisfacere pro omnibus, ſi fuiſſet conceptus ſine peccato, ſicut potuiſſet fieri de poſſibili operatione Spiritus S. & Matris, ſicut fuit Chriſtus: & Deus dediſſet ei ſummam gratiam, quam potuiſſet recipere, ſicut dedit Chriſto, talis enim poſſet mereri deletionem peccati, ſicut & beatitudinem*. Et alibi hoc probat ex Aug. dicente, quod *fuit quidem & alius modus noſtræ redemptionis poſſibilis, &c. quam per incarnationem, & paſſionem, ſed nullus noſtræ miſeriæ ſanandæ convenientior* &c. ergo ex Scoto, [2] & Auguſt. poſſibilis eſt ſatisfactio condigna pro peccatis per puram creaturam, quandoquidem fuit poſſibilis ſine incarnatione Verbi.

Prob.2. Poſſet Deus creare hominem extra maſſam peccatorum cum ſumma gratia, & conſtituere illum caput omnium cum pacto acceptandi ejus opera pro ſatisfactione omnium peccatorum, & iſte ſic operari commenſurate ad gratiam illam, & conformiter ad pactum, & intentionem Dei; ſed illa ſatisfactio ſufficeret Deo ad remittenda peccata; ergo &c. Prob. maj. quia in hoc nulla eſt repugnantia: 2. quia ſi quid obſtaret, maxime infinitas gravitatis peccati, quæ non poſſet æquari per bonitatem charitatis; ſed hæc ratio non valet; ergo &c. maj. patet ex præcipuo ſun-

[1] *3.d.2.C.n.9.*
[2] *4.d.15.q.1.B.n.5.13.tr.10.*

fundamento adverſariorum: prob. min. tum quia falſa eſt illa infinitas, ut alias diximus, tum quia nulla eſt gravitas in peccato, cui non æquivalere poſſit boniitas charitatis in Deum, ergo impoſſibilitas ſatisfactionis ab homine non venit ex gravitate peccati, quantacunique illa ſit.

Confir. Ex nullo capite creſcit gravitas peccati, ex quo non creſcat bonitas actus charitatis; ergo illa per iſtam poſſet, Deo volente, compenſari: prob. ant. 1. peccatum tranſgreditur legem divinam, aut naturalem; charitas implet legem: 2. illud avertit a Deo, & offendit: iſta convertit a ad Deum, honorat, & placet eidem, qui pronior eſt ad clementiam, quam ad iram: 3. illud poteſt committi ex malitia voluntatis intenſa: iſta exerceri poteſt cum ſummo ardore, & reverentia: 4. illud eſt contra Deum cognitum ut infinitum: iſta reſpicit Deum, ut infinite amandum propter ſe, & ſic de cæteris capitibus: ergo ex omni capite, ex quo creſcere poteſt malitia peccati, poteſt creſcere bonitas charitatis, & illam compenſare, ſi Deus id ita ſtatueret de potentia abſoluta.

Fateor tamen, quod ex parte iſtius hominis Deus non poſſet habere tantam rationem æſtimandi omnia bona ejus, quantam habet æſtimandi minimum opus Chriſti propter perſonam Verbi, in quo humanitas ejus operans ſubſiſtit, & a quo infinite dignificantur, & ideo meritum ejus, & ſatisfactio eſt ſuperabundans, & excedens omne demeritum, & offenſas humanas, ſed tamen ſatis æquaret earum gravitatem, ut ſufficeret ad redemptionem.

Objic. 1. Ut ſatisfactio ſit condigna, ſatisfaciens debet eſſe æqualis dignitatis cum offenſo; ſed hoc repugnat omni creaturæ poſſibili; nam offenſus eſt Deus, & ſatisfaciens erit creatura; ergo &c.

Reſp. neg. maj. alioqui impoſſibilis eſſet juſtitia commutativa inter perſonas inæquales; ſufficit ergo æqualitas ſatisfactionis cum offenſa, vel damno illato: offenſa autem Dei creſcit quidem cum aliqua proportione ad ejus infinitam dignitatem, non tamen arithmetice, & entitative, ut diximus; gratia autem elevat hominis conditionem ad filiationem divinam, & participationem quandam naturæ divinæ.

Inſt.

Inſt. Res inferioris ordinis æquare, nec attingere poteſt rem ſuperioris; v. g. tota natura humana Angelicam naturam infimam in perfectione; ſed offenſa Dei eſt res ſupremi ordinis, & opus humanum eſt longiſſime inferioris ordinis; ergo non æquabit ſua bonitate gravitatem offenſæ.

Reſp. diſt. maj. non æquabit æqualitate phyſica, & entitativa, ſeu ſpecifica, con. æqualitate morali per æquivalentiam, & per rationabilem æſtimationem, neg. maj. & conſ. prob. totum argentum, & tota moneta mundi non æquabit phyſicam, & ſpecificam perfectionem unius grani aurei, ſed ſuperabit ejus valorem, & defectum dignitatis ſpecificæ compenſabit ſua quantitate, & in æſtimatione civili. Ita eſt de actu veræ charitatis comparative ad peccatum.

Addo, quod omne peccatum eſt ordinis naturalis, & omnis actus illius hominis, de quo loquimur, eſſet ordinis ſupernaturalis tam ex objecto, & fine, quam ex principio efficiente, ſcilicet a ſumma gratia, & a perſona Deo ſumme grata.

3. Ex hoc argumento ſequeretur nullam puram creaturam poſſe ſatisfacere condigne pro minimo peccato veniali; nam iſtud quoad Deum offenſum eſt ejuſdem ordinis, quod eſt contra adverſarios.

Objic. 2. ex PP. qui docent, quod ſolus Deus potuit ſatisfacere plene pro redemptione. Baſilius dicit, [1] *non hominem nudum, ſed hominem Deum J. C. qui ſolus pro nobis propitiationem dare poteſt Deo*. Et S. Leo [2] *Si non eſſet verus homo, non præberet exemplum; ſi non eſſet verus Deus, non afferret remedium*. Et S. Anſel. docet, quod *ſatisfacere non debebat niſi homo, ſed non poterat, niſi Deus*; ergo ex PP. repugnat purum hominem ſatisfacere poſſe condigne pro peccatis.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam loquuntur vel de homine obnoxio peccato Adæ, vel de homine de lege ordinaria, vel de ſatisfactione ſuperabundante, qualis eſt præſens, non autem in noſtra hypotheſi, quam non examinarunt; niſi forte Auguſtinus, quem citat Doctor, & alibi docet: *Stulti ſunt, qui dicunt, non*

(1) *Pſal.* 48.
(2) *Serm.* 1.

non poterat aliter ſapientia Dei hominem liberare, niſi ſuſcipere hominem.

Objic. 3. Quantamcumque ſatisfactionem exhiberet purus homo Deo, poſſet eam non acceptare; ergo non eſſet condigna; Deus enim poſſet contemnere illam. Prob. ant. nihil poſſet homo ille offerre Deo, quod non veniret ab ejus gratia ſupernaturali; ergo tota dignitas operum veniret a liberalitate, & beneplacito Dei.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. poſſet non acceptare de potentia abſoluta, con. de potentia ordinaria, & ex pacto, neg. ant. alioqui nullum daretur meritum condignum in Angelis, & hominibus, quia omne meritum pendet a gratia, & a pacto, & acceptatione libera Dei.

Objic. 5. Nullus homo poteſt mereri, niſi pro ſeipſo; ergo nec ſatisfacere condigne. prob. ant. ſecluſa gratia unionis, omnes aliæ ſunt ejuſdem rationis; ſed nunc, & ex vi præſentis gratiæ, homo non poteſt mereri pro aliis; ergo nec de poſſibili. prob. min. ſi per hanc gratiam poſſet quis mereri pro *aliis*, ita meruiſſent Apoſtoli, & B. Virgo; nam eorum gratia fuit excellentiſſima; ſed hi non potuerunt mereri aliis; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. de facto, & ex vi præſentis decreti, tranſ. neque enim hoc certum eſt, de potentia abſoluta, & alia lege, neg. ant. & min. 2. argum. & maj. 3. nam ratio, cur per gratiam ſanctificantem præſentem nec nos, nec Apoſtoli, nec B. V. non poſſumus ſatisfacere pro peccatis alienis, petitur non ex entitate, & natura gratiæ, ſed ex ordinatione divina præſenti, per quam nec Apoſtoli, nec nos conſtituimur capita, nec fidejuſſores pro aliis; neque pro illis ullo modo acceptantur opera noſtra, ſicut Chriſtus conſtitutus erat caput totius generis humani, ut pro illis mereretur, & Adam pro iiſdem, ut pro illis mereretur transfuſionem juſtitiæ, aut demereretur transfuſionem peccati.

Objic. 5. Purus homo non poteſt ſatisfacere pro peccato ſuo mortali ſaltem condigne; ergo nec pro alieno, vel totius mundi. prob. ant. omnis peccator eſt inimicus Dei; ergo & incapax meriti condigni.

Reſp. tranſ. ant. nec enim locus hic eſt, an homo poſ-

ſit ſibi de condigno mereri remiſſionem peccati propter rationem objectam, ſed neg. conſ. nam ille, quem conſtitueret Deus in noſtra hypotheſi caput hominum, & cum quo paciſceretur de redemptione illorum, eſſet innocens, & Deo gratus.

Inſt. ex Anſel. [1] *non ſufficit reddere Deo, quod ablatum eſt*, ſc. ad æqualitatem, v. g. centum pro centum, *ſed pro contumelia illa plus debet reddere, quam abſtulit*; ſed nullus homo purus poſſet plus reddere pro peccatis omnium, imo nec pro proprio peccato; ergo nec ſatisfacere.

Reſp. neg. ant. neque enim in rigore litteræ loquitur Anſelmus, ſed rhetorice, & per exaggerationem; nam in omni lege, & regula morali, omnis læſio reparatur per æqualitatem ſatisfactionis. Anſelm. loquitur de læſione comparative ad Deum offenſum, qui niſi miſericorditer acceptaret, non teneretur acceptare ſatisfactionem.

QUÆSTIO XI.

De oratione Chriſti.

ORatio, ex Scoto, *eſt deſiderium oblatum Deo ea intentione, ut ab ipſo habeatur oblatum*. Ex aliis *eſt colloquium cum Deo, quo petimus nobis, aut aliis ſalutaria*; vel *eſt deſiderii noſtri explicatio ad Deum, ut aliquid ab eo impetremus*. Si explicatio hæc fit verbis, aut aliis ſignis externis, dicitur oratio *vocalis*; ſi affectu interno ad Deum directe abſque ſignis ullis externis, dicitur *mentalis*, vel utroque modo ſimul. *Vera poſtulatio non eſt in vocibus oris, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas Dei aures non faciunt verba noſtra, ſed deſideria*, juxta illud, *deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua*.

Non omnis tamen oratio eſt petitio; ſæpius conſiſtit in pia elevatione mentis in Deum per conſiderationem ejus, & per affectum cordis in ipſum. *Eſt mentis devotio, ideſt converſio in Deum per pium, & humilem affectum*. Affectus autem eſt ſpontanea quædam, & dulcis animæ in Deum inclinatio, inquit Au-

[1] *l. cur D. Ho. c. 11.*

Auguſt. & hæc eſt melior ſpecies orationis: (1) *nihil enim ita Deum inclinat ad pietatem, & miſericordiam, quemadmodum mentis affectus.*

Quærimus ergo hic an vere Chriſtus oraverit, ſive ut homo, ſive ut Deus, ſive externe, & vocaliter, ſive interne, & mentaliter, & pro quibus oraverit, & an etiam nunc in Cœlo adhuc oret.

CONCLUSIO I.

Chriſtus in hac vita vere oravit, non quidem ut Deus, ſed ut homo. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto cit. pro officio mediatoris, & ſacerdotis, quod peragitur maxime oratione.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, eum oraſſe, ut cum dicitur, [2] *aſcendit in montem ſolus orare*, & quod orabat, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte.* Et, *erat pernoctans in oratione Dei.* Et Apoſt. dicit, quod (3) *in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad Deum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia.* Et ſic de aliis.

Confir. ex Bonavent. docente Chriſtum oraſſe [4] 1. *propter meritum*; quia per orationem merebatur nobis beneficia Dei: 2. *propter exemplum*, ut Chriſtianos invitaret ad ſtudium orationis, cujus ope ſuperatur inimicus ſalutis, & ideo monebat diſcipulos, *vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*: 3. *propter veritatis argumentum*, ut oſtenderet ſe verum hominem a Deo miſſum: 4. *propter officium*, ſc. ſacerdotis, & pontificis, & mediatoris, quia *omnis Pontifex ab hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum*; ergo ſumme decuit Chriſtũ orare.

Prob. 2. p. nam oratio eſt actus inferioris, vel indigentis ad illum, qui oratur, ut oranti adſit, vel concedat pro ſe, vel pro aliis, & ſupponit duplicem voluntatem inter illos: ſed Chriſtus ut Deus, & ſub ratione perſonali Verbi non erat inferior, nec indigens, nec alterius voluntatis a Deo Patre; ergo ut Deus nec oravit, nec potuit orare.

Confir.

[1] *de ſpir. & lit. c. 40.*
[2] *Matth. 14. & 26.*
(3) *Hebr. 5.* [4] *3. d. 7. a. 2. q. 2.*

Confir. ex Auguſt. *Si divinitatem Chriſti conſideras, quis orat? ad quem orat? quare orat? Orat Deus? orat ad æqualem? Cauſam autem orandi, quam habet ſemper omnipotens, æternus, Patri coæternus, &c. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. Huc uſque dicentes non invenimus orationem, nec cauſam orandi, nec affectum orandi; ſed quando dicit: Et Verbum caro factum eſt.... habes majeſtatem, ad quam ores, habes humanitatem, quæ pro te orat*: ergo non poteſt orare, niſi ut homo.

Objic. 1. Chriſtus nequidem ut homo poterat, vel debebat orare; ergo, &c. Prob. ant. non oramus pro rebus, quæ pendent a nobis, & ſunt in plena poteſtate noſtra; ſed omnia, quæ Chriſtus petere, aut optare potuit, erant in ejus poteſtate, etiam ut homine: ergo &c. Prob. min. nam inquit ipſe: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Item, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo*, &c. Et ad Patrem dicebat: *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*; ergo non egebat oratione ad quidquam obtinendum, ſed omnia optanda erant in ejus poteſtate.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. ſecundum modum, quo ſunt in poteſtate, conc. ſecundum alium, neg. maj. & diſt. min. erant in poteſtate Chriſti vel abſolute, & independenter ab oratione, vel conditionate, & dependenter ab oratione, conc. omnia antecedenter, & independenter ab oratione, neg. min. & conſeq. Nam Chriſtus videbat in decretis divinis aliqua ſe habere debere per orationem, qualia erant ea omnia, pro quibus habendis oravit tam ſibi, quam aliis; ideo dicebat, *Ego ſciebam, quia ſemper me audis*. Item non oravit ex propria indigentia, ſed vel propter exemplum, vel ad veritatis manifeſtationem de ſua miſſione, ex dictis cum D. Bonavent. & ipſemet Chriſtus declarat, ſe orare *propter populum circumſtantem, ut ſciant, quia tu me miſiſti*.

Objic. 2. Oratio dicitur *aſcenſio mentis ad Deum*; ſed hic motus non erat in Chriſto; ergo &c. Prob. min. non poterat aſcendere ad objectum, quod poſſidebat, & quidem perfectiſſime ab inſtanti conceptionis; aſcenſio enim eſt motus ab uno extremo in aliud; ſed Chriſtus ſemper, & perfectiſſime videbat, & fruebatur Deo ab inſtanti conceptionis, & ſine inter-

miſſione erat beatus; ergo &c.

Reſp. Oratio communis viatorum, con. Dei hominis, & beatorum, neg. ant. Chriſtus erat ſimul viator, & comprehenſor; & ſic ſecundum portionem inferiorem animæ reſpiciebat quidem creaturas, cum opus erat, ſed ſecundum ſuperiorem nunquam a Dei affectu, & aſpectu recedebat, & ſic tota ejus vita fuit contemplatio aſſidua.

Objic.cont.2.p. Tam poteſt Verbum orare in Chriſto, quam Spiritus Sanctus in Deo; ſed iſte orat; ergo & Verbum. Maj. patet: nam uterque eſt Deus eadem deitate. Prob. min. ex Script. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. poſtulat per infuſionem gratiæ, qua nos movet, & adjuvat, ut oremus, conc. poſtulat per ſe immediate, neg. ant. Poſtulat, quia facit nos poſtulare, inquiunt SS. PP. *Spiritum hic dicit, non ſubſtantiam ſpiritus, ſed gratiam, quæ data eſt his, qui credunt; ab ea enim excitati compungimur, ab ea inflammati ulterius precamur*, &c. ait Theodor. & Auguſt. [1] *Interpellat Spiritus S. dictum eſt, quia interpellare nos facit, ſicut Deus dicit Gen. 22. Nunc cognovi, quaſi ante neſciebat, quod quid eſt aliud, niſi feci, ut cognoſcas?*

Inſt. Ideo negatur oraſſe ut Deus, quia ſic Verbum videretur minor Patre; ſed hæc ratio non valet: non enim hæc ſuſpicio venit in mentem fidelium, qui credunt perfectam æqualitatem, & unitatem ejus cum Patre; ergo &c.

Reſp.neg.min. & conſ. prob. Non enim ſufficit, ut doctus fidelis id non ſuſpicetur, ſed debet vitari omnis prætextus ſuſpicandi, etiam ſimplicioribus.

Objic. 2. Chriſtus meruit ut Deus; ergo & oravit. Prob.ant. alias meritum ejus non eſſet infinitum.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. non eſſet infinitum intrinſece, ut de facto non eſt, cont. extrinſece, neg.ant. nam licet opera meritoria non ſint a Verbo elicitive, ab illo tamen propter unionem hypoſtaticam dignificantur extrinſece, & participant quandam infinitatem, ut dictum eſt.

CON-

[1] *ſer. cont. Arrian. c. 25.*

CONCLUSIO II.

Chriſtus oravit tam oratione mentali, quam vocali, & tam expreſſiva, quam interpretativa. Eſt etiam communis.

Prob. de vocali: nam ſæpe auditus fuit orans vocaliter, ut in cruce: *Pater ignoſce illis* &c. Et, *Pater in manus tuas*, &c. Item, *Gratias tibi ago, quoniam audiſti me*, &c.

Prob. de mentali: tum quia, quando orabat voce, ita & mente, alioqui manca, & imperfecta fuiſſet ejus oratio: quippe *Si mens non orat, in vanum lingua laborat*. Et eſſentia orationis pendet ab anima. *Oratio cordis, non tantum oris, aſcendit in cœlum*, &c. inquit Auguſt. [1] tum quia aliquando dicitur *pernoctans in oratione Dei;* non dicitur autem, quod tunc loqueretur recitando preces. 3. quia oratio mentalis ſola poteſt conſiſtere ſine vocali, non iſta ſine illa. 4. quia tunc ſine dubio orabat mentaliter. [2] *Cum eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit, dixit unus ex diſcipulis, Domine, doce nos orare*, quod non dixiſſet, ſi audiviſſet eum vocaliter orantem. Denique oratio mentalis Chriſti fuit continua ex primo inſtanti conceptionis.

Prob. 3. p. Oratio expreſſiva eſt actus intellectus, & voluntatis, quando aliquid ſingulariter, & expreſſe petimus. Interpretativa autem non eſt proprie novus actus, quo aliquid deſideretur, vel petatur, ſed aliquod ſignum ex actibus præteritis relictum, quo rememorantur merita, & affectus præteriti, quibus movetur Deus ad concedenda hominibus, quæ in nomine Chriſti poſtulantur, abſque eo, quod ipſe ullo modo moveatur; ſic Chriſti vulnera, & ſanguis in monumento, & triduo mortis orabant, ſc. oratione muta, & mortua. Sic ſanguis Abel clamabat de terra. Plures autem Theologi putant Chriſtum non aliter nunc orare in cœlo: nos autem hanc orationem admittimus, ſed aliam quoque vivam, & expreſſivam agnoſcimus, qua pro nobis interçedit, ſcil. per affectum, & deſiderium, quod elicit, ut nobis concedantur ea, quæ in nomine, & per merita ejus petimus.

[1] *de cognit. ver. vit.* [2] *Luc. 11.*

De interpretativa nullus dubitat: nam ejus opera, & paſſiones, & labores, & ſanguis inceſſanter clamabant pro redemptione ad Deum Patrem. De expreſſiva patet ex allatis textibus Script. ut cum in cruce orabat: *Pater ignoſce illis*, &c. Et, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte*.

CONCLUSIO III.

Chriſtus etiam in cœlo orat, & quidem tam expreſſe, quam interpretative.

Prob. I. ex Script. [1] *Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis .... & ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*. Hanc interpellationem, ſeu interceſſionem quidam explicant de oratione interpretativa; ſed melius dicitur de expreſſiva: nam interpellatio eſt quaſi continuatio, vel etiam iteratio orationis. Unde Chryſoſt. [2] *Etenim qui in propria dignitate apparuit, noſtri curam non depoſuit, ſed & pro nobis intercedit, & adhuc eamdem charitatem retinet*. Hoc autem ſicut præſtabat in hac vita per orationes expreſſivas, ita & in cœlo.

Confir. Nam perfecta oratio eſt cum explicita expreſſione poſtulatorum, interpretativa autem eſt imperfectior, ut patet; ergo Chriſti oratio non tantum eſt interpretativa per exhibitionem cicatricum, & meritorum, ſed etiam per explicitam poſtulationem gratiarum, quibus indigemus.

Confir. ex eadem Script. & PP. nam inquit Joannes: [3] *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio*, &c. Et Nazianz. [4] *Nunc quoque deprecatur tamquam homo pro mea ſalute, quandoquidem cum eo corpore eſt, quod aſſumpſit ..... eodem modo, & eumdem advocatum habemus Jeſum ...... iis, quæ tamquam homo paſſus eſt Patri ſuo perſuadet, ut patienter toleret, tamquam Verbum, & hortator*, &c. ſed non diceret illum eſſe eodem modo advocatum, niſi eodem modo loqueretur, & eodem affectu; ergo &c.

Confirm. iterum tum ex verbis Apoſt. quibus dicitur

[1] *Rom.* 8. *Heb.* 7. [2] *ibid. hom.* 15.
[3] *Jo.* 2. [4] *orat.* 36.

citur *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*. Nam oratio interpretativa fit a vivo, & a mortuis; ſic orabant vulnera, & corpus ejus in ſepulchro: tum quia ipſe promiſerat diſcipulis: *Ego rogabo Patrem*, &c. quod non poteſt niſi violenter dici de oratione pure interpretativa.

Prob. denique. Nam oratio expreſſiva non magis dedecet Chriſtum in cœlo, quam in terris, & in vita mortali, nihil novi accidit ei, præter immortalitatem, & gloriam corporis, eadem erat dignitas, eadem potentia, eadem beatitudo; ſed in hac vita orabat expreſſe; ergo & in cœlo, quod magis patebit ex fundamentis adverſantium.

Objic. 1. PP. non admittunt ibi, niſi orationem interpretativam. *Iſta interpretatio*, ait Rupertus, [1] *Doctorum omnium aſſertione non ſubmiſſa eſt poſtulatio, ſed ejus paſſionis, quæ ſemel ſuſcepta, ſemel pro nobis oblata eſt, æterna commemoratio ..... & ſanguinis ejus innocentis exclamatio*. Et Gregor. [2] *Interpellat pro nobis Dominus non voce, ſed miſeratione*. Et idem eſt de aliis, qui docent, Chriſtum non aliter poſt reſurrectionem orare, quam per vulnerum cicatrices, quas oſtendit Patri; ergo &c.

Reſp. neg. antec. Nam SS. PP. intendunt ſolum negare in Chriſto glorificato non orationem omnem expreſſivam, ſed compaſſivæ teneritudinis, cum lacrymis, proſtrationibus, & humiliationibus, cum quibus orabat in terris; & meritoriam, quales erant iſtæ, ut mox videbamus cum Nazianzeno, & in hoc arguunt Origenem, & alios, qui putabant Chriſtum adhuc in cœlo lugere, cum peccamus, &c. Item negat orationes ex indigentia pro ſe, ut cum petebat tranſitum calicis, &c.

Objic. 2. Chriſtus in cœlo nihil habet optandum ſibi, nec nobis; ergo nec orandum. Prob. ant. nam ipſe eſt in poſſeſſione æternitatis beatæ; pro nobis autem omnia complevit, quæ habebat facienda pro nobis, & per ſeipſum poteſt conferre omnia bona, quæ poteſt nobis velle. *Data eſt illi omnis poteſtas*, &c. ergo nihil habet optandum, vel orandum: nullus enim orat ab alio fieri, quod ipſe habet, aut facere poteſt.

Reſp. 1. argum. nimis probare: nam probaret etiam

[1] *l.9. de offic.* 3. [2] 12. *mor.* 13.

ipſum non debuiſſe orare in terris; erat enim beatus, & habebat quidquid efficaciter volebat pro ſe, & poterat præſtare per ſe nobis, quidquid jam poteſt. *Data enim illi erat omnis eadem poteſtas*.

Reſp. 2. neg. utrumque ant. pro 2. par. Nam ſicut deeſt nobis executio eorum, quæ nobis meruit, nempe collatio gratiarum, & gloriæ, ſic poteſt illa petere, ſicut petebat in terra: falſum etiam ſupponitur, nempe quod ſecundum humanitatem poſſit per ſe efficere phyſice omnia, nec enim phyſice creat gratiam, ut homo, ſed tantum moraliter, & meritorie, & impetratorie auctoritative dona, quæ phyſice creat, ut Deus.

Inſt. Hæc non conferuntur nobis ex vi novæ orationis, vel impetrationis, ſed ex vi meritorum, & impetrationum præteritarum; ergo nulla ſolutio.

Reſp. neg. ant. Nam dantur in executione, & de facto intuitu utrorumque, ſc. tam præſentis orationis, & voluntatis Chriſti, quam meritorum in vita exhibitorum, & applicatorum nobis ab ipſo.

Inſt. 2. Potuit Deus Pater conferre Chriſto abſolutam adminiſtrationem, & diſpenſationem omnium gratiarum abſque reſtrictione, & obligatione recurrendi, ſeu petendi; ergo ita factum eſt, ut glorioſius ipſi.

Reſp. neg. conſ. Nam cum Script. dicat eum adhuc interpellare, & intercedere, & advocationem exercere pro nobis, non poſſumus dicere, quod ita Deus diſpoſuerit: imo quamvis tam abſolutam Deus dediſſet poteſtatem, adhuc non incongrue Chriſtus ut homo expectaret, & peteret Patris beneplacitum in executione, & hoc non dedeceret dignitatem filii ut hominis.

Objic. 3. Chriſtus in cœlo nihil de novo impetrat; ergo fruſtra oraret. Prob. ant. Nam merita ejus omnia conſummata ſunt, juxta illud, (1) *Una oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos æterna redemptione inventa*: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Nihil de novo impetrat per modum meriti, conc. per modum impetrationis, neg. antec. & conſ. prob. Nam licet nobis meruerit omnia, & omne meritum ejus conſummatum fuerit in morte, adhuc exe-

[1] *Heb.* 10.

executio reſtat obtinenda eorum, quæ meruit; & certe niſi ſic dicatur, fruſtra etiam invocaretur Maria, & alii Sancti, ut pro nobis orarent, & intercederent.

Inſt. Chriſtus jam novit in Deo, quidquid nobis concedere vult, & quidquid non vult concedere; ergo fruſtra oraret: nam Dei decreta non mutantur.

Reſp. 1. eodem modo probari, quod neque in terris debuit orare: nam eandem habebat ſcientiam. 2. idem eſſet dicendum de Sanctis; & illo argumento utuntur hæretici, ut impugnent invocationem Sanctorum: nam iſti omnia illa vident in Verbo.

Reſp. 2. neg. conſeq. Nam videbat Chriſtus ea, quæ Deus Pater conceſſurus erat per ejus merita, & preces, & hæc omnia petebat, & obtinebat.

Objic. 4. Si Chriſtus adhuc oraret in cœlo, peteremus ab eo, ſicut ab aliis Sanctis, ut oraret pro nobis; ſed hoc eſt contra morem, & doctrinam Eccleſiæ, quæ orat ipſum, non ut oret, ſed ut concedat orata.

Reſp. neg. maj. Nam licet abſolute, & in rigore fieri poſſet, tamen decenter, & congrue fieret, quia idem, qui orat ut homo, oratur, & miſeretur, & largitur ut Deus: & per hanc diſtinctionem orationum Eccleſia oſtendit diſtinctionem perſonæ, ac dignitatis Chriſti ab aliis puris creaturis, etiam ſupra Deiparam ipſam, quos oramus, ut orent, & intercedant.

CONCLUSIO IV.

Omnis oratio efficax, & abſoluta Chriſti exaudita eſt. Eſt communis, & de fide.

Suppono autem non omnem volitionem, & orationem Chriſti fuiſſe efficacem, & abſolutam, ſed aliquas fuiſſe inefficaces, & conditionatas, ut iſta: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix eſt: verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat*. De abſolutis loquimur.

Prob. 1. ex Script. Ipſe dicit ad Patrem: *Ego ſciebam, quia ſemper me audis*; & rationem reddit Lyranus: *In his enim, quæ Chriſtus abſolute volebat deliberativa voluntate, conformabatur Divinæ voluntati, & ſic exaudiebatur*. Hanc rationem ipſe nos docet, dicens: *Ego a me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater*, ſcil. quia nihil petebat, niſi ex dictamine Verbi, & Spiritus Sancti, & niſi quod placebat Deo, non poterat non exaudiri.

diri. Item aliam rationem dat ipſe, ſcilicet amorem ſummum Patris. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manus ejus*; & quidem hoc habebat ut homo: nam cum dixerit, *Data eſt mihi omnis poteſtas*, addit Gloſſa ordin. *Hoc non de coæterna Patris divinitate, ſed de aſſumpta dicit humanitate*.

Prob.2. Chriſtus otioſe loqui, & orare non poterat; ergo ſemper exaudiri debuit, ne fruſtra oraret: item per ſummam ſapientiam ſciebat, quæcumque petere debebat, & obtinere; ergo non poterat orare fruſtra. 3. non decebat dignitatem ejus, ut quidquam illi negaretur. 4. niſi certus fuiſſet de effectu petitionum ſuarum, non docuiſſet tantam fiduciam Apoſtolos ſuos, ut fecit, dicens poſitive, & abſolute: *Petite, & accipietis*. Et, *Amen dico vobis, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio*, &c. ergo ſi tantam fiduciam, & ſecuritatem potuit dare Apoſtolis, quanto magis eam habebat?

Objic. 2. Plures orationes Chriſti leguntur non exauditæ; ergo, &c. Prob. ant. 1. oravit pro translatione calicis, & non fuit translatus, ſed eum bibit. 2. oravit pro his, qui credituri ſunt per Apoſtolos, *ut omnes unum ſint in nobis, ſicut tu Pater in me*, &c. & tamen multi ex credentibus damnantur. 3. oravit pro tortoribus, & inimicis Judæis: *Pater ignoſce illis*; & tamen non apparet de illorum converſione, & ſalute; ergo pluries non fuit exaudita ejus oratio.

Reſp. 1. diſt. ant. & conſ. prob. orationes conditionatæ, & inefficaces, conc. abſolutæ, & efficaces, neg. ant. & conſ. prob. nam 1. oratio pro venia tortorum ſupponebat conditionem cooperationis eorum ad gratiam, & veniam, quas illis expetebat. 2. idem eſt de credentibus, qui non ſalvantur defectu perſeverantiæ, cujus donum, & gratiam illis etiam optabat, quæque illis Deus daret, & parata exhibet, ſi velint cooperari aliis auxiliis, & cujus cooperationis defectu cadunt ab accepta juſtificatione, & damnantur. 3. oravit pro translatione calicis, ſed conditionate ſub beneplacito Patris, ut patet.

Reſp. 2. diſt. idem ant. non exauditæ quoad ea, quæ pendebant a conditionibus, ſub quibus ea petebat, con. quoad ea, quæ in eis petebat abſolute, neg. antec. & conſ. prob. Nam in illis orationibus diſtinguendum

inter

inter ea, quæ petebantur abſolute, & hæc obtinuit, & ea, quæ pendebant a conditionibus, & hæc non obtinuit, quia defectu conditionum hæc non petebat. Abſolute voluit calicem ſuppoſito decreto Patris, & illum obtinuit, abſolute petiit diſpoſitionem in Patre ad ignoſcendum Judæis, & erat paratus Pater ad ignoſcendum ex parte ſua, & de facto aliqui pœnituerunt, & veniam conſecuti ſunt, ut Centurio, qui aperuit latus ejus, & plures alii, qui deſcendentes de calvario percutiebant pectora ſua, &c. Idem eſt de illis credentibus, qui non perſeverant in gratia.

DISPUTATIO X.

De potentia Chriſti, deque ejus cultu, & Sanctorum.

LOquimur ſemper de Chriſto homine, non de cultu ejus ſecundum divinitatem; denique de cultu debito divinitati ejus non eſt hic locus de illa materia, ſed pertinet ad tract. de religione. Recte igitur, poſtquam de ejus eſſentia, gratiis, & meritis actum eſt, & dignoſcitur quis, qualis, & quantus ſit in natura, & in præcellentiis, dignitatibus, & meritis; quærimus, qualis ſit ejus potentia in cæteras omnes creaturas, ut ſupra leges naturæ conſtitutus ſit in operando, ſeu quoad poteſtatem operandi miracula; item quis ei debeatur honor, & cultus, & ſervis ejus, & omnibus, quæ quomodocumque ad eum ſpectant: nam in ſervis ſuis colitur ipſe, & honoratur.

QUÆSTIO I.

An, & qualis potentia ſit in Chriſto, ut homo eſt.

QUod Chriſtus ut Deus, ſeu ſecundum divinitatem ſit omnipotens nullus dubitat: nam ſicut perfectus eſt Deus, ita & omnipotens; ſed quæri ſolet, an illi conveniat ſecundum quod homo eſt, ita ut ſicut communicatur humanitati perſonalitas Verbi, per quam iſta ſubſiſtit in unitate ſuppoſiti, ita etiam

mani communicetur omnipotentia nō ſolum per communicationem, quam vocamus idiomatum, ſed per modum formæ intrinſecæ, per quam operetur, ſicut per eam operatur Deus. Et ſic quæritur in particulari, an humanitas concurrat phyſice ad opera ſupernaturalia, & miraculoſa, v.g. ad creationem gratiæ, reſurrectionem mortuorum, &c. An vero tantum moraliter, quatenus intuitu meritorum ejus, & volitionis ejus Deus ea per ſe operetur effective.

CONCLUSIO I.

Chriſtus ut homo non habet omnipotentiam. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quia omnipotentia ad omne producibile producendum non poteſt conferri creaturæ, vel alicui, niſi habeat formam unam, vel plures, in qua, vel quibus radicatur eſſentia omnium poſſibilium poſſibiliter fiendorum. Hæc autem forma non poteſt eſſe accidentalis, nec una, nec multæ, quia accidens ſecundum ſe non habet in ſe, nec habere poteſt manens accidens productivum virtutum omnium ſubſtantiarum, vel alicujus*, &c.

Prob. 2. ex dictis tract. 1. Nam potentia Chriſti hominis eſt virtus creata; ergo finita; ergo non eſt omnipotens: nam omnipotentia debet continere virtualiter omne poſſibile; ergo habet in ſe infinitatem.

Prob. 3. Nam omnipotentia Dei, ſeu Verbi communicaretur humanitati vel per ſe immediate, vel per aliquod donum, v.g. per donum creatum, quod dicitur *operatio virtutum*; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. non 1. per ſeipſam formaliter, quia eſt realiter identificata deitati, & ſubſtantialis, nec poteſt informare aliam naturam præter divinam, in qua eſt per ſummam identitatem; ſed ut eſſet in humanitate principium operationum, & productionis omnium poſſibilium, deberet ineſſe illi per modum formæ intrinſecæ; ergo, &c. 2. non per aliud donum creatum: nam iſtud eſſet in ſe finitum; ergo non poſſet tribuere omnipotentiam, quia hæc eſt virtus infinita.

Objic. 1. SS. PP. cōmuniter docent, quod per unionē hypoſtaticam communicantur humanitati Chriſti deitas,

[1] 3. d. 16. q. 2. n. 9.

tas, & omnia attributa deitatis; ergo & omnipotentia.
Reſpond. diſtin. antec. extrinſece, & ratione perſonalitatis Verbi, conc. intrinſece, & immediate per inhærentiam, vel inexiſtentiam, vel informationem, neg. ant. nec enim id ſomniarunt PP. ſed ſicut deitas prædicatur de Chriſto, & Deus de homine, & viciſſim per communicationem idiomatum, ita & omnipotentia.

Objic. 2. Humanitas Chriſti fit formaliter ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi; ergo & omnipotens per ejus omnipotentiam.

Reſpond. diſt. anteced. ſubſiſtentia Verbi per modum terminantis, & ſuſtentantis, conc. per modum informantis, neg. antec. & conſeq. nam ſubſiſtentia ſuſtentat humanitatem per modum puri termini, qui eſt proprium, & formale munus ejus; munus vero aliarum perfectionum divinarum eſt perficere intrinſece per modum formæ, quod illis repugnat, ſaltem quoad naturam alienam.

Objic. 3. Humanitas Chriſti ex vi unionis cum Verbo facta eſt formaliter potentior ad operandum, & quidem phyſice; ergo facta eſt omnipotens: nam potentia Dei non communicatur diviſibiliter, neque per partes, & illa major potentia non poterat venire aliunde.

Reſpond. neg. anteced. abſolute: nam unio in ſe, & de ſe eſt pura relatio, & relatio non eſt activa, ſicut nec ipſa ſubſiſtentia, ut ſæpe diximus; eſt enim tantum conditio, ſine qua natura non agit; quia ergo humanitas in ſua ſubſtantia non immutata eſt per unionem, ita nec potentior facta eſt in ſe.

Inſt. Per hanc unionem, & ſubſiſtentiam habet perfectiorem exiſtentiam, & perfectiorem operationem, nam perfectior exiſtentia dat perfectiorem operationem.

Reſp. neg. antec. Nam exiſtentia, & ſubſiſtentia realiter diſtinguuntur, & humanitas Chriſti ſubſiſtit quidem perfectiori ſubſiſtentia, ſed exiſtit per exiſtentiam creatam, ut diximus.

CONCLUSIO II.

H*Umanitas Christi non attingit physice productionem gratiæ, nec aliorum miraculorum, sed moraliter*. Eſt contra Thomiſtas, & alios dicentes eam agere inſtrumentaliter phyſice.

Prob. 1. ex Scoto. (1) Nam, ut ſuppono ex dicendis de cauſalitáte Sacramentorum, *Creatura non poteſt agere inſtrumentaliter ad terminum creationis*, ex S. Thoma; ergo nec humanitas ad productionem gratiæ, quia hujus productio eſt actio creativa, ut alias dictum eſt.

Prob. 2. ex PP. qui miracula Chriſti ſoli divinitati tribuunt, ſaltem quoad cauſalitatem phyſicam; ergo &c. Prob. ant. *Humanæ actionis finis in libera manus dilatione, & tactu poſitus erat, divinæ autem in puellæ excitatione*, ait Damaſcen. (2) & Athanaſius: [3] *Humano quidem modo manum extendit, divinitas autem morbum compeſcuit, humanum fuit ex carne emiſiſſe ſpiritum; divinitas autem oculos aperuit*. Et Auguſt. [4] *Miraculum, quod facturus erat, mutans aquam in vinum, ſecundum divinitatem factum erat, non ſecundum infirmitatem*, ideſt humanitatem, quæ infirma eſt, ſecundum id, quod Deus erat, non ſecundum quod infirmus natus erat: & ſic de aliis: ergo ſolus Deus phyſice, & efficienter operabatur miracula reſurrectionum, ſanitatum, &c. licet per humanitatem aliquot actiones efficeret, quæ tamen non attingebant effectus illos ſupernaturales, alioqui non deberet ab eis abſolute, & ſimpliciter excludere humanitatem.

Prob. 3. Potentia, per quam humanitas attingeret phyſice tales effectus, eſſet vel qualitas realis, ſupernaturalis, & permanens, ut quidam ex adverſariis volunt, vel motus quidam tranſiens, & impreſſus à Deo in occaſionibus illa patrandi, vel potentia obedientialis activa elevans naturam, & inſtrumentum ad tales effectus producendos, vel eſſet ipſa Dei omnipotentia utens illa natura, ut inſtrumento phyſico ad illa opera; ſed nihil horum dici poteſt; ergo &c. Maj. patet

[1] *4.d.1.q.5.A.n.4* [2] *3.de fide.15.*
[3] *orat.4.cont.Arrian.* [4] *tract.8.in Jo.*

patet ex ipſis adverſariis, qui confugiunt ad illos modos, ut explicent, unde proveniat ille concurſus. Prob. min. de qualitate permanente: nam illa qualitas omnipotens, & concurrens ad illos effectus ſupernaturales, & miraculoſos deberet eſſe infinita: nam tribueret quandam omnipotentiam, ſeu virtutem ad illos effectus, & illos deberet continere virtualiter; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo &c. Prob. min. Qualitas concurrens ad plures effectus diſtinctos ſpecie per propriam virtutem, & efficaciam, eſt perfectior illa, quæ continet unum, vel pauciores; ergo illa, quæ concurreret ad omnia miracula, vel ad creationem gratiæ, eſſet infinita.

Confir. Hæc qualitas eſſet materialis, vel ſpiritualis; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. non materialis, quia non poſſet attingere phyſice res ſpirituales, & ſpiritualis non poſſet attingere materiales.

Prob. 2. de motu. Ille qualiſcumque motus nihil efficeret, niſi applicationem cauſæ ad effectum, vel agentis ad paſſum; non autem ullam vim agendi in id, quod aliunde ſuperaret virtutem agentis, qualia ſunt miracula.

Confirm. Humanitas Chriſti habuit virtutem, ſeu potentiam hanc ab inſtanti conceptionis, & habitualiter ſine interruptione; ergo non conſiſtebat in motu ullo tranſeunte.

Prob. 3. de potentia obedientiali, tum quia talem potentiam activam in quolibet ad quodlibet negavimus in phyſicis, niſi in his, quæ inchoatam quandam habent virtutem ad certos effectus, ut ibi dictum eſt, ut in intellectu reſpectu viſionis beatæ, & in voluntate reſpectu fruitionis in gloria; tum quia deberet dici in quo, & per quid exerceretur talis potentia activa.

Prob. 4. de unione. Nam, ut dicebamus, unio hypoſtatica eſt pura relatio, & ipſe terminus relationis, nempe ſubſiſtentia Verbi non eſt activa; ergo &c. Dicendum ergo eſſet hanc potentiam eſſe aliquid datum intuitu, vel conſequenter ad illam unionem, & ſic recurrendum ad unam ex prædictis tribus cauſis.

Prob. 3. tota concl. ex Conc. Trid. [1] Chriſtus non eſt

[1] *ſeſſ. 6. c. 7.*

eſt niſi cauſa moralis noſtræ juſtificationis. *Efficiens vero eſt miſericors Deus, meritoria vero Dominus N. J. C.* & quidem *ſua ſanctiſſima paſſione* &c. ſed ſi concurreret phyſice ad productionem gratiæ [idem eſt de aliis miraculis] non diceretur cauſa pure meritoria, ſed etiam efficiens, ſicut & Deus, nec etiam id ſoli merito paſſionis tribueretur, ſed miſericordiæ, & potentiæ; ergo Chriſtus, ut homo, non eſt niſi cauſa moralis gratiæ, & miraculorum.

Confir. non aliter Chriſtus eſt cauſa juſtificationis Chriſtianorum, præciſis mediis, quam antiquorum Patrum; nam de omnibus indifferenter dicitur: [1] *Gratia, & veritas per J. C. facta eſt*; ſed quoad Patriarchas non poteſt dici cauſa phyſica, nequidem inſtrumentalis; ergo nec quoad Chriſtianos: prob. min. nam tunc non exiſtebat; ergo nec poterat influere phyſice.

Objic. 1. SS.PP. dicunt,[2] *Chriſtum feciſſe miracula poteſtate, martyres vero, & ſanctos impetratione*; ſed hæc differentia non teneret, niſi Chriſtus influxiſſet phyſice in miracula; ergo &c. Prob. min. impetratio eſt cauſalitas moralis, poteſtas vero eſt phyſica.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam nomine *poteſtatis* intelligunt ratione deitatis, non autem ſolius humanitatis, *poteſtas*, non ſonat efficientiam phyſicam, ſed potius moralem cum aliqua tamen authoritate, ad differentiam ſanctorum, qui non authoritative, ſed pure impetrative, & orando, Chriſtus vero imperando, *Lazare veni foras*: aut, *adoleſcens tibi dico ſurge* &c. Et quidem hic modus agendi longe nobilior eſt, quam ſi effective operando id feciſſet, ſicut Rex glorioſiori titulo dicitur fundator urbis, concurrendo moraliter, & imperando, quam ſi ut Architectus, & Faber manum admoviſſet ad opus.

Confir. hoc ex ſententia adverſariorum, qui non concedunt humanitati concurſum phyſicum, niſi pure inſtrumentalem, qui longe ignobilior eſt iſto.

Inſt. ex Sophronio M. 6. Synodo dicitur, *carnem Chriſti fuiſſe vivificatricem*, ſeu vitæ effectricem; ſed hoc non recte diceretur, ſi ad vitam mortuis reddendam concurrebat ſolum moraliter; ergo &c.

Reſp.

[1] *Joan.* 1.
[2] *Greg. 2. dial.* 130.

Reſp.neg. min. nec enim id dici potuit ad litteram de carne Chriſti præſcindendo ab anima, & ſuppoſito, cum ad hos effectus non habuerit activitatem; ſignificat ergo, quod Deus intuitu carnis, ſeu humanitatis ejus vivificaret mortuos.

Objic.2.Si concurrebat tantum moraliter, non erat neceſſarius contactus phyſicus manuum,aut veſtium; ſed hic contactus juvabat; ergo &c. Prob.min. nam dicitur, quod (1) *omnis turba quærebat eum tangere, & ſanabat omnes.* Item mulier dicebat, *ſi tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero;* & revera ipſe in turba ſenſit virtutem aliquam phyſice fluxiſſe ex ſe; *novi virtutem a me exiiſſe*, & ſuſcitans adoleſcentem, *tetigit loculum;* ergo per influxum phyſicum hæc faciebat.

Reſp.diſt.min. juvabat ad oſtenſionem fidei ſanandorum, & poteſtatis in Chriſto, con. ex neceſſitate, quaſi ſine illis non potuiſſet ſanare, neg.min. & conſ. imo quid juvare poterat phyſice contactus fimbriæ veſtis, aut loculi, aut applicati luti ex ſputo? 2. Si contactus id præſtabat, cur addebat verba, *Tibi dico ſurge* &c. Volebat autem illa ſigna externa ad oſtenſionem virtutis, & poteſtatis ſuæ, & fidei ægrotantium, aut implorantium auxilium ejus.

Objic. 3. Non repugnabat in humanitate concurſus ille phyſicus, ſaltem inſtrumentalis; ergo admittendus eſt, quia facit ad majorem dignitatem, & gloriam Chriſti.

Reſp. neg.conſ. & ant.prob. ob rationem mox allatam, quia ſcilicet glorioſius eſt Chriſto, quod ſuis meritis, &, quoties deſiderabat Deus,deberet operari illa miracula, quam ſi ut purum inſtrumentum concurriſſet, ut dicebamus de Rege.

Reſp.2.neg.ant.nam, ut diximus ſupra, & in Phyſica, repugnat potentia obedientialis activa in quolibet ad quodlibet, & maxime concurſus cauſæ creatæ ad creationem gratiæ, ad alias quidem aliquas potuit concurrere phyſice, ſed non ad omnia, ut ſunt creationes gratiarum, & reſurrectiones mortuorum, & ea, quæ operabatur abſens.

Objic.4. Chriſtus volebat, ut opera ſua miraculoſa (2) *teſtimonium perhiberent de ipſo*, ſcilicet quod eſſet homo.

(1) *Luc.* 5. & 8. (2) *Luc.* 10.

homo Deus, & de ſua unione cum Verbo; ſed hoc non probarent opera, niſi phyſice fierent ex vi unionis; ergo ita eſſe dicendum eſt: prob. min. nam effectus moralis non oſtendit cauſam ſuam; quia eſt æquivocus cum illa.

Reſp. diſt. maj. teſtimonium, quod non eſſet purus homo, ut putabant Judæi, & quod vera dicebat eis, con. maj. & neg. min. quod exibant phyſice ab ejus humanitate, neg. maj. & conſ. non enim id innuunt verba illa, ſed potius contrarium; nam addit, *quæ ego facio in nomine Patris mei*, ideſt per virtutem Dei Patris, non per meum ſecundum humanitatem, & hoc magis patet ex aliis verbis ejuſdem, ut cum dicebat, *qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora* &c. ſed ſic loquens non intendit, quod credentes illa faciant phyſice, nec colligitur ex prioribus verbis; ergo &c.

Igitur in tantum illa miracula tribuuntur humanitati, quatenus ex meritis, & ad nutum ejus Deus operabatur illa.

QUÆSTIO II.

An, & qualiter Chriſtus ut homo ſit adorandus.

Adoratio eſt honor exhibitus alicui cum nota ſubmiſſionis propter ſuperioritatem, vel excellentiam ejus, unde latius patet, quam *honoratio*; nam poteſt honorari inferior, vel æqualis, ſed non adoratur, niſi ſuperior. *Interna* conſiſtit in actu interiori animæ adorantis: *externa* vero in actibus, & ſenſibilibus, v. g. genuflexionibus, & aliis ſignis exterioribus.

Adoratio vera ſupponit in intellectu exiſtimationem excellentiæ, & ſuperioritatis in perſona, quæ adoratur, & in voluntate affectum ſubmiſſionis ad eamdem perſonam velut ſuperiorem in merito, vel dignitate, & in potentiis exterioribus exercetur per ſigna prædicta, vel alia ſenſibilia ad ſignificationem talium actuum interiorum inſtituta.

Adoratio ſubdividitur in *latriam*, *duliam*, & *hyperduliam*. *Latria*, ex communi uſu Theologorum, ſignificat cultum exhibitum in proteſtationem ſupre-

premæ, ſeu infinitæ, ſeu increatæ dignitatis, & excellentiæ, & hoc ſenſu debetur ſoli Deo. *Dulia*, ex eodem uſu, ſignificat honorem, & cultum exhibitum alteri creaturæ propter ſingularē ſanctitatem, ſeu excellentiam, quæ in illa perſona dignoſcitur, & hic cultus exhibetur omnibus Sanctis, & Angelis Dei propter eminentem, & ſupernaturalem eorum gratiam, & ſanctitatem. *Hyperdulia* eſt dulia, ſeu veneratio ſingularis, & ſupereminens, quæ exhibetur creaturæ in proteſtationem ſingularis, & ſupereminentis dignitatis, & excellentiæ, & talis eſt adoratio, quæ debetur Virgini Deiparæ ratione maternitatis Divinæ, qua ſupereminet omnibus puris creaturis, & propter ſanctitatem illi dignitati proportionatam.

Porro *adoratio* alia eſt *civilis*, quæ exhibetur hominibus ſecundum varios gradus dignitatum: ita diſtingui poteſt in *latriam*, quæ ſupremis principibus, ſeu regibus, & *duliam*, quæ aliis dominis ſubalternis, & *hyperduliam*, quæ exhibetur his, qui in ſingulari ordine ſuperioritatis, ſeu dignitatis elevantur ſub principe, & ſuper alios dominos, & magnates.

Rurſus dividitur in *abſolutam*, quæ exhibetur alicui propter excellentiam, quæ in ipſo eſt vere, & proprie, & *relativam*, quæ exhibetur rei, vel perſonæ non propter excellentiam, & meritum, quod vere, & proprie ſit intra ipſam, ſed extrinſece, & reſpective ad alium, ad quem ille cultus debetur, & ad quem res illa pertinet aliquo modo: talis eſt cultus, & veneratio, quam exhibemus Cruci, & reliquiis Chriſti, & Sanctorum; nec enim id facimus propter ullam excellentiam abſolutam, quæ in eis exiſtat, ſed propter relationem, & pertinentiam ejuſdem Chriſti, & Sanctorum, quos ita veneramur, & ad quos illa pertinent, & ſic ille cultus non reſpicit illos cineres, vel oſſa, vel imagines, vel Cruces, niſi materialiter, quia formaliter, & ultimate reſpicit ipſum Chriſtum, & Sanctos, quos imagines illæ repræſentant, & quos veneramur in illis rebus: ſic famulos, & domeſticos in civilibus veneramur propter dominos.

His ſuppoſitis, quæritur, an Chriſtus, ut homo, ſit adorandus cultu latriæ, non tantum ſpecificative, & ut homo ſignificat totum ſuppoſitum ex humanitate,

tate, & ſubſiſtentia Verbi, ſed etiam reduplicative, & ratione humanitatis cum donis omnibus creatis præciſe a perſonalitate Verbi.

CONCLUSIO I.

CHriſto, ut homini abſolute, & ſpecificative debetur cultus latriæ, reduplicative autem, & præciſe ratione humanitatis, probabile eſt non deberi niſi cultum hyperduliæ. Eſt de fide contra Neſtorium, qui ut volebat duas perſonas in Chriſto, divinam, & humanam, ſic Chriſto ut homini non tribuebat, niſi latriam relativam, ſc. *propter Deum geſtantem eum, qui apparet, qui eſt homo:* ſicut idem honor defertur imperatori, & ejus purpuræ, ſed qui defertur purpuræ, eſt relativus. 2. p. eſt communior.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto, qui poſt ſubtilem de Chriſto ut homine diſtinctionem, vel ſecundum naturam divinam ſolum categorematice, vel ſyncategorematice, dicit, quod [1] *Chriſtus non ſolummodo ſecundum naturam divinam, categorematice, & ſyncategorematice, ſed etiam ſecundum humanam debet adorari, quia non debet excludi natura humana a termino adorationis, quaſi ipſam excludendo non poſſit totum adorari.* Et hoc probat ex Damaſc. [2] *Chriſtus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu S. una adoratione cum incontaminabili carne ejus, non inadorabilem carnem ejus dicentes* &c. *Adoratur enim in una Verbi hypoſtaſi* &c. Ecce pro 1. concluſionis p. pro 2. vero addit, *ſumendo autem* ly, *ſolummodo*, ſyncategorematice reduplicative, ſeu *prout excludit aliquid, ut rationem adorandi, poteſt dici, quod ſolummodo ſecundum naturam divinam eſt adorandus excludendo aliam naturam*, ſcilicet humanam, *ut eſt ratio adorandi, quia nulla eſt alia ratio adorationis debitæ ſummo Domino, ſicut nec corpus eſt ratio adorandi virtuoſum;* ergo ex Scoto Chriſtus, ut homo ſpecificative, ſive ſecundum humanitatem, ſimul cum ſubſiſtentia Verbi, debet vere adorari cultu latriæ, ſed non reduplicative, ſeu formaliter ratione humanitatis cum ullo dono creato.

Prob.

[1] *d.9.D.n.6.*
[2] *Hom.3.fid.54.*

Prob. 2. ex Script. nam de facto de Magis Regibus legitur, quod [1] *procidentes adoraverunt eum*, & munera, quæ obtulerunt, teſtantur ejus divinitatem, humanitatem, & regiam dignitatem juxta Patrum interpretationem: *aurum, thus, myrrham regique, hominique, Deoque dona ferunt*. Et Paulus, [2] *in nomine Jeſu omne genu flectatur*. Et in Cœlo, [3] *viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno*. Et, *adoraverunt viventem* &c. Et de mulieribus ad ſepulchrum ejus in die reſurrectionis: [4] *illæ acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum* &c.

Confir. Chriſtus etiam ut homo eſt vere filius Dei naturalis, ex dictis ſupra; ergo eſt vere adorandus cultu eodem, quo Pater, & Spiritus S. prob.conſ.nam inquit ipſe: [5] *ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*: Quia *ego, & Pater unum ſumus*. Item & Apoſtolus: [6] *cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli ejus*. Ubi notat Chryſoſt. [7] *non de Deo Verbo iſta dici; ſed de Chriſto, qua carne præditus eſt, non enim aliter introductus in mundum filius dicitur, quam in carne, cum in mundo jam eſſet* &c. ergo &c.

Prob. 3. ex Conciliis, & Patribus; nam in V. Synodo dicitur, *ſi quis non una adoratione Verbum incarnatum cum propria ejus carne adorat, Anath. ſit*. Unde ait Cyrillus: [8] *unus, idemque Chriſtus Jeſus, unigenituſque Dei filius animo concipitur, qui una adoratione cum propria carne adoratur*; ergo adoratione latriæ. Et S. Athanaſ. reſpondens ad Arrianos, qui Catholicos accuſabant, quod ſervirent creaturæ adorantes Chriſtum, reſpondet: [9] *Nos creaturam non adoramus: abſit, Gentilium enim, & Arrianorum ejuſmodi eſt error*; idem docet Conc. Chalcedon. & Lateran. ſub Martino.

Prob. 4. eadem p. exemplis, quibus utuntur Patres ad probandam veritatem adorationis, quia eodem modo, & actu refugimus lignum ignitum, & ignem; & quamvis ſolus ignis ſit ratio, ſeu motivum fugæ, tamen utrumque, ſc. lignum, & ignis inexiſtens ligno terminat fugam. 2. quia, ut dicit Scotus, eodem actu, ado-

(1) *Matth.* 2. [2] *Phil.* 2. [3] *Apoc.* 5.
[4] *Matth.* 28. [5] *Joan.* 10. (6) *Hebr.* 1.
[7] *Hom.* 3. (8) *Epiſt.* 10. [9] *Epiſt. ad Andul.*

adoramus civiliter Imperatorem, & veſtem ejus, licet ſola perſona Imperatoris ſit ratio adorandi. Eodem actu adoramus animam alicujus Sancti, & corpus ejus, licet ſola ſanctitas animæ ſit ratio adorationis, quia corpus unum totum conſtituit cum anima; ergo idem eſt de Chriſto homine, licet ſola deitas, ſeu perſona Verbi ſit ratio adorationis latriæ, tamen humanitas terminat eamdem adorationem, propter unitatem perſonæ, in qua unitur Verbo.

Confir. Nam ſicut in Chriſto agnoſcimus verum hominem, & verum Deum, & unum ſuppoſitum, ita utrumque uno cultu, & adoratione colimus; ſed ille cultus, quo adoratur ut Deus, eſt latria; ergo & ille, quo adoratur, ut homo: nam ibi eſt eadem ratio, & motivum adorationis, licet ſint duo termini partiales, nempe deitas, & humanitas conjunctim.

Prob. 2. p. cum Scoto. Nam humanitas in Chriſto eſt ſemper creatura, & entitative finita, etiam cum unione ſecundum ſe, & cum ſumma ſua gratia, & ſanctitate creata; ergo cum illis omnibus non eſt ratio adorandi Chriſtum cultu latriæ.

Objic. 1. con. 1. p. Adoratio latriæ non debetur, niſi ſummo Domino: ſed ſummum dominium non competit Chriſto, ut homini; ergo nec adoratio latriæ: prob. min. nam ſummum dominium competit ei ſolum ratione deitatis; ergo &c.

Reſp. diſt. min. ut homini reduplicative, ſeu formaliter ratione humanitatis, con. ſpecificative, & prout homo in Chriſto ſupponit pro ſuppoſito, & perſonalitate divina, neg. min. & conſ. nam ly *homo* ſupponit pro natura humana ſubſiſtente in Verbo, ſeu potius pro ſuppoſito Verbi habente humanitatem, & ſic illi competit ſummum dominium, non reduplicative ſecundum humanitatem, ſed ratione totius ſuppoſiti.

Inſt. Chriſtus ratione totius ſuppoſiti non eſt ſumme diligendus, nec ſummum bonum; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſyncategorematice, & ſeorſim ſecundum ſingulas partes, con. categorematice, & ſimul ſumptus, neg. ant. nam hoc ſenſu eſt vere Deus, & ita ſummum bonum, & ſumme diligendus, & ultimus finis.

Objic. 2. Si Chriſto ut homini deberetur latria, maxime

xime propter unionem cum Verbo, ſeu cum deitate; ſed hæc ratio non valet; ergo &c. Prob.min.nam hæc unio non elevat humanitatem extra ordinem creaturæ; ſed nulli creaturæ competit hæc adoratio; ergo &c.

Reſp. neg.maj. non enim ſic loquimur propter unionem, quaſi unio ſit præciſa ratio adorationis latriæ, ſed propter Verbum, quod importatur in recto in hac materia; nam adoratio cadit in ſuppoſitum, quod ſuppoſitum eſt habens, & ſuſtentans humanitatem.

Inſt. Non ſola deitas, ſed etiam humanitas eſt objectum talis adorationis; ſed humanitas non debet eſſe objectum latriæ; ergo &c.maj. patet: alioqui non diceretur adorari, ut homo; prob.min. nam eſt ſemper inferior deitati infinite; ergo non eſt objectum æqualis adorationis.

Reſp.diſt.maj.objectum terminativum, con. motivum, neg. maj. & diſt. pariter min. humanitas ſeorſim a ſuppoſito, con. ut ſubſiſtens in Verbo, neg. min. & conſ. nam loquimur de Chriſto homine, & completo, ſeu ſubſiſtente in unitate perſonæ cum Verbo.

Inſt.2.Humanitas ut unita Verbo non ceſſat eſſe humanitas, & natura creata; ergo hoc non ſufficit, ut debeat adorari ut Deus.

Reſp.diſt.conſ. ut debeat adorari ſeorſim, & ratione ſui præcise a Verbo, con. ratione unionis, & unitatis perſonæ divinæ, neg. conſ.nam ſicut conſideratur ut unita, & ſubſiſtens in Verbo, ita adoratur in Verbo, & propter Verbum ipſa adoratione Verbi.

Objic. 4. Si Chriſtus, ut homo, eſſet adorandus adoratione latriæ, poſſent illi offerri ſacrificia; ſed conſ. eſt falſum, numquam enim id fecit Eccleſia; ergo.prob. maj. nam ſacrificatio eſt præcipuus cultus latriæ; ergo &c.

Reſp.neg.maj. & conſ. prob. nam licet ſacrificium ſit præcipuus actus latriæ, non ſequitur, quin reſervetur ſoli Deo, nec quin poſſit offerri homini Deo. Præterea non mirum, quod in Eccleſia non ſoleat ullum ſacrificium offerri Chriſto Deo homini, quia nullum habet ſacrificium præter Euchariſticum, in quo Chriſtus ipſe eſt hoſtia, ſicut fuit in ſacrificio

Cru-

Crucis: eſt etiam ſimul ſacerdos, cujus officium ejus nomine obeunt noſtri Presbyteri; unde non mirum, quod hoc Chriſtus ſibi ipſi non offerat, nec ſibi offerendum commiſerit nobis. Sacrificium iſtud offertur a Chriſto [1] *Sacerdotum miniſterio*, inquiunt PP. Tridentini.

Objic.5. Actus amoris, vel adorationis ad Chriſtum non terminatur ad humanitatem ejus, licet unitam Verbo; ergo neque adoratio; eſt enim eadem ratio de utriſque: prob.ant.nam illi actus eſſentialiter reſpiciunt bonitatem infinitam; ergo non poſſunt terminari ad creaturam, qualis eſt humanitas.

Reſp.diſt.ant.ſi intellectus proponat voluntati deitatem diſtincte, & ſeorſim ab humanitate, con. ſi proponat totum Chriſtum, ut unum ſuppoſitum, neg.ant.& rationem ejus, nec enim eſt neceſſe, ut in his actibus præſcindamus, & diſtinguamus duas naturas in uno ſuppoſito unitas, ſi oramus ſimpliciter Chriſtum, & amamus, & adoramus, prout illum concipimus, non ita eſſet, ſi præſcinderemus inter illas duas naturas, & reſpiceremus illas ſeorſim.

Inſt. Chriſtus ut homo adorabat, & orabat; ergo non debuit adorari, & orari. patet ant. nam dicebat ad Samaritanam, *nos adoramus, quod ſcimus*. Prob. conſ.nam qui adorat, & orat, agnoſcit ſuperiorem; ergo ei non debetur ſupremus honor latriæ.

Reſp.diſt.conſ. non debet adorari ſecundum humanitatem, con. ratione perſonæ, in qua ſubſiſtit, neg. conſ.& diſt.ant.prob.agnoſcit ſuperiorem præciſe, & ratione naturæ, ſecundum quam orat, con. abſolute, & ſimpliciter ſecundum perſonam orantem, neg. ant.orabat ergo ſecundum humanitatem, & reduplicative, & formaliter ut homo, adoratur autem, ut Deus ſuſtentans humanitatem, & cum illa faciens unum ſuppoſitum.

Objic.6. Gloſſa in Pſal.98. *adorate ſcabellum pedum ejus*, intelligit humanitatem Chriſti, & docet illam non adorari *illa adoratione, quæ latria eſt, quæque ſoli Creatori debetur*.

Reſp.diſt.conſ.non adoratur latria ſecundum ſe, & ratione ſui præciſe a Verbo, con. ut unita Verbo, & faciens cum eo unum ſuppoſitum, neg.conſ. nam id non

[1] *Seſſ.22.c.2.*

non cogitavit gloſſator, nec Auguſt. a quo ille Gloſſam accepit, imo nec fideliter verba Auguſt. ſcripſit, qui non excipit illam adorationem, & dicit, *ſcabellum, quod adoras, propter ipſum adoras*; ſcilicet non adoratur humanitas ſeorſim a Verbo ſaltem cultu latriæ.

Objic. 1.con. 2. p. Chriſtus ratione humanitatis eſt Redemptor noſter, & ſumme Sanctus; ergo & ſecundum humanitatem debetur ei ſumma adoratio latriæ. prob. conſ. nam unus ex illis titulis ſufficit ad hyperduliam, ſeu ad ſummum honorem inter creaturas; ergo accedente novo titulo pariter ſupra ſummum debetur ei honor ſupra ſummum; ergo latria.

Reſp. diſt. utramque conſ. ſumma adoratio intra ordinem creaturæ, con. abſolute, & ſupra ordinem creaturæ, neg. conſ. utramque; nam ſicut tituli illi duo ſumme Sancti, & Redemptoris non extrahunt humanitatem ex ordine creaturæ, ita nec exigunt honorem ſupra ſummum, qui poſſit deberi creaturæ.

Inſt. Chriſtus ut homo reduplicative, & ratione humanitatis, habet infinitum meritum; ergo exigit infinitum honorem: ant. patet, nam per illam ſatisfecit pro peccato, quod habet malitiam infinitam, & pro infinitis peccatis &c.

Reſp. ex dictis neg. ant. & prob. nam conſtat, nec meritum Chriſti fuiſſe intrinſece infinitum, nec malitiam peccati, aut omnium peccatorum aſcendere ad ſtrictam infinitatem. Diximus etiam, quod ſi aliquam infinitatem habuit Chriſti meritum, non ratione humanitatis elicientis, ſed intuitu Verbi, & ex acceptatione divina.

Inſt. 2. Titulo creationis debetur latria Deo; ergo & Chriſto debetur idem honor titulo Redemptionis; ſed hic titulus convenit illi ſecundum humanitatem; ergo & latria. prob. 1. conſ. non enim redemptio minorem nobis imponit dependentiam, quam creatio: *nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet*. Et melius nobis fuiſſet non naſci, quam mori in peccato, ut Chriſtus dicebat de Juda. Item creatio eſt beneficium naturæ, redemptio vero gratiæ ſupernaturalis; ergo &c.

Reſp. diſt. conſ. titulo redemptionis quoad agens

principale, con. quoad agens inſtrumentale, neg. conſ. & ſic diſt. ſubſumptum, ſecundum humanitatem inſtrumentaliter, con. in ratione cauſæ principalis, neg. ſubſumptum: nam hic titulus convenit 1. toti Trinitati, & notionaliter Verbo divino: inſtrumentaliter autem, & minus principaliter humanitati: ita reſp. Scotus. [1]

Objic. 2. Secundum humanitatem eſt caput Eccleſiæ; ergo & ſupremus Dominus; ergo & ſecundum humanitatem debetur ei ſummus honor, ſc. latriæ.

Reſp. diſt. ant. ſecundum humanitatem, ut unitam Verbo, conc. ſecundum ſe præcise a Verbo, neg. ant. ut conſtat ex dictis de gratia capitis.

CONCLUSIO II.

Humanitati Chriſti, præcise ab unione cum Verbo, & ſecundum ſe, debetur cultus hyperduliæ; ſupremus tamen in illo ordine, & gradu.* Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto docente, quod [2] *ſumma hyperdulia debetur Chriſto, qua homo redimens:* ſicut latria, qua Deus creans; nam inquit, *eidem perſonæ debemus iſtam ſummam hyperduliam, quæ ei debetur ratione redemptionis meritorie factæ, cui etiam debemus adorationem latriæ ratione creationis* &c.

Prob. 2. Nam humanitas Chriſti ſic ſpectata nihil eſt aliud, quam compoſitum conſtans corpore, & anima rationali cum ſumma gratia ſanctificante, & aliis donis pariter ſummę perfectis, ratione quorum nihil eſt perfectius ſub Deo, ſed tamen eſt ſemper quid creatum, & ſub Deo; ſed tali creaturæ debetur cultus hyperduliæ ſupremus in illo ordine; ergo &c. maj. patet ex ſuppoſitione; min. prob. ex dictis de hac ſpecie adorationis, & de excellentia animæ Chriſti, & donorum ejus; nam ſicut cum his donis non excedit ordinem rerum creatarum, ſed excellit longiſſime ſuper omnes creaturas, ita debetur illi honor ſupereminens, & ſingulariſſimus. Eſt enim *Pontifex noſter innocens, & impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus:* ait Apoſtolus.

His adde titulum redemptionis; nam ratione redemptionis ſummum dominium habet in nos, ita ut ſub

[1] *Ibid. F. n. 8.* [2] *Ibid.*

ſub Deo non ſit poſſibile majus. Debemus ei cultum tali dominio, & titulo proportionatum, qualis eſt hyperdulia hæc ſumma, & ſingularis, qua non ſit poſſibilis excellentior ſub Deo.

Confir. Nam Chriſtus ſub hoc reſpectu, & titulo *Inſtauravit omnia, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Et ipſe in hoc mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominetur.* Et eſt caput omnis creaturæ, ut patet ex dictis; ergo debetur ei ſupereminens cultus ſub cultu Dei.

Dico, *ſub cultu Dei*; nam, ut dicebamus ſupra, humanitas Chriſti ſic conſiderata nihil habet, quod excedat ordinem creaturæ; & dependet a Deo titulo creationis, & conſervationis; ergo non debetur ei cultus, niſi inferior cultui, qui debetur Deo.

Unde ſicut in Chriſto conſideramus duas naturas, divinam, & humanam in unitate ſuppoſiti, & duos titulos, Creatoris ſc. & Redemptoris, ſic ei debemus duplicem adorationem ſecundum duas illas conſiderationes, ſi fiant ſeorſim: nempe latriam ratione deitatis, & titulo creationis, & hyperduliam ratione humanitatis, & titulo redemptionis. Moneo tamen cum Scoto, [1] quod *tutum eſt in adoratione non nimis diſtinguere naturam illam creatam a Verbo, ſed Verbum ſubſiſtens in duabus naturis adorare, & ita Verbum habens naturam humanam poteſt ſumme diligi, licet ipſa natura non diligatur, neque etiam ſumme diligatur unio naturæ ad Verbum, quæ eſt creatura* &c. de facto hæ diſtinctiones manere debent intra ſcholam: populis vero proponenda, & ſuadenda adoratio ſumma, & latriæ abſolute, & ſecundum totum eſſe Chriſti Domini, qui eſt ſuppoſitum in divinitate, & humanitate ſubſiſtens, & ut talis, una realiter adoratione colendus.

Objic. Concil. & PP. docent Chriſti humanitatem eſſe una, eademque adoratione colendam cum Verbo, nec dici poſſe eam coadorari, ſed cum Verbo debetur ei latria; ergo &c. prob.conſ. nam ſi ratione humanitatis debetur ei tantum hyperdulia, & ratione Verbi debetur ei latria, coleretur duplici adoratione, & ipſa humanitas tantum coadoraretur, ſc. concomitanter; ergo &c.

[1] *Ibid. l. n. 12.*

Reſp.neg.conſ. & ant.prob.Nam Concilia,& PP.ſic loquuntur non in noſtra hypotheſi, ſed in opinione, ſeu errore Neſtorii, qui cum duas perſonas in Chriſto fingeret, divinam, & humanam morali tantum nexu unitas, duas illi adorationes inæquales debitas volebat, & contra talem errorem, ac fundamentum ejus docebant, quod ſicut una eſt in Chriſto perſona realiter, & phyſice: ita & una, eademque adoratio ei debetur, nempe latria, quia perſona eſt Divina.

QUÆSTIO III.

Qualis cultus debeatur imagini, & Cruci Chriſti, ac ſudariis, aliiſque reliquiis ejuſdem

CRux Chriſti, vel eſt illa, in qua ipſe pependit, & mortuus eſt, ac pretioſo ſuo ſanguine purpuravit, aut partes aliquæ ejus ſive in forma crucis, ſive in alia figura, vel aliæ ad figuram, & ſimilitudinem efformatæ in quacunque materia, & de utriſque procedit quæſtio: idem eſt de imaginibus, & ſudariis, & velo, quo pia mulier abſterſit ſudorem, & ſanguinem ex facie ejus, dum Cruce oneratus aſcendebat Calvarium, in quo remanſit impreſſa imago ejuſdem faciei, & ſimiliter in ſudariis, in quibus ſacrum ejus corpus involutum fuit in ſepulchro remanſit ejuſdem corporis impreſſa effigies, colore ſanguinis efformata, & ejuſdem ſecundum varia myſteria vitæ ejus multiplices a fidelibus depinguntur repræſentationes. Quæritur, quis cultus ſingulis debeatur.

CONCLUSIO I.

VEræ Cruci Chriſti, & cuilibet ejus particulæ debetur adoratio latriæ, ſed reſpective. Eſt communis contra plures hæreticos Vvicleffiſtas, Lutheranos, & Calviniſtas.

Prob.1.p.ex Conciliis, & PP. & perpetua praxi Eccleſiæ;nam in Conc.Generali VII.legitur hoc dictum Leontii: [1] *Magno, & inexplicabili amore erga eum, quo reſedit, ubi apparuit, quod tetigit, aut omnino obumbravit, tamquam Dei locum colimus, & adoramus,*

[1] *Act.24.dial.5.*

mus, non ipſam regionem, aut lapides venerantes, ſed eum, qui in illo converſatus eſt, & apparuit. Hoc facit 1. pro omnibus, quæ pertinent ad Chriſtum, pro Cruce, pro ſudariis, pro ſepulchro, pro præſepio. Et etiam facit 2. pro 2. parte, ſc. cultum illum eſſe relativum; & in eis adorari Chriſtum ipſum, non materialia illa ſigna, loca &c. Item in eadem Synodo definitur, [1] *honorem, & adorationem deferendam Typo venerandæ, & vivificantis Crucis Chriſti*, quanto magis ipſi veræ Cruci? & ratio id ſuadet: *utrumque enim ſignum eſt Chriſti crucifixi*.

Prob. 2. ex praxi Eccleſiæ, quæ duo feſta inſtituit in honorem hujus Crucis, ſcilicet propter inventionem ejus, & 2. propter exaltationem ejus. Et ut ſcribit S. Paulinus de quadam particula ejus, quæ aſſervabatur in Baſilica S. ſepulchri: [2] *Epiſcopus urbis ejus quotannis, cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe venerantium proponit*. Et Cyrillus Eremita, qui vivebat anno 530. ſcribit, quod cum Cæſarius Antiochenus veniſſet in Monaſterium, ubi particula veræ Crucis ſervabatur, petiit ab Abbate, [3] *ut liceret ſancta illa ligna adorare, & eorum exiguam aliquam partem accipere*.

Prob. 3. Nam Crux illa conſideratur in ordine ad Chriſtum Deum hominem, quem repræſentat morientem pro redemptione noſtra, ſed Chriſto in ea conſideratione debetur cultus latriæ; ergo & Cruci. prob. conſ. nam ſi Chriſtus ut homo, & Redemptor per mortem Crucis meretur cultum latriæ; Crux ipſa ponitur inter objecta terminantia talem adorationem.

Prob. 2. p. Nam Crux illa, ſicut & alia inſtrumenta paſſionis Chriſti, ac Redemptionis noſtræ ſunt ex hoc capite ſumme veneranda; ſed abſque relatione ad Deum, & Chriſtum non habent ullam dignitatem ſuper alias res ſimilis naturæ, & ceſſat omnis ratio adorationis, quam illis exhibemus; ergo illa adoratio eſt reſpectiva ad Chriſtum, a quo habet totam ſuam conſecrationem, & dignitatem.

Prob. 2. ex dictis de humanitate: nam ſi hæc conſi-

Y 2 de-

[1] *Act*. 7.
[2] *Epiſt*. 11.
[3] *vita S. Euthi*.

derata præciſe, & ſecundum ſe abſque ullo reſpectu ad Verbum, non eſt adoranda cultu latriæ, multo minus Crux, quæ longe minoris eſt dignitatis; ergo Crux abſque reſpectu ad Chriſtum non eſt adoranda.

Prob. 3. Nam tota ratio venerandi Crucem eſt vel ob contactum Corporis Chriſti, vel ob cooperationem cum ipſo ad opus redemptionis materialiter; ſed hæc motiva non ſufficiunt, ut debeatur ei cultus latriæ, quia per hæc nihil habet divinum in ſe; ergo &c.

Objic.con. 1.p.Crux quocumque modo conſiderata non eſt Deus, nec Chriſtus, nec repræſentat Deum, & ſoli Deo debetur latria; ergo non debetur ullo modo Cruci, quæ eſt pura creatura, & inſtrumentum ſupplicii. Prob. conſ. ſi ex aliquo reſpectu ad Deum, vel Chriſtum deberet Crux adorari, ita & omnia entia creata, quæ reſpicerentur in ordine ad Deum: ſunt enim creaturæ Dei, & oſtendunt, ac *enarrant gloriam Dei* &c. ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. ant. quoad utramque partem; nam ex praxi totius Eccleſię repręſentat nobis Chriſtum Dei filium conſummantem hominum redemptionem, & pro nobis in ea morientem. unde, inquit Damaſc. [1] *Pretioſum reipſa Crucis lignum, & venerandum, in quo ſemetipſum in ſacrificium pro nobis obtulit Chriſtus, tamquam ſancti corporis, & ſanguinis tactu ſanctificatum, merito eſt adorandum, necnon clavi, lancea, veſtes, & ſacra illius habitacula, ut ſunt præſepe, ſpelunca, golgotha, crux, vivificum ſepulchrum* &c.

Inſt. Etiam ſub his reſpectibus Crux nihil meruit, quia non eſt capax meriti, ſed eſt lignum inſenſibile; ergo nulla ei debetur adoratio.

Reſp. diſt. conſ. ſecundum ſe, con. ratione Chriſti, neg. conſ. quia repræſentat eum in ipſa pro nobis morientem, & per illam meruit nobis vitam æternam, ideo *adoramus omnes Crucem, & per ipſam illum, cuius eſt Crux*: ait Ruſticus Diaconus.[2]

Inſt. 2. Crux cum tali reſpectu non eſt orabilis, nec animata; ergo nec adoranda.

Reſp.

[1] 4. *Sid.* 12.
[2] *Dial. con. Aceph.*

Reſp.diſt.conſ.per ſe abſolute,con.ſimul cum Chriſto, quem ſic repræſentat, neg. conſ. nam Chriſtus eſt vere per ipſam orabilis, & adorabilis, ſicut per ipſam meruit, ut Deus Pater *exaltaverit illum, & donaverit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Objic.2. Crux vera fuit Chriſto inſtrumentum, & cauſa dolorum; ergo potius execranda eſt, quam adoranda.

Reſp.neg.conſ. quia ſicut dolores illi fuerunt Chriſto glorioſi, & ab eo libere amati, ita & Crux eorum inſtrumentum, quam ſimiliter amavit ut viam ad gloriam ſuam.

Inſt. ergo & Judæi pariter adorandi,quod eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. neg. ſubſumptum: quia licet malitia eorum nobis inde profuerit, & ipſi Chriſto, tamen per hanc malitiam peccarunt, & ex odio fecerunt, indeque ſunt execrandi.

CONCLUSIO II.

R*Eliquiæ omnes Chriſti Domini propriæ, aut externæ, & reſpective ad ipſum, eodem cultu adorandæ ſunt. Et idem eſt de lancea, & aliis inſtrumentis paſſionis*: Eſt contra eoſdem hæreticos.

Prob. 1. tota concl. quia de his omnibus eadem eſt ratio, ac de vera ejus Cruce, vel particulis ejus; ergo eodem modo ſunt adoranda, & de facto eodem cultu honorantur in Eccleſia. prob. ant. nam eodem modo, & ſub eodem motivo repræſentant Chriſtum, ut pro nobis patientem, & morientem, & ſanguine ejus, & contactu conſecrata, ut velum, ſudaria, in quibus ſepultus eſt, clavi, quibus affixus eſt Cruci, lancea, qua latus apertum eſt, ſingulæ ſpinæ coronæ, quibus caput ejus cruentatum eſt; columna, ad quam flagellatus eſt; ſpongia, qua fel, & acetum propinata ſunt; ſepulchrum, in quo quievit mortuus; præſepe, in quo repoſitus eſt naſcens; hæc, inquam, omnia eodem modo nobis Chriſtum in diverſis partibus paſſionis repræſentant; ergo eadem eſt ratio illa omnia venerandi.

Confir. ex loco cit. Damaſceni, ubi cum Cruce numerantur *clavi, lancea, veſtes* &c.

Prob. ſpecialiter de reliquiis internis, ſcilicet quæ fuerunt de integritate corporis ejus, ut præputium: guttæ ſanguinis, quæ alicubi habentur ſeorſim, aut quæ in ſudariis remanſerunt: nam iſtæ reliquiæ fuerunt aliquando unitæ Verbo cum toto corpore: ergo etiam abſolute, & ſecundum ſe ſpeciali cultu ſunt adorandæ: nam ex illa unione remanſit in eis non parva dignitas.

Prob. de reliquiis externis, id eſt clavis, ſudariis, veſtibus: nam iſta non habent quidem in ſe dignitatem intrinſecam, & abſolutam, præſcindendo ab omni reſpectu ad Chriſtum, ut præcedentes: ſed tamen reſpective ad Chriſtum debent adorari cum ipſo.

Confir. ex Damaſc. [1] *non materiam, ſed materiæ authorem adoro, qui propter me materia factus eſt, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi ſalutem præberet, materiam vero, per quam mihi ſalus facta eſt, non deſinam colere, non tamen ut Deum*; ergo iſtæ reliquiæ externæ de ſe, & præciſo reſpectu ad Chriſtum non exigunt adorationem, ne quidem hyperduliæ, bene vero cum illo reſpectu.

CONCLUSIO III.

Imagines Chriſti una cum ſuo exemplari, cum quo faciunt unum totale objectum, merito adorantur eadem latria: non autem ſeorſim, & ſine reſpectu ad ipſum Chriſtum. Eſt contra eoſdem hæreticos.

Prob. 1. ex Conc. Trident. ubi decernitur, [2] *Imagines Chriſti, & Deiparæ, & Sanctorum in templis habendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quod credatur in iis eſſe aliqua Divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum... ſed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræſentant, ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur*. Et id definitum docet in II. Synodo Nicæna contra Iconoclaſtas. Item in Conc. Rom. ſub Greg. III. & alio ſub Stephano: ergo in imaginibus Chriſti adoratur Chriſtus, non ipſæ imagines ſecundum ſe, & ſine

[1] *Ibid.* [2] *Seſſ. 25.*

ſine reſpectu ad ipſum; ſed prout unum totale objectum cum illo conſtituunt, eodem actu, & cultu ſunt adorandæ.

Prob. 2. quoad 1. p. nam ab initio Eccleſiæ, & perpetuo uſu uſque ad præſens templa omnia, locaque ſacra oratoria omnia ſolent ſacris imaginibus, Chriſti præcipue, ornari, & in ſumma veneratione haberi, ut ex hiſtoriis conſtat.

Confir. ex hiſtoria de imagine Chriſti ab ipſomet expreſſa, & miſſa ad Abagarum Regem. Nam, inquit Damaſc. [1] *cum Abagarus Edeſſæ Rex pictorem miſiſſet, ut Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob ſplendorem ex ejus vultu manantem conſequi potuiſſet, Dominum ipſum divinæ ſuæ, ac vivificæ faciei pallium admoviſſe, imaginemque ſuam ei impreſſiſſe, ſicque illud ad Abagarum, ut ipſius cupiditati ſatisfaceret, miſiſſe*. Et Evagrius addit hujus Sacræ imaginis veritatem ex miraculorum copia comprobatam fuiſſe.

Prob. 3. quia nihil in hoc cultu indecens apparet, ſed ſervata Eccleſiæ mente, ſanctiſſimus eſt, quod patebit ex vanitate prætextuum, quibus innituntur hæretici. [2]

Prob. 2. p. nam inquit Concil. Nicænum II. citatum; *imaginis honor in Prototypum refertur*. Et, *qui adorat imaginem, in ea quoque adorat deſcriptum argumentum*; ſed exemplar, nempe Chriſtus, adoratur latria; ergo & imago ejus cum hoc reſpectu.

Confir. ex PP. nam inquit Baſil. [3] *Quia Rex dicitur etiam imago Regis, & non duo Reges, nec enim imperium ſcinditur, nec gloria dividitur ... ſic etiam, & glorificatio a nobis una eſt, & non multæ, propterea quod imaginis honos ad exemplar tranſit*. Et Damaſc. narrans, quod Jacob accepta veſte Joſeph filii ſui, qui dicebatur devoratus a beſtia, [4] *veſtem oſculatus eſt, & lacrymis rigavit, non ipſam veſtem diligendo, aut honorando hoc fecit, ſed per eam arbitratus eſt ſe Joſephum oſculari, & in manibus habere: ſic etiam Chriſtiani omnes imaginem Chriſti, aut Apoſtoli, aut Martyris tenentes, & oſculantes animo videmur nobis ipſum, aut Martyrem amplecti*. Et Auguſt. [4] *ve-*

[1] 4. *fid.* 17. [2] 4. *hiſt.* 26. [3] *de Spir. S.* 18.
[4] *orat.* 3. [5] 3. *doct. chr.* 9.

neratur utile ſignum divinitus inſtitutum, cujus vim, ſignificationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videt, & tranſit, ſed illud potius, quo talia cuncta referenda ſunt, ſc. exemplar. Et ſic de aliis.

Idem eſt de imaginibus Crucis. Nam inquit Epiphanius relatus in III. Synodo. [1] *Cum divinam Crucis effigiem, & venerandas imagines amore, & deſiderio amplectimur, ad ipſum Prototypum reſpicimus.* Et clarius id dicit Leonius Epiſcopus, [2] *nos Crucis figuram adorantes, non ligni naturam adoramus, ſed velut ſigillum, & annulum, & characterem Chriſti illam intuentes, per hanc ſalutamus Deum, & adoramus, qui in illa ſuffixus eſt;* ergo ſine reſpectu ad exemplar non adoratur imago.

Prob. denique: nam in imagine præciſa conſideratione Prototypi, nihil eſt divinum, nihil ſanctum; ergo nihil cultu religioſo dignum.

Porro quod hic diximus de imagine Chriſti, ac reliquiis ejus, idem eſt cum proportione de imaginibus, & reliquiis B. V. Deiparæ, & Sanctorum: ſc. relative ad exemplaria, & non aliter eodem cultu veneranda ſunt, quo ipſa exemplaria, ſcilicet dulia, vel hyperdulia. Sed de hoc infra.

Objic. 1. ex Script. [3] *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem . . . . non adorabis ea, neque coles;* ergo prohibetur uſus, & cultus imaginum.

Reſp. neg. conſ. nam ibi prohibentur ſculptilia, & imagines falſorum Deorum: imo & forte ipſi populo judæorum, ut rudi, ac in idololatriam propenſo prohibebantur imagines, & ſimilitudines, ne illas, ut Deos, cultu ſcilicet abſoluto colerent, ſed nequidem omnes prorſus imagines prohibebantur in templo: nam ibi juſſu Dei erant figuræ duæ Cherubinorum ex auro, & in templo Salomonis erant (4) Cherubinorum, Boum, & Leonum figuræ &c. Item ex Evangelio (5) conſtat Judæos habuiſſe imagines Cæſaris, ſaltem in *numiſmate cenſus*.

Inſt. Saltem prohibebatur omnis cultus quarumcumque imaginum, vel operum manibus hominis factorum: ergo ſaltem imagines Chriſti, & Sanctorum non ſunt adorandæ.

Reſp.

[1] c.4. [2] *Apol.* [3] *Exod.* 20
[4] 3. *Reg.* 6. & 17. [5] *Matth.* 17.

Reſp. diſt.ant. cultus abſolutus, & qualis debetur Deo, con. cultus relativus, & omnis prorſus reverentia, neg. ant. & conſ. nam Judæi ipſi venerabantur arcam manufactam, & Cherubinos propitiatorii, non quidem propter ſe, ſed relative ad Deum.

Objic. 2. In Conciliis hic cultus prohibetur: ergo &c. Prob.ant. nam 1. in Concil. Eliberitano dicitur:(1) *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur.* 2. In aliis Conciliis idem cultus imaginum prohibetur, ut in Conſtantinopolitanis ſub Leone Iſaurico, & Copronimo III. & 3. in Epheſino III. 4. in Francofordienſi damnatur VII. Synodus, quia cultum imaginum præcipiebat: in quo etiam videtur reprobata ab Adriano Papa; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & ad prob. ejus dico 1. quod Conc. Eliberitanum potius nobis favet, dum indicat ſacras imagines ab initio fuiſſe in uſu apud fideles, picturas vero abſolute non vetat, ſed in parietibus, quia ibi facile delentur, & fœdantur, ideo dicit, *ne quod colitur, in parietibus depingatur,* non loquitur abſolute, & *exceptio firmat regulam in contrarium.* Tum quia inde non poſſunt moveri, & transferri, quando illa loca profanantur, ut ſæpe contingebat in illis temporibus perſecutionis Eccleſiæ per malitiam Paganorum, qui oratoria Chriſtianorum vertebant in ſtabula beſtiarum.

2. Concilia illa duo Conſtantinopolitana non faciunt fidem, quia ibi præſidebant Iconoclaſtæ tum Imperatores, tum Epiſcopi, & alii, contra quos reclamarunt Catholici omnes, qui aderant, & quia in 2. defuit legitima authoritas: *Quomodo magna, & univerſalis Synodus fuit*, dixit Joannes Cancellarius in 2. Nicæna, *quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præſules Eccleſiarum, ſed anathemati eam tranſmiſerunt: non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam* &c.

3. Quoad Epheſinum dicitur, idem fuiſſe cum prædicto Conſtantin. & ſic vocatum propter Theodoſium Epiſcopum Epheſinum, qui erat ibi inter Præſides, ut notat P. Fraſen. [2]

Y 5 4. De

[1] *c. placuit. Can. 36.*
[2] *p. 374. n. 25.*

4. De Francofordienſi multi multa; probabiliores dicunt Patres iſtius Concilii ideo damnaſſe Nicænum II. quia male informati de illius doctrina ex depravata illius traductione putarunt illud decreviſſe cultum latriæ, qualis Deo debetur exhibendum imaginibus. Alii credunt hunc Canonem non eſſe totius Concilii, ſed aliquot Epiſcoporum Iconoclaſtarum. Alii putant hoc Concilium nihil ſtatuiſſe contra Nicænum II. ſed contra ſupradictum Conſtant. ſub Copronimo, ut non obſcure indicant verba Canonis, *allata eſt quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt* &c. Alii putant hos PP. non damnaſſe doctrinam Conc. Niceni, ſed Conſtantini Cypri Epiſcopi errorem, quam falſo illi adſcribebant, & in acta Conc. inſertus legebatur, ut notat P. Porter. (1) Alii denique putant illum Canonem falſo inſertum inter acta illius Concilii, quod gravibus conjecturis probant Pater Fraſſen cit. & Cabaſſutius.

Objic. 3. ex PP. Hieron. inquit, *Cultores Dei ſtatuam, aut imaginem adorare non debent*. Et Auguſt. arguit *ſepulchrorum, & picturarum adulatores*. Et Greg. ſcribens de Sereno Epiſcopo Maſſilienſi, *qui quoſdam adoratores imaginum aſpiciens, eaſdem confregit, atque projecit*: ſic Papa circa hoc factum mentem ſuam declarat: *zelum nos, ne quid manufactum adorari poſſit, habuiſſe laudamus; ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus; idcirco enim pictura Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videnda legant, quæ in codicibus legere non valent* &c. ergo de mente PP. imagines non proponuntur ut colendæ, ſed ut ſigna rememorativa rerum divinarum.

Reſp. neg. conſ. nam Hieron. loquitur de imaginibus Regum viventium, qualis erat ſtatua Nabuchodonoſoris. Eodem ſenſu loquitur Auguſt. invehitur ibi contra *turbas imperitorum, qui vel in ipſa religione ſuperſtitioſi ſunt, qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibebant* &c. Non ergo loquitur de ſepulchris, vel imaginibus ſacris, nec de cultu earum moderato, & pio; ſed de prophanis ſuperſtitionibus. Gregor. etiam prohibet tantum illis exhibere cultum latriæ, qualis de-

[1] *notit. Eccle. p. 314. n. 2.*

debetur ſoli Deo, & qualem exhibent gentiles ſuis idolis, quæ colunt ut Deos, ut alibi docet; nam loquens de imagine Chriſti dicit, *nos quidem, non quaſi ante divinitatem, ante illam proſternimur; ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem adoramus.*

Objic. 4. Non licet depingere imaginem Chriſti; ergo nec adorare. Prob. ant. qui pingit Chriſtum, repræſentat ſolum humanitatem, & ſic ſeparat ab ea divinitatem; quia hæc irrepræſentabilis eſt.

Reſp. neg. utrumque ant. nam ſicut homo pingitur, quamvis ejus anima ſit ſpiritualis, quia pingitur ut vivus, ſic & Chriſtus pingitur, ut totus, qualis eſt, ſc. cum divinitate, & humanitate concipiatur, concurrente fide.

Colligis ergo, quid dicendum de reliquiis, & imaginibus Deiparæ, & Sanctorum; nam ſicut ille cultus eſt relativus ad eos, quos repræſentat, ita & eodem cultu tam reliquiæ, quam imagines colendæ ſunt, quo illi, quos repræſentant, ſcilicet duliæ, aut hyperduliæ, ſi eis debeantur, de quo videndum eſt.

QUÆSTIO IV.

An, & qualiter B. V. Angeli, & alii Sancti ſint colendi.

Non amplius de reliquiis, & imaginibus; ſed de ipſis exemplaribus, & prototypis loquimur, de quibus, quæ dixerimus, patebunt, quæ dicenda ſunt determinate de illorum reliquiis, & imaginibus.

Quoad B. V. certum eſt ſingularem illius dignitatem, & ſanctitatem, & per conſequens adorabilitatem: 1. quia longe intimius, & honorabilius pertinet ad Chriſtum, quam Crux ejus, aut veſtes, aut quidquam aliud quoad contactum, quippe illius manibus, & brachiis geſtatas. 2. quia non per ſimplicem contactum illi unitur, ſed per veram conſanguinitatem; quia ille ex ejus ſanguine, & carne formatus eſt, & ejus lacte nutritus, ita ut ſit vera ejus Mater, & Parens. 3. quia, ut vidimus ejus, maternitas eſt vere

divina, quatenus filius ejus, quem genuit, eſt verus Deus, & filius Dei, non autem purus homo. Ideo quæritur, an debeatur ei cultus latriæ, ſicut diximus de Cruce, & humanitate Chriſti.

Quoad Angelos, & Sanctos non eadem eſt ratio; nam licet conſiderentur, ut ſervi, ut amici, & domeſtici Dei, imo & filii adoptivi; tamen hæ pertinentiæ, & affinitates ſunt minus phyſicæ; tamen de illis etiam quæritur, an aliquis eis debeatur cultus, & qualis ille ſit.

CONCLUSIO I.

Beatiſſimæ Virgini Deiparæ debetur cultus hyperduliæ: ſcilicet minor eo, qui debetur Deo, & major eo, qui debetur reliquis omnibus puris creaturis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Decreto Martini I. præcipientis ſub pœna anathematis, *Beatam Virginem Dei Matrem ſuper omnem creaturam humanam abſque eo, qui ex ea genitus eſt, venerandam, honorandam, & adorandam;* ſed talis cultus dicitur hyperduliæ; ergo &c.

Prob. 2. Nam cultus menſuratur ex dignitate, & ſanctitate; ſed dignitas, & ſanctitas Mariæ longe præcellit dignitatem, & ſanctitatem omnis puræ creaturæ; ergo & ſuper omnem puram creaturam coli debet; ergo & cultu hyperduliæ; nam is dicitur cultus ille ſingularis, qui exhibetur tali creaturæ, ſeu dignitati, & ſanctitati; prob. min. ex conſenſu omnium PP. & fidelium, & totius Eccleſiæ, quod longum, ſed facile eſſet probare ex elogiis, quibus prædicatur a SS. PP. & Scriptoribus omnibus catholicis. Sufficit, quod dicatur *templum Domini*, *ſacrarium Spiritus S. Mater Chriſti*, *divinæ gratiæ*, *Regina Angelorum*, *Patriarcharum* &c. Nam ſi hæc illi conveniant; ergo & cultus proportionatus tali dignitati, & tantis titulis.

Objic. 1. B. V. majorem, & intimiorem habet relationem ad Chriſtum Deum, quam Crux ejus; ſed hæc adoratur cultu latriæ; ergo a fortiori Maria; prob. maj. nam hujus relatio eſt maternitatis ad filium; ergo &c.

Reſp. diſt. min. adoratur cultu latriæ relative, con. abſc-

abſolute, neg. min. nam ſicut Maria non adoratur præciſe, ut repræſentans Chriſtum, ſed poſitive ob excellentiam, & ſanctitatem, quæ in ipſa eſt, & quæ eſt quid creatum, & ſub Deo; ſic cultus ejus dicitur hyperduliæ, ut inferior cultu, qui exhibetur Chriſto, & ſuperior aliis; cultus vero Crucis eſt pure relativus.

Inſt. Tam B. V. quam Crux, vel imagines Chriſti, poteſt conſiderari, ut pertinens ad Chriſtum Deum: nam eſt vere Mater Dei; ergo tam poteſt adorari per latriam.

Reſp. neg. conſ. Nam Crux, vel imagines nullam aliam habent dignitatem, præter relativam ad Chriſtum; ideo non debent adorari alia adoratione, quam quæ Chriſto debetur; non ita eſt de Beata Virgine, quæ in ſe habet propriam dignitatem, & ſanctitatem præter illam, qua refertur ad Chriſtum, ideo meretur etiam cultum abſolutum, qui eſt inferior divino.

Objic. 2. Honor matris redundat in filium; ergo ſicut adorandus eſt filius, ita & mater.

Reſp. diſt. ant. in filium, & ſimul in matrem ipſam, ſi ipſa eſt digna honore, conc. totaliter, ita ut nulla terminetur ad matrem, neg. antec. Si mater habet in ſe aliquod meritum, & ſanctitatem, ita & honor ad ipſam terminatur, & non in filium totaliter; non ita eſt de Cruce, aut imagine, aut de matre peccatrice, & indigna.

Objic. 3. Sicut nulla eſt proportio dignitatis, & ſanctitatis Mariæ cum Angelis, & Sanctis, ita nec cultus, & honoris ei debiti; ſed Angelis, & Sanctis debetur cultus inferior divino, ſc. duliæ; ergo debetur Virgini cultus divinus.

Reſp. neg. maj. Nam quantumcumque creſcant merita, & dotes Deiparæ ſuper Angelos, & Sanctos, non extrahunt eam ab ordine creaturæ, nec ſunt infinita; exigunt quidem honores ordinis quaſi medii ſub Deo, & ſuper omnes puras creaturas, ſed non divinos.

CON-

CONCLUSIO III.

Angelis, & Sanctis debetur cultus ſacer duliæ, non altior. Eſt communis, & de fide contra Lutheranos, & Calviniſtas, & antiquiores aliquos hæreticos.

Prob. 1. p. 1. ex Conciliis citatis quæſt. præcedenti pro ſacris imaginibus, & maxime ex Tridentino, (1] ubi decernitur, quod *juxta uſum Eccleſiæ Catholicæ perpetuum, & SS. PP. conſenſionem, & SS. Concilii Decreta debent doceri fideles de SS. interceſſione, invocatione, & reliquiarum honore, & legitimo imaginum uſu*, &c. ergo SS. non ſolum in ſe, & cultu abſoluto, & immediato, ſed etiam relativo, & mediato, ſc. in ſuis reliquiis, & imaginibus ſunt colendi, & ſi in ſuis reliquiis, & imaginibus, a fortiori in ſeipſis.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, Angelos a Patriarchis adoratos. ſic Abraham, & Loth, *Gen.* 18. & 19. & *Joſue* 5. ita etiam de SS. Prophetis legimus, eos fuiſſe adoratos etiam viventes ob inſignem ſanctitatem. Abdias adorat Eliam, 3. *Reg.* 18. Filii Prophetarum Eliſæum, 4. *Reg.* 2. Danielem Nabuchodonoſor, *Dan.* 2.

Confir. 1. ex miraculis, & gratiis, quæ Deus operatur, & concedit iis, qui honorant, & invocant Sanctos ſuos. 2. ex perpetuo uſu Eccleſiæ: nam inquit Euſebius Alex. [2] *Ob hanc cauſam præcepit nobis Deus memorias Sanctorum celebrare, ut acceptis hymnis, & auditis laudibus, benignum Deum exorent*, &c. Et alter Euſebius Cæſar. [3] *Nos quotidie id factitamus: nam veræ pietatis milites, ut Dei amiciſſimos veneramur*. 3. ex aliis SS. PP. Nam inquit Ambroſ. [4] *Cum Deus omnipotens ad Sanctos ſuos dicat: Qui vos honorat, me honorat, qui vos ſpernit, me ſpernit, qui honorat martyres, Chriſtum honorat*. Et Cyrillus, (5] *Sanctos martyres neque Deos dicimus, neque ſic adoramus .... neceſſarium dicimus eos, qui tam claris operibus glorioſi ſunt, perpetuis honorari laudibus*. Et Auguſt. [6) *Populus chriſtianus me-*

mo-

[1] *ſeſſ.* 25. (2] *hom. de SS. col.*
[3] *præpar. Euang. l.* 13. *c.* 7. [4] *ſer.* 6.
[5] *l.* 6. *cont. Jul.* (6) 2. *cont. Fauſt.* 21.

morias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat.

Prob. denique. Nam cultus ſacer reſpicit eos, in quibus eſt ſanctitas, dignitas, & excellentia ſingularis, & longe ſuperior nobis; ſed hæc omnia ſunt in Angelis, & Sanctis; ergo eis debetur cultus ſacer. Min. patet: nam illi mortui ſunt in charitate, regnant in cœlis cum Deo, illos ſuſcepit Chriſtus in regno ſuo, ut ſocios, & amicos, & cohæredes, &c. ergo, &c.

Prob. 2. p. Nam 1. non debetur eis cultus *latriæ*, quia non ſunt Dii, ſaltem vere, & proprie. *Soli autem divinæ naturæ ſecundum fidem debetur* (latria] *non autem Sanctis*, inquit Concil. Nicęn. cit. 2. nec hyperduliæ: nam in eis non eſt plenitudo gratiæ, aut ſanctitatis; id ſoli Mariæ reſervatur inter omnes puras creaturas, ſicut & maternitas divina. Unde *ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quam cæteris omnibus Sanctis, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*; ergo Angelis, & Sanctis non debetur niſi cultus duliæ.

Objic. 1. cont. 1. par. ex Script. Mardochæus [1] noluit adorare Aman, ne quidem cultu civili; *Quia*, inquit, *timui, ne honorem Domini transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo*; ergo multo minus debetur adoratio ſacra ulli creaturæ. 2. Petrus noluit adorari a Cornelio, [2] nec Angelus a Joanne. [3] Et Apoſt. [4] videtur prohibere cultum Angelorum. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum*: ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nec enim id ſequitur ex illis textibus, & hiſtoriis Scripturæ. 1. Aman forte voluit adorationem latriæ, ſeu divinam, & merito eam negavit Mardochæus: nam de reverentia civili dicebat ipſe, *Libenter pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus eſſem*. 2. Similiter Cornelius, qui adhuc gentilis erat, volebat adorare Petrum, velut aliquem Deum; & legitur de Lycaonibus, qui Paulum, & Barnabam ut Deos adorare volebant. Vel potius dicendum, quod Petrus honorem, & reverentiam profundiorem ex modeſtia, & humilitate recu-

[1] *Eſther*. 3. [2] *Act*. 10.
[3] *Apoc*. 19. (4) *Coloſſ*. 2.

recuſavit. 4. forte etiam Joannes, putans Angelum eſſe Deum, voluit eum adorare cultu latriæ, quod prohibuit Angelus, dicens ſe non eſſe, niſi *conſervum ejus*. 5. Denique Apoſtolus ibi prohibet cultum ſuperſtitioſum Angelorum, quos ſemideos aliqui dicebant. Alii Chriſto eos præferebant, quod damnatum eſt in Concilio Laodiceno.

Objic. 2. In Scriptura non præcipitur ille cultus Angelorum, vel Sanctorum; ergo non debetur, quia, ceſſante præcepto poſitivo divino, ceſſat obligatio.

Reſp. neg. conſ. quia ſufficit præceptum ex traditione perpetua Eccleſiæ Catholicæ in Conciliis Oecumenicis, & aliis, & in uſu, & conſuetudine.

Objic. 3. Nulla eſt tantum proteſtatio dependentiæ, & ſubjectionis in adorante, & dominii, & ſuperioritatis in adorato; ſed hæc non reperiuntur in nobis reſpectu Sanctorum; ergo illis non debetur cultus duliæ. Prob. min. Nam Sancti ſunt creaturæ Dei, & conſervi ejus, ſicut & nos.

Reſp. neg. maj. Eſt enim etiam proteſtatio *inferioritatis* in gratia, virtute, perfectione, & poteſtate ſpirituali coram Deo, in quibus Angeli, & Sancti longe nos ſuperant. Sicut in politia humana miniſtri, primates, & aulici Regum ſolent honorari a cæteris ſubditis. Sic in regno Chriſti, & politia ejus ſpirituali B. Virgo, ut Regina, & Mater, & inter ſubditos prima ſingulariter; tum Angeli, & Sancti ſunt velut aulici, & magnates dilectiſſimi.

Nota tamen, quod cum utimur nomine *adorationis* erga Angelos, & homines, & ipſam Dei genitricem, non loquimur in illo rigore, quo ſignificat ſupremum illum cultum latriæ, quæ eſt ſuprema ſpecies adorationis, & ſoli Deo debetur, ſed in lata, & generica ſignificatione pro quolibet cultu religioſo, & ſacro, qui deinde ſubdividitur in *latriam*, *duliam*, & *hyperduliam*, ut diximus.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De invocatione, reliquiis, & imaginibus Sanctorum.

Reliquiæ Sanctorum, ut diximus de Chriſto, aliæ ſunt *internæ*, illæ ſcilicet, quæ olim fuerunt partes, aut particulæ corporum, & aliquo modo intrinſece unitæ corporibus, & animabus, mediate, aut immediate, (quod dico propter ſanguinem, & alios humores] Aliæ *externæ*, ut veſtes, ſudaria, vela, ſepulchra, & inſtrumenta cruciatuum, & martyrii, quæ veneramur propter ſpecialem contactum, & pertinentiam ad eoſdem, aut quia tincta ſunt eorum ſanguine, vel eorum pœnitentiæ, mortificationis, & virtutum, & miraculorum operibus inſervierunt.

De imaginibus eorum nihil videtur dicendum amplius, ſuppoſitis, quæ diximus de imaginibus Chriſti: nam ſicut in iſtis non agnovimus niſi adorabilitatem relativam, & proportionatam adorationibus, quæ Chriſto debentur, ita eſt de imaginibus Sanctorum. Unde ſicut imaginibus Chriſti debemus cultum latriæ relativæ, ita & imaginibus B.V. Mariæ debetur cultus hyperduliæ, & imaginibus Sanctorum cultus duliæ etiam relativæ: nec placet hic diutius immorari, quia ſunt eædem rationes, & difficultates, quæ jam ſolutæ ſunt ſupra, ubi de imaginibus Chriſti.

Idem dicendum eſt de reliquiis, etiam proportione ſervata. Sed quia in nos invehuntur, & oblatrant acrius hæretici propter venerationem, quam exhibemus reliquiis Sanctorum, aliqua ſpecialiter de illis addenda ſunt.

Hic autem habemus adverſarios, præter veteres Iconoclaſtas, *Vigilantium*, qui Catholicos vocat *Cinerarios*, & *idololatras*, propter cinerum Sanctorum venerationem: *Fauſtum Manichæum*, qui nos dicebat idola in Martyres convertere: *Uvicleffiſtas*, & *Lutheranos*, qui reliquias vocant *ſeductiones fidelium*, & *Calviniſtas*, qui in has Sanctorum pretioſas exuvias dæmoniaca rabie deſævierunt.

Iidem impugnarunt Sanctorum invocationem: nam

inquit Vigilantius: *Dum vivimus, pro nobis orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda eſt oratio*. Et Wicleffus, *Stultum eſſe*, dicebat, *Chriſtum puriorem fontem relinqui, & ad rivos turbidos accedere*. Sic vocat Sanctos. Lutherus vero dicit: *Divi Petri merita ne ſe quidem redimere potuerunt; quomodo autem mihi auxiliarentur, cum neque ſibi ipſi opem tulerint?* Calvinus denique invocationem hanc vocat *novitatem, ſuperſtitionem, horrendum ſacrilegium, ſtoliditatem, furorem, profanationem interceſſionis Chriſti, natum ex diffidentia Chriſti*. Hæc præter morem narrare viſum eſt, ut ſtudioſius his erroribus confutandis incumbatur.

CONCLUSIO I.

S*Anctorum reliquiis debetur cultus duliæ, ſicut & imaginibus, & quidem duliæ relativæ*. Eſt communis contra prædictos hæreticos.

Prob. 1. ex cit. Decreto Conc. Trid. [1] ubi decernitur, quod *primævis Chriſtianæ religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum conſenſionem, & ſanctorum Conciliorum Decreta, inprimis de Sanctorum invocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum uſu fideles diligenter inſtruant, docentes*, &c. Vides, quod alia Concilia citat pro hac veritate. Et revera ita docent Concilia plurima, ut Braccarenſe can. ult. VI. Synodus act. 7. Carthagin. V. can. 14. Braccarenſe III. can. 5. Moguntin. cap. 31. Lateran. ſub Innocentio III. cap. 62. &c. Pudeat igitur hæreticos tot Conciliis aſſertam veritatem impugnare.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, oſſa, & reliquias Patriarcharum tractata fuiſſe cum magna veneratione. Joſeph (2) præcipit reliquias patris ſui Jacob aromatibus condiri, & curavit ea deferri in terram Canaam in ſepulcrum paternum, ut ipſe Jacob petierat. Idem præcepit ipſe Joſeph (3) de ſuis oſſibus; & de illis dicit Sapiens, [4] quod *oſſa ejus viſitata ſunt*: & de iiſdem dicitur, [5] quod *poſt mortem prophetarunt*. Et quod duodecim Prophetarũ oſſa *pullulant de loco ſuo*, qua-

[1] *ſeſſ. 15. de ſanctor. invocat.*
[2] *Gen. 50.* [3] *Gen. 23.*
[4] *Eccl. 49.* [5] *ibid.*

quatenus ſcilicet vivunt in memoria hominum per miracula, & odorem virtutum, quibus floruerunt viventes. Item legimus, [1] quod corpus mortuum in ſepulchro Eliſei revixit. Et cum Joſias juſſiſſet oſſa pſeudoprophetarum exhumari, & comburi, ſepulchrum ejuſdem Eliſei reliquit intactum; ergo ex veteri teſtamento conſtat, venerationem exhibitam fuiſſe reliquiis Sanctorum.

Confirm. ex novo teſtamento. Nam de ſepulchro Chriſti verificatur illud Iſaiæ: [2] *Erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Nam ex toto terrarum orbe accurrunt fideles ad illud venerandum, ut notat S. Hieronymus. Item in Euangelio legitur, quod mulier ſanata eſt tangendo fimbriam veſtis Chriſti. Et in Actis, quod *populi adducebant in lectulis, & grabatis infirmos, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum.* Unde ait Auguſt. [3] *Si tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quanto magis catena vincientis?* Et de S. Paulo dicitur, [4] *Ita ut ſuper languidos deferrentur, & ab eis egrediebatur ſpiritus nequam.*

Prob. 1. ex SS. Patribus, ac perpetuo uſu Eccleſiæ, ut docent Patres Concilii Tridentini citati, & Cyrillus Jeroſolym. [5] loquens de duobus mortuis ab Eliſæo reſuſcitatis, ait: *Vivus reſurrectionem effecit per animam ſuam; ſed ut non ſolum animæ honorentur, verum etiam credatur vim quandam ineſſe juſtorum corporibus, qui in Eliſæi ſepulchrum projectus erat mortuus, ubi mortuum Prophetæ corpus attigit, vivificatus eſt.* Et S. Baſilius: *Quiſquis oſſa Martyrum attingit, nonnullam ſanctificationis communionem percipit ex ea gratia, quæ corpori illius inſidet.* &c. Et ſic de aliis, quos longum eſſet recenſere.

Confir. ex innumeris, & quotidianis experientiis gratiarum, & miraculorum, quæ Deus operatur ad ſepulchra, & coram reliquiis Sanctorum.

Prob. denique. Nam corpora Sanctorum fuerunt animabus eorum organa, & inſtrumenta ad opera pietatis, & Spiritui Sancto ad miracula, & mundo in ædificationem, & ad beneficia a Deo impetranda, & erunt animabus ipſis conſortia beatitudinis: uno verbo

[1] 3. *Reg.* 13. [2] *Iſa.* 11. [3] *ſer.* 29. *de SS.*
[4] *Act.* 19. [5] *Catech.* 18.

bo intime pertinent ad Sanctos, qui in eis honorantur; ergo non mirum, quod ſpecialiter intercedant pro illis, qui reliquias eorum honorant, & quod Deus gratias largiatur fidelibus intuitu talis cultus.

Prob. 2. p. 1. quia, ut jam diximus de imaginibus, & reliquiis Christi: *Omnia, quæ Deo dedicata, & conſecrata ſunt, ita adoramus, ut cultum, ac venerationem ad eum referamus*, ait Damaſc.[1] ergo ita eſt de reliquiis Sanctorum, debet referri ad illos, & ad Deum.

Prob. 2. Nam illi cineres, oſſa, ſepulchra, veſtes, & ſimiles Sanctorum exuviæ ſunt res inanimes, & incapaces in ſe, & per ſe ullius ſenſus honoris, vel contemptus; ergo præcipuus honor, & cultus, qui eis defertur, reſpicit ipſos Sanctos, ad quos pertinet, & ad quos dirigimus preces noſtras; imo & ultimate reſpicit Deum ipſum, quem in ſervis ejus colimus.

Dico *præcipuus*: nam illa exigunt etiam ſecundum ſe magnam reverentiam. Sunt enim res ſacræ, ac venerandæ, ſicut imagines regum, & alia ad eos pertinentia; ergo debent cum ſpeciali reverentia tractari.

Hinc autem patet, quam turpiter errent hæretici, qui putant nos imagines, & reliquias iſtas invocare, & nos adeo ſtolidos æſtimant, ut dirigamus cultum, & orationes noſtras ad cineres, ad oſſa arida, denique ad res prorſus ſecundum ſe inanimes.

Objectiones, quas faciunt contra imagines, ſolutæ ſunt, ubi de imaginibus Christi.

Objic. 1. contra reliquias ex Script. Nam de corpore Moyſis [2] conſtat illud poſt mortem, & ſepulturam diſparuiſſe, ne coleretur a Judæis ſuperſtitioni inclinatis. *Non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem*. Et altercatio Michaelis *cum diabolo de Moyſi corpore*, de qua ſcribit S. Judas, *Ideo fuit, quia Angelus volebat corpus illud abſcondi, ne peccarent Judæi adorando illud, diabolus vero e contra volebat illud manifeſtari, ut eſſet eis occaſio peccandi*; ergo reliquiarum cultus eſt a diabolo.

Reſp. 1. Turpiter errare Calvinum. Nam, quod Deus voluerit corpus Moyſi ſepeliri per illum principem Angelorum, apparet quanti faciat ſervorum ſuorum

[1] 4. *de fid.* 8. [2] *Deuter. ult.*

ſuorum reliquias; & hic honor excitavit invidiam diaboli, quem in hoc imitantur hæretici, dum nolunt nos eas venerari.

Reſp. 2. neg. conſ. Potuit quidem fieri, ut hæc altercatio Michaelis, & Sathanæ veniret ex intentione oppoſita, ſed hoc non faveret hæreticis: nam populus ille rudis, & pronus ad idololatriam potuiſſet adorare reliquias Moyſis, ſcilicet cultu latriæ abſolutæ; ſed non adeſt illud periculum apud nos, qui non colimus Sanctos, niſi cultu duliæ, & quidem relativæ quoad reliquias, & imagines eorum.

Objic. 2. Chriſtus ipſe arguit Judæos propter honorem, quem deferunt ſepulchris Prophetarum; ergo ille cultus prohibetur. Prob. ant. Dicit enim Chriſtus: [1] *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, & patres veſtri occiderunt eos: vos autem ædificatis eorum ſepulchra, ideo conſentitis operibus eorum*; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. Non enim vetat Chriſtus ædificari, vel ornari ſepulchra Sanctorum, ſed animum, quo id faciebant Judæi, ſcilicet per hypocriſim; quia ſic per opera illa pietatis exterioris volebant videri pii, & religioſi, & meliores Patribus ſuis, ſed intus eodem animo erant, quo Patres eorum, qui occidebant Prophetas. Quod patet ex textu Matthæi, (1) ubi dicuntur hypocritæ. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis monumenta Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, & dicitis: ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum*. Vides eos argui eo, quod voluut videri meliores Patribus ſuis, cum ſint iniquitatis eorum participes, & pejores.

Confir. ex S. Chryſoſt. (3) dicente eos ſic argui, *Non quia ædificant, nec quia Patres ſuos accuſant, væ illis dixit, ſed quia ita facientes, & ita dicentes, Patres ſuos condemnare ſimulabant, cum ipſi pejora committerent. Nam quod ſimulatione Patres reprehenderent, Lucas ſubaperit dicens, quod conſentitis, quia ædificatis*. Imo addit, quod id faciebant, non *ut honorarent occiſos, ſed ut cæde illorum vires ſuorum* (parentum) *oſtenderent timentes, ne ſi vetuſtate ſepulchra caderent, tanti facinoris, & audaciæ memoria caderet*,

[1] *Luc*. 11. [2] *Matth*. 23. [3] *ibid. hom*. 75.

ret, &c. ergo ex conſenſu in ſcelera parentum id faciebant, non ex juſtitia, vel pietate.

Inſt. D. Paulus (1) improbat talem cultum, quem vocat humilitatem, & religionem Angelorum, & ſeductionem, dicens: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans;* ergo hic cultus malus eſt.

Reſp. neg. ant. nec enim id cogitavit Apoſtolus, ſed prohibet adorari Angelos ut Deos, ut quidam Philoſophi eos colebant, ut dicebamus ſupra, & ut notant interpretes.

Objic. 3. ex Concil. Eliberit. [2] *Prohibetur cereos in cœmeterio accendi, quia*, inquit, *inquietandi non ſunt ſpiritus Sanctorum*. Et ideo ab hac ſuperſtitione ſe defendit S. Hieronymus, dicens: *Cereos clara luce non accendimus, ſicut fruſtra calumniaris*, &c. (ſic loquitur ad Vigilantium) *ſed ut nobis tenebras, hoc ſoluto, imperemus, & vigilemus ad lumen .... quod ſi aliqui propter imperitiam, vel ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certe religioſarum fœminarum, quæ zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam faciunt, quid inde perdis?* ergo Concil. & S. Hieron. hoc tribuunt ſuperſtitioni.

Reſp. neg. conſeq. Nec enim id ſomniarunt Patres Concilii, neque Hieronymus. Illi prohibent Chriſtianis, qui inter infideles vivunt, ne cereos in cœmeteriis accendant, ne favere viderentur eorum erroribus, qui putabant mortuorum animas in cœmeteriis degere, & ideo cereis, & cibis indigere contra famem, & tenebras. Hieronymus vero potius approbat Catholicorum morem, qui ſic colunt Martyres, & concludit, Vigilantium nihil hinc habere, quod arguat, modo id non fiat ex ſuperſtitione gentilium; & addit, quod in Eccleſiis *ad Evangelii lectionem ſolent deferri lumina pleno die, non ad fugandas tenebras, ſed in ſignum lætitiæ*. Et ita fit in ſepulchris.

Inſt. Eadem eſt ratio hæc prohibendi populis, quam illi Patres habebant; quia etiam nunc hic cultus inducit Chriſtianos ipſos ad ſuperſtitionem; ergo etiam illi cultus ſunt illiciti. Prob. ant. nam quamvis id liceat circa reliquias, & ſepulchra Martyrum, tamen id poſſet fieri circa reliquias & ſepulchra damnatorum;

[1] *Coloſſ. 4.* [2] *can. 4.*

rum; unde manavit proverbium, quod *multorum oſſa*, & *corpora adorantur in terris*, *quorum animæ cremantur in infernis*; ergo etiam nunc illæ ceremoniæ ſunt illicitæ, & damnandæ.

Reſp.neg. utrumque antec. Nam hodie ſtricte prohibet, & cavet Eccleſia, ne cultus ullus exterior exhibeatur mortuis, aut eorum reliquiis, niſi poſtquam per miracula, & alia ſigna certiſſima conſtat de illorum ſanctitate, & venerabilitate, deque reliquiarum veritate: & licet errari poſſet circa reliquias, nihil tamen inde mali, quia cum cultus earum ſit relativus in Sanctos, vel Deum ipſum, error non eſſet niſi materialis, & Sancti, & Deus ipſe ſemper in eis coluntur.

CONCLUSIO II.

INvocatio Sanctorum eſt actus bonus, & religioſus. Eſt etiam de fide contra eoſdem hæreticos.

Prob.1.ex Script. Nam Jacob [1] orabat, ut *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum: nomina quoque Patrum meorum Iſaac, & Abraham*; ergo Jacob putat invocationem nominis ſui, & Patrum ſuorum, & Angeli ſui eſſe licitam, & ſalutarem. Sic Eliphaz [2] monet Job: *Ad aliquem Sanctorum convertere*. Et loquens de peccatore, ait: *Si fuerit Angelus loquens pro eo unus de millibus, ut annuntiet viri æquitatem, miſerebitur ejus, & dicet, libera eum*, ſc. putat Angelos intercedere, & adjuvare mortales. Et Deus ipſe ad Jeremiam dicit: [3] *Stetit Moyſes, & Samuel coram me: non eſt anima mea ad populum iſtum*, ſcil. illi orabant pro populo, qui non placebat Deo, nec pro tunc flectebatur precibus eorum. Et S. Petrus ſcribit [4] ſe oraturum poſt mortem. *Dabo operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis*; ergo Sancti etiam poſt mortem curant de nobis, & intercedunt apud Deum; ergo recte invocantur.

Confir. Nam invocantur juſti adhuc viventes: ergo & mortui: non enim minus valent iſtorum preces apud

[1] *Gen*.48. [2] *Job*.5.
[3] *Jerem*.5. [4] 2.*Pet*.1.

pud Deum, cum quo regnant in gloria pleni meritis. nec minori ſervent in nos charitate, quæ eſt conſummata. Prob. ant. ex Apoſtolo, [1] qui ſe commendat orationibus Theſſalonicenſium. *Fratres orate pro nobis*. Et ipſe orat pro eis. Idem ſcribit ad Philemon. & a d Hebreos. Hoc argumento utitur S. Hieronymus contra Vigilantium. *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, poſſumus mutuo pro nobis orare; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio .... ſi Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſollicíti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* Et poſt aliquot exempla, ver.gr. Moyſis, & Stephani, concludit: *Denique Sancti non appellantur mortui, ſed viventes*.

Prob.2.ex Conciliis. Nam in VI. Synodo [1] approbatur Epiſtola Taraſii ſcribentis, quod *poſcimus intercesſionem intemeratæ Dominæ noſtræ Sanctæ Deiparæ, & omnium Sanctorum*. Item ex ejuſdem fidei confeſſione, qua dicit, *Obſecramus interceſſionem ſanctiſſimæ Mariæ, Sanctorumque Angelorum, Prophetarum*, &c. Et in Chalcedonenſi clamarunt Patres, *Flavianus poſt mortem vivit Martyr, pro nobis orat*. Et Trid. cit.[2] definit: *Bonum, & utile eſt Sanctos invocare*. Et damnat docentes contrarium.

Prob.3. ex Sanctis Patribus. Nam inquit Origenes, *Sancti habent ſenſum eorum, qui Dei benevolentia digni ſunt .....ſed etiam omnibus opitulantur, qui ſummum colere Deum cupiunt ...... & cum eis communiter Deum precantur*. Et ipſemet orat: *O Beate Job, ora pro nobis*. Et alibi: *O Sancti Dei, vos lacrymis, fletu, dolore pleno deprecor, ut procidatis miſericordiis ejus pro me miſero ... Hæc mi Pater Abraham precare pro me*. Et S. Baſil.de 40. Martyribus, *Quantum laborares, ut unum invenires, qui pro te Dominum rogaret? Ecce quadraginta ſunt concordem effundentes orationem. O communes cuſtodes generis humani, boni curarum principes, orationis adjutores!* Et Auguſt. pluribus ſermonibus id probat de S. Stephano, ſer.51. de diverſis. Et ſer.94.& 96.& 99. & lib.de cura pro mortuis ait. *Omnipotens, qui eſt ubique præſens, nec concretus nobis, nec remotus nobis, exaudiens Martyrum pre-*

[1] Theſſ.5. [2] Act.1.

preces, per Angelica miniſteria uſquequaque diffuſa præbet hominibus iſta ſolatia, &c. Alios omitto.

Prob. 4. Si hæc invocatio quidquam mali haberet, maxime quia fieret injuria Chriſto, vel quia eſſet inutilis; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non fit injuria Chriſto, cum invocantur viventes, & non petimus a Sanctis, niſi ut intercedant apud Deum, & apud ipſum Chriſtum, & ſic magis ipſe honoratur in ſe, & in ſuis Sanctis: profundior illi exhibetur reverentia, dum adhibemus apud ipſum Angelos, & Sanctos interceſſores, ſicut cum accedimus ad Reges mediantibus magnatibus; ergo per hanc invocationem nulla fit injuria Chriſto, ſed potius hoc illi magis placere debet. 2. non inutilis: nam ſi hæc invocatio eſſet inutilis, hoc eſſet, vel quia Sancti non audiunt, nec vident nos orantes, vel 2. quia non poſſunt juvare, vel 3. quia nolunt audire, vel juvare. Sed nullum horum dici poteſt; ergo invocatio Sanctorum non eſt inutilis. Prob. min. 1. inſolenter, & impie ſcribit Calvinus. *Quis tam uſque longas aures illis revelavit, quæ ad voces noſtras porrigantur? Oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſſitatibus noſtris advigilent?* Impie, inquam, & inſolenter. Nam Angeli in cœlo habent oculos, & aures, ut videant, audiant, & gaudeant [1] *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, ut docet Chriſtus Dominus. Et poteſt Deus orationes noſtras illis revelare, ſicut multa revelat viventibus de ſecretis cordium, & de futuris remotiſſimis. Et, ut ait S. Gregor. [2] *In illa æterna felicitate omnes communi claritate Deum reſpiciunt, Quid eſt, quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt?* ergo Sancti ſufficienter vident, & audiunt invocantes.

2. Poſſunt juvare. Nam Sancti viventes in terris poſſunt impetrare nobis gratias; ergo multo magis regnantes in cœlo. Ideo S. Auguſt. [3] dicit de S. Stephano: *Commendemus nos ejus orationibus, multo magis audietur pro veneratoribus ſuis, qui ſic exauditus fuit pro lapidantibus*. Et, ut ait Bernardus: [4] *Auxilium ejus quæramus, quia potens in terra, potentior eſt in cœlis ante faciem Domini Dei ſui*.

3. Maxime volunt. Si enim tanta fuit eorum charitas

[1] *Luc.* 15. [2] 2. *dial.* 33.
[3] *ſer.* 1. *de S. Steph.* [4] *ſer. vigil. Sanct.*

ritas in terris, ut etiam pro inimicis oraverint, quanto magis id volunt in cœlo, ubi charitas eorum pura, & prorſus libera eſt, & conſummata? Si D. Paulus hic vivens cupiebat anathema eſſe pro fratribus ſuis; & ſi S. Stephanus orabat pro lapidantibus, &c. quid facient pro ſervis, & devotis ſuis?

Confir. ex S. Bonaventura. Deus decrevit, quod Sanctos veneremur, & oremus, 1. *propter inopiam noſtram in merendo*, 2. *propter Sanctorum gloriam*, & 3. *propter ipſius reverentiam, ad quem non audemus per nos peccatores accedere, ſed per amicos ejus*. &c.

Objic. ex Script. [1] 1. *Abraham neſcivit nos, & ignoravit nos*. 2. Non credimus in Sanctos, ſed in Deum: ergo nec poſſumus eos invocare: nam [2] *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* 3. [3] *quia unus Deus, & unus mediator Dei, & hominum Chriſtus*. 4. [4] *Si quis peccaverit, advocatum habemus Jeſum Chriſtum*: ergo non debemus advocare Sanctos, ſed unum Chriſtum.

Reſp. neg. conſ. 1. quia potuit fieri, ut illi Sancti Patriarchæ neſcirent poſt mortem ſuam, & ante aſcenſionem Chriſti, quæ fiebant in terris, quia tunc non fruebantur clara Dei viſione, ſicut in *cœlo*, in quo nunc vident in Verbo, & eſſentia Dei omnia, quæ decent ſtatum illorum, v.g. eos, a quibus coluntur, & invocantur. 2. ſi valeret conſ. ex verbis Apoſtoli, non liceret invocare viventes, quia minus credimus in eos. Sicut ergo non credimus in Sanctos, ut ſummam veritatem, ita nec invocamus, ut ſummum bonorum largitorem: ſed ſicut credimus eos amicos Dei, ita cum fiducia invocamus eos, ut per illos impetremus ab eo gratias. 3. non invocamus eos, ut mediatores per redemptionem, ſed per interceſſionem, & ut interceſſores apud ipſum Chriſtum, qui eſt unicus Redemptor, & Mediator, &c. 4. Eodem ſenſu loquitur Joannes de advocato, & mediatore principali.

Objic. 2. Patres docent, ſolum Deum eſſe invocandum. Ideo S. Ignatius [5] docet, *Virgines ſolum Chriſtum præ oculis habere, & ejus Patrem*, &c. Et S. Irenæus: [6] *Eccleſia munde, & pure, & manifeſte orationes*

[1] *Iſa.* 63. [2] *Rom.* 1. [3] *Tim.* 1.
[4] 1. *Jo.* 2. [5] *ep. ad Philadel.* [6] *l.* 2. *c.* 57.

tiones dirigit ad Deum, & nomen Domini Jeſu Chriſti invocat. Et Tertull. [1] *Hæc ab alio orare non poſſum, quam a quo ſcio me conſecuturum, quoniam ipſe eſt, qui ſolus præſtat.* Et Orig. (2) diſputat contra Celſum, quod *Deus ſolus eſt orandus, ſed & unigenitus ejus eſt adorandus*. Denique Clem. Alex. *Extrema eſt inſcitia ab his, qui non ſunt Dii, tamquam a Diis petere:* ergo ex Patribus ſolus Deus eſt orandus, & invocandus.

Reſp. neg. conſ. 1. quia ſi in iſto rigore intelligantur Patres, nequidem Sanctos viventes licebit invocare; nam hi textus a fortiori poſſunt illis applicari, ut patet. 2. quia in antiquis, & noviſſimis editionibus operum S. Ignatii verba illa non habentur: unde colligimus illa falſo inſerta eſſe in aliis. 3. quia ex illis verbis illorum Patrum ſequitur tantum, quod in orationibus ad Sanctos debemus ſemper reſpicere Deum, & ſupremum bonorum omnium authorem, & largitorem: Sanctos vero ut pure intercesſores noſtros apud Deum. Quoad alios vero Patres, iſti præcipue improbant invocationes dæmonum, non autem invocationem Angelorum, & Sanctorum.

Confir. hoc. Nam cum Celſus doceret, quod etiam dæmonibus eſt litandum, quia Deos illos eſſe dicebat: ſic Origenes eum impugnat. *Apage conſilium illud Celſi dicentis, ſupplicandum eſſe dæmonibus.* Et Clem. Alex. impugnans ſimilem errorem, dicit: *Cum unus ſit bonus Deus, ab ipſo ſolo bonorum alia dari, alia conſervari orantes petimus tam nos, quam Angeli:* ergo hi Patres non improbant morem Eccleſiæ invocantis Sanctos, ſed eos, qui invocant dæmones arguunt.

Objic. 3. Sancti in cœlo non audiunt, nec vident nos: ergo fruſtra invocantur. Ant. eſt fundamentum Calvini. *Quis eo uſque longas aures illis eſſe revelavit,* inquit, *quæ ad voces noſtras porrigantur?* conſ. autem clara eſt.

Reſp. neg. ant. Quis enim revelavit Calvino, Deum non poſſe, aut nolle Sanctis ſuis oſtendere in Verbo ſuo, aut eis ſpecialiter revelare orationes noſtras ad ipſos directas? Audiat Raphaelem Archangelum (3) dicentem ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Angelus ille au-

[1] *Apol. c.* 30. [2] *l.* 8. *cont. Celſ.* [3] *Tob.* 12.

diebat orationes Tobiæ. Et in Euangelio, numquid vident pœnitentiam peccatorum, ut de illa gaudeant? Audiat Chriſtum dicentem, [1] quod *gaudium eſt in cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Et Joannes [2] videt 24. ſeniores offerentes *Agno orationes Sanctorum*.

Objic. 4. Merita, & preces Chriſti ſufficiunt ad omnia obtinenda; ergo invocationes, merita, & interceſſiones Sanctorum fruſtra quæruntur, imo & cum injuria Chriſti, quaſi ejus merita non ſufficerent.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus: nam ſicut merita Chriſti, licet ſufficientiſſima in ſe, adhuc debent nobis applicari per ſacramenta, & opera bona, quia ſic ipſe voluit; ita & voluit eadem nobis applicari dependenter, & mediantibus interceſſionibus Sanctorum; ſic voluit concedere veniam amicis Job per ejus interceſſionem. *Job autem ſervus meus orabit pro vobis, & faciem ejus ſuſcipiam*. Nec Deus id æſtimavit indecorum ſibi, quod recurrerint ad illius hominis interceſſionem. Sic Chriſtus vult orari per ſervos ſuos, ut nobis indulgeat. Plura vide apud Controverſiſtas.

DISPUTATIO XI.

De Beatiſſima Virgine Maria.

SIcut divinæ Incarnationis, ac Redemptionis opus, & beneficium per Mariam, & in Maria completum eſt, non debet in hoc tractatu omitti ejus memoria, ut dignitatem veneremur, merita celebremus, & beneficium cum debita gratiarum actione perpendamus.

Porro jam diſputavimus [3] de Immaculata ejus Conceptione, & ab omni labe peccati originalis perfecta immunitate, nec placet ea repetere. Item de cultu ſingulari, qui ei debetur, & de veneratione imaginum, & reliquiarum, ac de invocatione ejuſdem, quid ſentiendum ſit, facile patet ex dictis ſupra de Chriſto, & aliis Sanctis cum proportione, & juxta dignitatem ejus ſupereminentem: Quæ autem diſputanda reſtant ſcholaſtice, hic breviter ſubjiciemus.

QUÆ-

[1] *Luc. 15.* [2] *Apoc. 5.*
[3] *tract. 4. d. 5. q. 4. & 5.*

QUÆSTIO I.

De ſanctitate Mariæ, qualis, & quanta fuerit.

SAnctitas attenditur 1. ex immunitate a peccato, quæ eſt ſanctitas *negativa*. & 2. ex abundantia gratiæ, ac virtutum, quæ eſt ſanctitas *poſitiva*. Quoad 1. jam probatum eſt, Mariam Deiparam Immaculatam fuiſſe, & prorſus immunem a labe peccati originalis in ipſo inſtanti ſuæ conceptionis, & eam fuiſſe ſanctam in eo momento, quo cæteri omnes poſteri Adæ incurrunt maculam, & reatum peccati ejus. Reſtat videndum, an ab illo inſtanti, & in toto decurſu vitæ mortalis ſuæ contraxerit, vel incurrerit culpam alicujus peccati actualis, ſeu perſonalis, ſaltem venialis, & leviſſimi. Quoad 2. autem videndum qualis, & quanta fuerit ejus gratia.

CONCLUSIO I.

SAnctitas Mariæ fuit integerrima, & perfectiſſima negative, ſc. immunis ab omni peccato perſonali, etiam leviſſimo. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui cum Anſelmo dicit, quod *Chriſtus talem habuit Matrem, qualem decet tanta puritate nitere, qua major ſub Deo nequit intelligi*. Et addit: [2] *Certum eſt, quod multi ſunt Angeli, qui numquam peccaverunt, & ſunt inferiores Deo*; ſed ſi Maria non eſſet prorſus immunis ab omni peccato actuali, poſſet intelligi major puritas ſub Deo, quam puritas Matris ejus, ſcilicet puritas talium Angelorum, aut alia poſſibilis, quæ eſſet prorſus immunis ab omni peccato; ergo talis dicenda eſt ſanctitas Mariæ. Citat etiam 3. Auguſtinum dicentem: *Cum de peccatis agitur, propter reverentiam Domini, de Maria nullam prorſus habere volo quæſtionem*, &c. Denique Scotus (3) hoc aperte ſupponit, cum aſſerit, quod *ſimpliciter innocens a mortali, & veniali tenetur ſimpliciter non confiteri. Unde ſi B. Virgo fuiſſet confeſſa*

[1] 3. q. 1. [2] Report. d. 3. q. 1. n. 1.
[3] 4. d. 17. q. 1. n. 32.

Petro poſt aſcenſionem, peccaſſet confitendo; ergo cenſet eam fuiſſe ſimpliciter innocentem ab omni peccato tam veniali, quam mortali.

Confir. nam diſt. 3. quæſt. 1. docet, quod *janua cæli aperta fuit Mariæ per merita paſſionis Chriſti præviſæ, & acceptatæ in ordine ad hanc perſonam, ut propter illam paſſionem numquam huic perſonæ ineſſet peccatum*, &c.

Prob. 2. ex Script. in qua comparatur lilio inter ſpinas immaculato. Dicit enim, quod *tota pulchra eſt*. Et quod *macula non eſt in ea*, ſcil. ſicut ille flos creſcit, & nitet inter ſpinas ſine læſione, ſic Maria inter homines peccatores ſine macula, & læſione ullius peccati, & tota omnino pulchra eſt.

Confir. ex Concil. Trid. [1] in quo decernitur anathema, *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum ... poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio* (nota hanc clauſulam) *quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia*; ergo Concilium cenſet B. Virginem in tota vita ſua immunem fuiſſe ab omni peccato, etiam veniali, & hoc ita credi ab Eccleſia.

Prob. 3. ex SS. PP. Nam inquit Auguſt. [2] *Scimus, quod Mariæ plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum*, &c. Et hac Virgine excepta non putat ullum hominem vixiſſe ſine peccato aliquo. Et S. Bernardus: [3] *Abſit, ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc habuiſſe aliquando dicatur; ut in ea proinde ſcopa Lazari quæratur .... omnino pium eſt credere, quod proprium Maria delictum non habuit*. Et alibi dicit, [4] *In eam copioſioris ſanctificationis benedictionem deſcendiſſe, ut vitam ab omni deinceps peccato immunem cuſtodiret*.

Confir. ex antiquioribus SS. PP. qui eam abſolute, & omnimode *immaculatam, & illibatam, ſuper omnes benedictam, omnibus modis irreprehenſibilem* prædicant; ut S. Jacobus in ſua liturgia, & S. Ignatius ad S. Joann. *In Maria humanæ naturæ natura ſanctizati Angelicæ ſociatur*: ſed ſanctitas Angelica fuit immunis ab omni peccato, etiam leviſſimo; ergo & iſta. Et S. Ambroſ. [5] vocat eam *Virginem per gratiam ab omni*

[1] *ſeſſ. 6. c. 23.* [2] *de nat. & grat. c. 36.*
[3] *ſer. de Aſſumpt.* [4] *Ep. 176.* [5] *ſer. 22.*

omni peccati labe integram, & ſic non ſolum ſanctitatem Angelicam æquavit, imo & ſuperavit. Nam inquit S. Gregor. [1] *Sublimis Maria, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſuper omnes Angelorum choros uſque ad thronum Deitatis erexit.* Et Andreas Cretenſis: [2] *Cum eſſet impolluta, immaculata .... Seraphim ipſam vincens naturam, miraculo Dei generationis prima natura proximè accedens ad Deum.* Et Sophronius (3) ſcribit, *Virginem dici immaculatam, quia in nullo corrupta eſt.* Et Damaſcenus (4) exclamat: *O ſanctiſſima, quæ principatus, & poteſtates fefelliſti, atque in ea maligni tela extinxiſti! Quæ in Spiritus Sancti thalamo verſata, atque immaculata conſervata in Dei ſponſam.* Et addit alibi, (5) quod *animam non minus, quam corpus virgineum cuſtodierat.* Et S. Germanus Conſtantinopolitanus: [6] *Exiſtima manifeſte, & ſine contradictione eam, quæ eſt omnibus ſuperior, divinarum, & ſublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus excellentem Mariam nulli culpæ affinem.* Et clariſſimè Sanctus, & doctus Idiota: [7] *Tota pulchra Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto, & macula peccati ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te.* Et ſic de aliis communiter Patribus, qui toti ſunt in repellenda omni ſuſpicione peccati vel leviſſimi ab illa. Certe hæc, & ſimilia elogia, quibus SS. Patres extollunt Mariæ ſanctitatem, non eſſent omnino vera, ſi aliquod peccatum, etiam veniale, commiſiſſet in toto vitæ ſuæ decurſu; ergo vel mentiri dicerentur SS. Patres ſic de illa loquentes, vel fatendum ejus ſanctitatem fuiſſe prorſus illibatam, alioqui enim non ſuperaret, imo nequidem æquaret Angelicam.

Prob. 4. ex S. Thom. (8) Nam ſi aliquando peccaſſet peccato actuali, ſeu perſonali, minus idonea fuiſſet maternitati Chriſti: nam macula illa redundaſſet in filium, juxta commune axioma, *gloria filiorum parentes eorum.* Quod maximè fatebuntur omnes illi, qui inde arguunt immunitatem a peccato originali:

 nam

[1] *in pſal.* 118. [2] *l.* 1. *c.* 1.
[3] *Ep. ad* 6. *Syn.* [4] *orat.* 1. *de nat. Mar.*
[5] *orat.* 1. *de Aſſumpt.* [6] *lib. de faſciis.*
[7] *de contempl. c.* 2. (8) *opuſc.* 60. *art.* 3.

nam peccatum omne actuale magis dedeceret illam etiam leviſſimum, quam originale, quia illa committuntur propria voluntate, iſtud vero incurritur ex aliena. Ex alio capite etiam hoc verius eſt de Maria reſpectu Chriſti, quam de alia ulla matre, quia ipſe eſt totus ab ipſa ſine participatione patris humani; ergo indignior fuiſſet maternitate iſta divina, ſi unquam peccaſſet propria voluntate, & malitia. Quippe *in malevolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Denique Eccleſia non ita vere de illa diceret cum Sponſo divino, *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*.

Conf. ex eodem S. Thoma, (1) pro immunitate tam ab actuali, quam ab originali peccato. Nam inquit, *Puritas intenditur per receſſum a contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum eſt, & talis fuit puritas B. Virginis Mariæ, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit. Fuit tamen ſub Deo; in quantum in ea erat potentia ad peccandum*: ergo ex D. Thoma ſanctitas negativa Mariæ fuit ſumma ſub Deo, ſc. immunis ab omni culpa, etiam leviſſima. Addit autem, quod, *quamvis B. Virgo ſit exaltata ſuper Angelos, quia tamen non uſque ad æqualitatem Dei, manet tamen adhuc infinita diſtantia, & poteſt aliquid medium eſſe inter illam, & Deum quoad ſanctitatem negativam, quatenus poterat illa peccare, & maculari; & quoad poſitivam, quatenus de potentia abſoluta poſſet Deus facere creaturam perfectiorem, & ſanctiorem: ſed de facto non fuit, nec datur pura creatura ſanctior illa*.

Idem docet Seraph. Bonav. qui ex glorioſis titulis, quibus decoratur in Scriptura, & Patribus, infert, quod, *quoniam B. Virgo eſt advocata peccatorum, gloria, & corona juſtorum, ſponſa Dei, & totius triclinium Trinitatis, & ſpecioſiſſimum filii reclinatorium: hinc eſt, quod ſpeciali gratia nullum peccatum in ea locum habuit*; ergo &c.

Objic. 1. cum hæreticis. Ex Scriptura conſtat Mariam in multis peccaſſe. 1. ex incredulitate, cum dixit Angelo: (2) *Quomodo fiet iſtud?* Nam inquit Lutherus, *ipſa profecto in ſe ſenſit incredulitatis ſenſum*. Et Cal-

[1] 1. *d*. 44. *q*. 3. *ad* 3. [2] *Luc*. 1.

Calvinus dicit, *eam dubitaſſe de omnipotentia Dei, ſicut Zacharias*. 2. Ex negligentia in filium, quando illum amiſit per triduum: deinde illum repertum objurgavit, *& quaſi deſperans* dixit: (1) *Fili, quid feciſti nobis ſic?* &c. 3. Ex ambitione, & vana gloria, quando in nuptiis petiit miraculum vini, dicens Chriſto, *vinum non habent*, quaſi petens miraculum *ad oſtentationem*, ait Lutherus. Ideoque indignatus Chriſtus reſpondit, (1) *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* 4. Ex ignorantia; unde Chriſtus dixit ei, & Joſepho, *Neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et additur, *Ipſi verò non intellexerunt*. 5. Ex importunitate, quando ipſo prædicante, *Maria ſtabat foris, quærens loqui ei*, ſic interrumpens prædicationem ejus; ideò reſpondit ex indignatione, *quæ eſt Mater mea?* quaſi eam non agnoſcens ut Matrem. 6. Ex aliqua deſperatione in morte filii; ideò dicit Auguſt. (2) *B. Virginem in morte Domini ſtupore quodam dubitaſſe*; ergo pluries peccavit.

Reſpond. neg. 1. ant. & 2. conſ. Nec enim rectè infertur ex illis textibus. Nam 1. non ex incredulitate, ſed ex affectu obediendi quærit, *quomodo fieri poſſit* Mater, & eſſe Virgo? Unde laudatur de ſua fide: *Beata, quæ credidiſti*. Ideò Auguſt. ait: (3) *Quando Zacharias quæſivit: Unde hoc ſciam, deſperando dixit: Maria verò dixit non deſperando, ſed inquirendo*.

2. Pueri Jeſu perditio non imputatur negligentiæ Sanctorum Parentum, ſed myſterio, & ſapientiæ filii, qui ſponte remanſit in Jeruſalem, & ſe parentum vigilantiæ ſubduxit ex obedientia ad Patrem cœleſtem.

3. Ex charitate petiit vinum pro convivis; Chriſtus verò ad inſtructionem eorumdem reſpondet Matri, quaſi arguens illam, ne videatur plus deferre carni, & ſanguini materno, quàm voluntati divinæ Patris ſui cœleſtis; & fortè ne videretur cum illa affectaſſe ad oſtentationem. Denique ſi illa peccaſſet petendo, ille non adhæſiſſet concedendo, quod petebatur.

4. Licèt ex illis verbis Chriſti, *neſciebatis*, &c. inferretur aliqualis neſcientia in parentibus, hæc non eſſet

(1) *Lu. 2.* (2) *q. 63. no. teſtam.*
(3) *hom. 44. ex 50. c. 5.*

ſet peccatum in illis. Dolor autem illorum ex ejus abſentia oſtendit amoris eorum teneritudinem, non verò paſſionem, aut motum ullum irrationabilem; neque verba illa matris, aut filii ſapiunt exprobrationem, ſed amoris interrogationem.

5. Stabat Maria ad januam Dei, in quo prædicabat, non ut interrumperet, ſed ut dato otio loqueretur cum illo de neceſſariis.

6. Si doloris gravitas ex morte filii ſtuporem fecit Matri amantiſſimæ, id non rectè tribuitur deſperationi, ſed amoris vehementiæ, & luctus amaritudini, ex qua fortè moritura erat, niſi Deus eam miraculosè roboraſſet contra vim doloris; & in hoc non apparet nequidem minima ſuſpicio peccati, ſed potius heroicæ charitatis teſtimonium.

Inſt. S. Chryſoſt. [1] dicit, quòd cùm *Maria ſtaret foris vocans Chriſtum, ſupervacaneæ cujuſdam ambitionis erat; quippe volebat oſtendere populo ſe filio dominari, & in eum auctoritatem exercere, cùm nondum de ipſo magnum aliquid imagine ſua ſibi proponeret;* ergo in hoc peccavit ex quadam ſuperbia.

Reſp. neg. conſ. Nam ex Ambroſio, (2) cùm reſpondet Chriſtus, *quæ eſt Mater mea?* hoc non dicit ex contemptu aliquo in Matrem, & propinquos, ſed ex docendi ſtudio, præferendum eſſe Dei obſequium omni alteri conſiderationi. *Non injurioſè refutantur parentes, ſed religioſiores copulas eſſe mentium, quàm corporum docentur. Non negatur Mater, quam de cruce cognoſcebat, ſed neceſſitudini corporali præſcriptorum cæleſtium forma præfertur.* Chryſoſtomus (2) autem oratorio ſtylo per quandam exaggerationem loquitur, & ſic potuit excedere, ut fatetur S. Tho. & ut ſcribit S. Bonavent. (3) *Venerat Maria non ad oſtentationem aliquam, ſicut in hoc exceſſit D. Chryſoſtomus; quod & notant omnes Sancti Patres, & Doctores, & in hoc cautè legendus eſt, ſed venit ad Chriſtum ob aliquam cauſam, & rem honeſtam nobis ignotam, vel ut cibum ſumeret, vel ut a periculo mortis ſibi intentatæ à Phariſæis liberaret,* &c. Igitur uni Chryſoſtomo poſſunt opponi Sancti omnes alii Patres, & Doctores.

Ve-

[1] *hom. 26. in Jo. & 45. in Matth.*
[2] *in Matth. 17.* [3] *in Luc. 8.*

Verum, ni fallor, Chryſoſtomus non ita loquitur ex propria mente de Maria: nam inquit, [1] *Si Chriſtus Matrem voluiſſet negare, tunc opportune profectò negaſſet, quando illi opprobrio Mater a Judæis dabatur. Nunc autem tantam facere curam de illa videtur, ut cum vel in cruce penderet, amantiſſimo eam diſcipulo commendaret. Nunc vero non tantum ei honoris conferre videtur, quoniam fratrum, qui eum nudum hominem cenſebant, inanem ambitionem ejicere ſtudebat*; ergo culpam in fratres rejicit Chryſoſtomus, non in matrem. *Tu vero noli verba tantum perpendere*, [pergit Sanctus Doctor] *quæ mediocrem acrimoniam continent, verum etiam importunitatem, & audaciam fratrum conſidera ... Tum videbis increpationem illam decentem, atque utilem, admodumque manſuetam. Non enim reſpondet, abeas, & dic mulieri huic, quia non eſt Mater mea; ſed ad nuntium directo ſermone*, &c. ergo male ex illis verbis Chriſti inferunt hæretici Chriſtum durius increpaſſe Matrem, quaſi peccaſſet; neque id credidit Chryſoſt. ſed culpam rejecit in fratres, ſeu propinquos, qui cum illa erant, ſicut & documentum dirigitur ad auditores Phariſæos.

Eodem modo ſe gerit Chryſoſtomus [2] in alia illa Homilia in Joannem de nuptiis, ubi Chriſtus reſpondet petenti ab eo vinum: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? Sic enim loquitur* [ait Chryſoſtom.] *non quod Matrem contemneret: abſit; ſed ut maximæ utilitati conſuleret .... Et licet ita Matri reſponderit, maternis tamen votis obtemperavit*; ſcilicet hoc dixit potius ex amore, quam ex motu indignationis, vel impatientiæ.

Objic. 2. Alii Patres dicunt, eam tempore paſſionis nutaſſe in fide: nam inquit S. Baſilius: [3] *Tempore paſſionis dubitationi cuidam fuit ſubjecta ſecundum Domini vocem, qua dixerat: Omnes vos ſcandalum patiemini in me*, &c. Et Cyrillus Alexandrinus [4] dicit, *Eam propemodum de ſtatu dejectam fuiſſe; ideo Chriſtus eam commendavit Joanni, ut quaſi Myſtagogo, qui ei myſterium explicaret*. Et Origenes ſcribit, eam cum aliis Apoſtolis ſcandalizatam. *Quid puta-*

(1) *ho.45. in Matth.* (2) *ho.20.& 21.in Jo.1.& 2.*
(3) *ep.318.* (4) *ho.17. in Luc.*

tis, quod ſcandalizatis Apoſtolis, Mater Domini a ſcandalo fuerit immunis? Si ſcandalum in Domini paſſione non paſſa eſt, non eſt mortuus Chriſtus pro peccatis ejus; ergo Mariam Patres docent peccaſſe multipliciter.

Reſpon. neg. antec. nam aliud eſt dicere Mariam in paſſione habuiſſe occaſionem ſcandali, & nutandi, & paſſam eſſe tentationem, aliud, quod de facto nutaverit, & ſcandalizata fuerit, illud dicunt Patres, & vere, non autem iſtud, alioqui ſibi contradicerent, cum alias dixerint, eam fuiſſe ſine macula. S. Baſilius non dicit eam de facto dubitaſſe, & nutaſſe in fide, ſed quod dolor illam ad id impellebat, niſi divinitus roborata fuiſſet. Eodem ſenſu loquitur Cyrillus, & Origenes, qui nomine ſcandali intelligunt graviſſimam tentationem, contra quam invicta ſtetit juxta crucem, cæteris conſtantior Apoſtolis, qui fugerant.

Inſt. Si non fuiſſet ſcandalizata, Chriſtus non dixiſſet vere, *omnes ſcandalum in ipſo paſſuros*: ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. 1. quia ipſa non aderat, quando ſic locutus eſt, & ſic non erat de illis, qui ſandalizandi erant. 2. Negari poſſet ſuppoſitum maj. nam ſcandalum paſſivum, & maxime propter impietates, & horrenda crimina Judæorum poterat eſſe ſine peccato.

Objic. 3. B. V. debuit orare cum aliis, *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. ſed non potuiſſet hoc dicere, ſaltem vere, niſi habuiſſet aliqua peccata dimittenda; ergo habuit aliqua.

Reſpon. neg. min. Nam hoc poterat dicere in ſpiritu Eccleſiæ, quæ ſic orat, ſc. pro peccatis fidelium, quibus unitur per charitatem.

Inſt. Incredibile eſt, eam fuiſſe per totam vitam ſine aliquibus motibus ſubjectis, qui rationem præveniunt; ſed hæc ſunt peccata, quamvis levia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam gratia excellentiſſima extinxerat in ea fomitem peccati, & ſupplebat juſtitiam originalem, ut continerentur omnes appetitus, & motus ejus in ſubjectione perfecta ad rationem, ut dicemus.

CON-

CONCLUSIO II.

Sanctitas Mariæ poſitiva tanta eſt, tamque perfecta, ut ſupereminéat ſanctitati omnis puræ creaturæ, etiam Seraphinorum. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, (1) quod *Chriſtus habuit perfectiſſimum gradum mediandi poſſibilem reſpectu Mariæ, & quidem excellentiorem, quam reſpectu ullius creaturæ*; ſed hoc non poſſet dici, niſi ei contuliſſet perfectiſſimam gratiam, quæ poſſit dari ulli creaturæ; ergo ita factum eſt.

Prob. 3. ex Script. & Patribus, qui explicant hæc, & ſimilia verba Davidis (2) de Maria. *Fundamenta in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.* Quaſi dicat, quod initia ſanctitatis, & gratiarum Mariæ ſunt ſuperiora ſanctitati, & gratiis aliarum creaturarum, & ejus ingreſſus in hanc vitam diligit Deus ſuper omnia merita cæterorum electorum. Ideo, *ſicut lætantium omnium*, id-eſt beatorum, *habitatio eſt in ea*. 2. Eidem applicant illud Iſaiæ: (3) *Erit præparatus mons Domini ſupra verticem montium, & exaltabitur ſuper omnes colles*; ideſt, inquit Gregor. (4) *gratia, quæ aliis vertex, & apex fuit, Mariæ fuit radix, & fundamentum. An non mons Maria fuit ſublimis, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſuper omnes Angelorum choros uſque ad ſolium deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem vaticinans Iſaias, ait: Erit in noviſſimis, &c. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſuper omnes Sanctos refulſit.* Et hoc inquit S. Joannes Damaſcenus, quia *Ex eo monte exſcindendus erat lapis ille myſticus, ſine manibus hominum, qui comminuit ſtatuam Nabuchodonoſoris, ſeu machinas diaboli.* Et denique Angelus eam declarat *plenam gratia*, & quidem plenitudine ſingulari, qualis decebat Dei Matrem, & Spiritus Sancti ſponſam.

Confir. ex aliis Sanctis Patribus. Nam inquit Epiphanius: [5] *Beata Virgo lilium eſt immaculatum & ſubli-*

[1] 3. *d.* 3. *q.* 1. *A. n.* 4. [2] *pſal.* 86.
[3] 1. *Regum.* [4] *lib.* 1.
[5] *de laud. Mar.*

ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubin, & Seraphin, ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit. Et Chryſoſtomus: [1] *Magnum revera Virgo hæc mundi miraculum eſt. Quidnam illa ſanctius? non Prophetæ, non Apoſtoli ...... non Angeli, & non aliud denique inter res creatas excellentius, aut majus inveniri poteſt.* Et alibi[2]eam dicit *nobiliorem Cherubin, glorioſiorem incomparabiliter Seraphin*, &c. Et S. Gregor. Neocæſar.[3] *Maria ſic plena dicitur, quod in illa Virgine totius gratiæ theſaurus reconderetur.*

Prob.3. Nam nulla eſt in creaturis ſublimior dignitas maternitate Dei; ergo nec debuit in eiſdem eſſe major gratia. Prob.conſ. Nam inquit S. Anſelm. [4] *Decens erat, ut Mater Dei tanta puritate*, ſeu ſanctitate *niteret, qua major ſub Deo nequit intelligi.* Et S. Laurent. Juſtin.[5]*Illam adhuc in utero matris decubantem adamavit Verbum, ſibique genitricem elegit ...... poteſtne ullus hominum, aut Angelorum illius amoris immenſitatem penetrare?* Non diceretur *gratia immenſa*, ſi in alia ulla creatura reperiretur major, vel æqualis. Ideo vocatur ab aliis Sanctis *gratiæ abyſſus*. Et, ut ipſamet fatetur, *Fecit illi magna, qui potens eſt*, &, *potentiam in brachio ſuo*, ſcil. quia illi contulit tantas gratias, & dona, quanta potuit juxta capacitatem puræ creaturæ.

Confir. ex S. Thoma. [6] *Quo magis aliquid appropinquat principio in aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principii;* ſed Maria præ omnibus aliis creaturis appropinquat Chriſto principio omnis ſanctitatis, & gratiæ; ergo præ cæteris omnibus debuit ab eo gratiæ plenitudinem participare. Prob.min. Nam præ cæteris dicitur, & eſt Mater Dei, & Sponſa, qua nihil propinquius filio, & ſponſo illi. Dicitur etiam *amicta ſole, Deo freta*, habens *lumen ſub pedibus*, & prædicatur *pulchra ut luna, electa ut ſol;* ergo &c.

Confir.2. ex eodem. Cum Deus aliquem eligit ad aliquod munus, aut dignitatem, dat illi diſpoſitiones proportionatas; ſed Deus eligens Mariam ad filii ſui maternitatem, deſtinavit eam ad ſummam dignitatem,

[1] *hom. hypoſ.* [2] *in Liturg.*
[3] *hom. Annunt.* [4] *de excell.2.c.4.*
[5] *ſerm. de nativ.* [6] *3.p.q.27.n.5.*

tem, ad quam poſſit eligi pura creatura, & ſuper omnes Sanctos, & Angelos; ergo & proportionatas ei dedit gratias, & virtutes; ergo, inquit Petrus Damian. [1] de Seraphin, *Quid majus illis* (ſummis ſpiritibus] *& videbis minus eſſe Virgine, ſolumque opificem opus iſtud ſupergredi*. Et S.Bonavent. *Tanta gratiarum copia abundavit in Maria, ut ipſa etiam gratioſa Virgo gratia quodammodo dici poſſit*.

Objic. 1. ex illo ipſo principio D. Thomæ. Deus debet dare gratias proportionatas ordinibus, & gradibus naturæ; ſed natura Angelica eſt altioris ordinis, quam natura Mariæ, quia hæc eſt pure humana; ergo & gratia Angelorum eſt major.

Reſpond.1. neg. maj. abſolute, nec ita cenſet Sanctus Thomas, alioqui deberent dari gratiæ æquales omnibus hominibus, quia ſunt æquales in natura. Divìdit autem gratias, & dona ſua ſingulis, prout vult, & gratis.

Reſp. 2.diſt.maj. debet dare de via ordinaria, tranſeat, de potentia abſoluta, neg. maj. & conſeq. Nam in Maria *fecit potentiam in brachio ſuo; fecit illi magna ſecundum omnipotentiam ſuam abſolutam, & extraordinariam*.

Objic. 2. Maria non habuit gratiam ultra plenitudinem; ſed plures Sancti habuerunt plenitudinem gratiæ; ergo æquales ei fuerunt in gratia. Prob. min. de Simeone, de Sancto Stephano, &c. ergo &c.

Reſp.diſt.maj. ultra plenitudinem poſſibilem de via extraordinaria, & de potentia abſoluta, con. ultra plenitudinem poſſibilem de potentia ordinaria, neg. maj. & min. & conſ. Plures Sancti dicuntur habuiſſe plenitudinem gratiæ, & Spiritus S. id. magnam gratiam, & plenitudinem poſſibilem, de via ordinaria; Maria vero plenitudinem poſſibilem, etiam de potentia extraordinaria, & abſoluta.

QUÆ-

[1] *ſerm. de Annunt.*

QUÆSTIO II.

An B. Virgo habuerit juſtitiam originalem, an fomitem peccati.

QUia diximus B. Virginem ex ſingulari privilegio præſervatam fuiſſe a labe peccati originalis, videtur dici poſſe, illam fuiſſe conceptam in juſtitia originali, ſaltem negative, ideſt ſine injuſtitia illa, quam poſteri omnes Adæ contrahunt in ſua conceptione, imo & in poſitiva juſtitia, quia hæc præſervatio contigit per infuſionem gratiæ ſanctificantis in illo inſtanti, quo contrahere debebat illam maculam; ſed tamen illa gratia, & ſanctitas anticipata non poteſt dici *originalis* proprie, tum quia illam non habuit ex vi ſuæ originis, neque ab Adamo, neque ab immediatis ſuis parentibus, ſed ex puro Dei beneplacito, & privilegio ſpeciali. Tum quia gratia illa ſanctificans potuit eſſe ſine effectibus, quos habebat, & habitura erat juſtitia originalis in Adamo, & poſteris, ſi non peccaſſent, ſicut eos non habet in baptizatis.

Suppono autem ex dictis, juſtitiam illam fuiſſe donum ſupernaturale, quod dabat homini inclinationem, & facilitatem ad bene operandum, & continebat appetitus ſenſitivos in plena ſubjectione, & obedientia ad rationem, quam non præveniebant per motus inordinatos concupiſcentiæ, ut faciunt poſt illud peccatum in cæteris hominibus, in quibus *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*. Illa autem juſtitia dicebatur *originalis*, quia illam habuerat Adam in ſua creatione cum obligatione illam tranſmittendi ad poſteros ab ipſo per viam generationis, ſeu originis naturalis deſcenſuros.

Suppono etiam ex dictis, fomitem peccati nihil aliud eſſe, quam appetitus illos ſenſitivos, prout inclinant hominem ad bonum ſenſibile contra dictamen rationis, quod præveniunt, vel ei repugnant, & ſucceſſit cum peccato illi juſtitiæ originali, quæ tales motus reprimebat, aut impediebat, ne exurgerent. His ſuppoſitis, quærimus, an beata Virgo habuerit tale donum, an vero ſubjecta fuerit illis motibus appetitus ſenſitivi, & hoc ſenſu

habue-

habuerit juſtitiam originalem, an vero fomitem peccati, qui opponitur illi juſtitiæ.

CONCLUSIO.

PRobabile eſt, B. Virginem habuiſſe gratiam æquivalentem illi, quæ fuerat in Adam ante peccatum, & ideo non habuit fomitem peccati, ſed non dicitur proprie juſtitia originalis.

Dico, *non dicitur proprie juſtitia originalis*, ob rationem allatam de illa denominatione, ſcil. illud donum ſic dicebatur, quia datum erat Adamo cum obligatione illud tranſmittendi ad poſteros ab eo venturos per viam generationis naturalis mediante obſervantia præcepti de non comedendo pomo vetito, & peccatum tranſgreſſionis ejus vocatur *originale* ob eamdem rationem, quia ſc. contrahitur per originem ab Adamo. Ideo gratia baptiſmalis, qua mundamur ab illo peccato, nec ullum aliud donum, quo Deus illud primum ſupplere poteſt, & efficere in homine id, quod illud præſtabat in Adamo innocente, non poteſt dici juſtitia originalis, quia ſcilicet per originem nec recipitur, nec tranſmittitur. Unde licet admittatur in B.V. Deipara ſimile donum, non propterea dicetur habuiſſe juſtitiam originalem, ſaltem ſub illa denominatione.

Porro jam dictum eſt alibi, eam in illo inſtanti ſuæ conceptionis non incurriſſe peccatum, nec maculam originalem, quam incurrunt cæteri omnes poſteri Adæ: & ſicut quando iſti per gratiam baptiſmalem mundantur ab illa macula, non propterea dicuntur recipere juſtitiam originalem, ita nec Virgo iſta dicenda eſt recepiſſe juſtitiam originalem, licet receperit gratiam non abſterſivam, ſed præſervativam peccati originalis. Imo nec id poteſt dici de gratia, qua præſervata fuerit ab effectibus talis peccati, ſeu a fomite peccati. Quod autem id ita contigerit illi

Prob. 1. ex Scoto. Nam, ut diximus, *Juſtitia originalis faciebat perfectam tranquillitatem in anima, quantum ad omnes potentias, ita quod natura inferior* (eppetitus ſenſitivus) *non inclinaretur contra judicium ſuperioris*, (rationis) *aut ſi inclinaretur, quantum eſt de ſe, poſſet tamen a ſuperiori regulari, & ordinari ſine* diffi-

difficultate ſuperioris, & ſine triſtitia inferioris; ſed gratia, quæ collata fuit B. Virgini, cauſabat illam tranquillitatem, & pacem in ipſa; ergo in ea fuit donum, ſeu gratia æquivalens juſtitiæ originali. Prob. min. ex dictis in præcedentibus, quatenus illa fuit prorſus immunis ab omni peccato, etiam leviſſimo; ergo numquam appetitus inferior repugnavit rationi per ullum motum inclinantem in peccatum. 2. Ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit repleta donis omnibus gratiæ, quibus anima ejus ſecundum omnes facultates ſuas perfecte uniebatur Deo, & ſingulariter mediante ſpeciali providentia, & aſſiſtentia divina, qua fiebat, ne ullus appetitus ejus poſſet prævenire rationem ejus, & ut omnes facultates tam corporis, quam animæ inclinarentur ad bonum. 3. denique per abundantiam, & plenitudinem gratiæ tam actualis, quam habitualis, ac virtutum omnium ſemper fuit inclinata, & intenta ad bonum, & unita Deo; ergo numquam experta eſt rebellionem vel minimam appetituum contra rationem; ſed quoad hoc perpetua, & ſumma tranquillitate fruebatur.

Confir. ex loco citato in præcedenti ex d. 3. q. 1. ubi docet, quod *janua cœli fuit ſibi* [Mariæ] *aperta per meritum paſſionis Chriſti prævisæ, & acceptæ ſpecialiter in ordine ad hanc perſonam, ut propter illam paſſionem numquam huic perſonæ ineſſet peccatum, & ita nec aliquid, propter quod janua clauderetur*, &c. ſed cauſa, cur clauſa fuerit hominibus janua cœli, fuit peccatum Adæ, ſeu originale, & illa janua non fuit clauſa Mariæ; ergo ſignum eſt eam habuiſſe ex merito paſſionis Chriſti prævisæ gratiam æquivalentem dono juſtitiæ originalis.

Confir. 2. ex PP. & Theologis citatis pro perfecta, & immaculata ejus ſanctitate. Nam Petrus Damian. (1) negat, eam unquam *habuiſſe aliquid cum terrenis affectibus commune*. Et Richard. Victor. (2) dicit, eam fuiſſe *terram beatam, de cujus finibus Deus abſtulit omnia prorſus bella*. Et alibi (3) dicit, quod *numquam concupiſcentiæ fumus eam attigit, nec vermis voluptatis eam læſit*. Et S. Jo. Damaſc. (4) dicit eam *corpore, & ſpiritu puram*. Et S. Cypr. (5) *Carnis, & mentis integri-*

(1) *orat. de Aſſumpt.* (2) *l. 1. de Emman. c. 29.* (3) *orat. 2.* (4) *de ger.* (5) *de cor. Chr.*

gritate inſignis, ſpirituali, & corporali intus, & extra Chriſti præſentia fruebatur. Quomodo hæc diceretur, ſi in ea viguiſſet concupiſcentia? Denique Albertus Magnus: *Sanctiſſima eſt caro B. M.V. quæ numquam admiſit aliquid ſanctitati contrarium*; ergo nec motum minimum concupiſcentiæ contra rationem ſenſit; ergo in ea fuit donum gratiæ æquivalens juſtitiæ originali.

Confir.2. Nam incredibile eſt Dei Verbum unquam voliturum carnem ſumere ex carne Mariæ, niſi hæc fuiſſet longe purior, & ſanctior carne, quam dederat Adamo in creatione, & denique niſi fuiſſet *Angelificata*, & quaſi *Deificata*, quantum poſſibile fuit; ergo non deerat ei donum, quo fieret ſanctior, & purior carne Adæ innocentis. Hinc

Prob.2.p. de fomite peccati. Nam per illum nihil aliud intelligitur, quam ille carnis appetitus, quo inclinamur ad amorem ſenſibilium, & contra dictamen rationis, unde ſolent oriri peccata; ſed nulla talis inclinatio fuit in B. Virgine, ut probatum eſt; ergo nec fomes peccati.

Objic. In Maria fuit caro cum ſenſibus, & appetitu, & facultatibus ſimilis noſtræ; ſed caro noſtra cum illis facultatibus inclinat ad bonum ſenſibile, & fomes peccati eſt ei naturalis; ergo & in Maria. Maj. patet: Nam humanitas in ea fuit ejuſdem ſpeciei atomę cum noſtra. Prob. min. Nam reſpicere bonum ſenſibile, & ad illud inclinare, ſunt proprietates inſeparabiles ab humanitate, & bonum ſenſibile eſt objectum naturale appetitus ſenſitivi; ergo & fomes ille ſic inclinans; ſed hæc repugnant juſtitiæ originali, & omni gratiæ æquivalenti: ergo &c.

Reſp. diſt. min. inclinat ſecundum ſe, & præciſo dono ſupernaturali movente in contrarium, conc. ſuppoſito tali dono, & gratia, neg. min. Nam ſicut donum juſtitiæ originalis diſtrahebat carnem, & appetitum Adæ ab illa inclinatione prava in peccatum, ita eſt de dono gratiæ in B. Virgine, præciſa quidem tali gratia fuiſſet in carne ejus, ſicut in nobis; ſed per illa dona rectificabantur ejus appetitus, & inclinabantur ad virtutem, & ad Deum.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De virtutibus, & donis Mariæ. An virtutes morales habuerit infuſas ab inſtanti conceptionis.

QUæſtio procedit tam de Moralibus, quam de Theologicis, & de infuſis tam per ſe, quam per accidens, & de aliis donis ſupernaturalibus; & quæritur, an B. Virgo omnia illa acceperit ab inſtanti conceptionis ſuæ, & quidem in gradu heroico, & perfectiſſimo.

Suppono autem, virtutem dici heroicam, quando facit operari modo præcellenti ſupra homines, id eſt ſupra communem operandi modum aliorum hominum, ita ut in his operationibus imitetur aliquo modo Deum. S. Thomas (1) hanc virtutem deſcribit eam, *qua perficitur homo, & formatur ultra communem modum humanæ perfectionis, quaſi ad ſimilitudinem ſubſtantiarum ſeparatarum, & nominatur divina ſupra humanam virtutem, & communem*. Ariſt. [2) brevius dicit, quod *perfectiſſima virtus in eadem ſpecie manens eſt heroica; & ſic metaphorice loquuntur aliqui, quod perficiat modo humano*, quia ſcilicet non eſt communiter hominis ad illum gradum attingere, Hoc ſuppoſito, ſit

CONCLUSIO.

B*Eata Virgo habuit omnes virtutes ſibi divinitus infuſas in gradu heroico ab inſtanti ſuæ conceptionis, idem eſt de donis Spiritus Sancti.*

Prob. 1. ex Script. quæ illi tribuit omnes virtutes, & dona ſub diverſis ſymbolis, juxta ſenſum Eccleſiæ, & Patrum. Nam Eccleſia, & Patres illi applicant hæc, & ſimilia elogia, & oracula, in quibus fit ſermo de *muliere amicta ſole, habente lunam ſub pedibus ſuis, & in capite coronam ſtellarum duodecim*. 2. De Regina ſedente ad latus Dei ſponſi, (3] *in veſtitu deaurato circumdata varietate, & in fimbriis aureis*. De fœmina, [4) *quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ*,

[1] 1.2.q.54.a.5. [2] 7.Eth.c.1. [3] pſ.41. [4] cant.3.

rhæ, & thuris, & omnis generis pigmentorum. 4. De horto ſtudioſe concluſo, [1] cujus *emiſſiones ſunt paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. Hæc inquam, & ſimilia dicunt de Maria, ut exprimant ſplendorem luminis gratiæ, & ſapientiæ, quibus, quaſi veſte, per totam induta eſt, & a capite ad pedes ſolis, lunæ, ac ſtellarum, ſeu virtutum, ac donorum gratiæ ſplendore illuſtrat Eccleſiam Sanctorum, & influit in eam, ſicut aſtra illa illuſtrant, & influunt in hæc inferiora. Ideo inquit Bernard. [1] *Jure Maria ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimum divinæ ſapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyſſum, & quantum ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videtur immerſa*. Vides dona ſcientiæ, & ſapientiæ, quæ pertinent ad intellectum.

Quoad flores autem, & fructus, & pigmentorum, & aromatum ſuffitus, & ornamenta, notat Petrus Damian. [2] quod *univerſis pulvis pigmentarius in Virgine conjectus eſt, quia in ea conventus virtutum reverendum ſibi thalamum conſecravit, & ſi ſpiritus per partes cæteris aff.uit: Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſupervenit*. Quantum vero ad horti ſymbolum ſic loquitur Sophron. [3] *Quidquid in ea geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas, totum gratia, & veritas, totum miſericordia, & juſtitia. Vere hortus deliciarum, in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta virtutum*, &c. & ſic de aliis; ergo in B. Virgine fuerunt omnia dona, & virtutes ſimul infuſæ, quæ in aliis ſunt diſtributæ, & diviſæ, ſicut in hortis adunantur univerſa florum, & fructuum genera, & quidem in ſummo perfectionis gradu.

Prob. quoad ſecundam utramque partem, ſcilicet quoad totalitatem, & perfectionem heroicam: nam inquit S. Bernardinus: *Neceſſe fuit, ut per illas virtutes Maria quandā aſſequeretur æqualitatem cum Deo*, ſcilicet quantum eſt fas creaturæ: nam per maternitatem contrahit cum Deo quandam ineffabilem ſimilitudinem, & affinitatem. *Virtutes* autem (inquit Nyſſenus) *ſunt colores, quibus pingitur in nobis imago Dei*; *ergo ſi ſimilitudo illa ſit ſine luce virtutum*, extin-

[1] *ſer. 2. de nativ. Mar.* [2] *ſer. de Aſſumpt.*
[3] *ſer. de Aſſumpt.*

tinguitur ſplendor aliarum omnium, quæ fuerunt in Sanctis: Et, ut loquitur S. Ambroſ. [1] *Eſt igitur Maria ipſa imago virtutis, de qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis.*

Prob. 3. ratione jam allata. Nam ſicut gratiæ, ita & donorum aliorum, ac virtutum menſura debet attendi ex dignitate, & gradu, ad quem Maria deſtinabatur; ſed hæc deſtinabatur ad ſummam dignitatem, ad quam poſſit elevari pura creatura; ergo dona, & virtutes illi debuerunt infundi ſupra omnes creaturas. Ideo notat S. Bernard. [2] in verba cit. *Mulier amicta ſole*, &c. *Candidiſſimus ſane hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter ordinata noſcuntur, ut nihil in ea tenebricoſum, ſed nec obſcurum ſaltem, aut minus lucidum, aut tepidum aliquid, aut non ferventiſſimum liceat ſuſpicari*; ergo omnes virtutes, & dona fuerunt in gradu heroico. Hinc

Prob. 3. p. ſcil. quod hæc habuerit ab inſtanti conceptionis. Nam illa omnia elogia evaneſcerent, ſi vel per momentum temporis illa mulier fuiſſet non dico in peccato originali, aut actuali, ſed etiam in carentia illarum virtutum, & donorum: nam fuiſſet in obſcuritate, & tepiditate; ergo &c.

Confir. 1. quia nulla fuit ratio differendi hæc ornamenta, quandoquidem jam erat prædeſtinata, & electa ad maternitatem divinam, & ideo in eodem illo inſtanti recepit gratiam ſanctificantem, ut probatum eſt: ergo & debuit recipere cætera dona, & virtutes, quæ decebant illam dignitatem, & comitari ſolent gratiam illam. Prob. conſ. ex Conc. Trid. [3] docente, quod *ſanctificatio fit per ſuſceptionem gratiæ, & donorum*: & quod *in juſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem.*

Confir. 2. quia per gratiam illam, quam recepit in illo inſtanti, debuit ſimul recipere principia omnia, quibus poſſet pervenire ad finem, ad quem deſtinabatur: nam qui vult finem, debet velle media ad illum conducentia; ſed virtutes tam Morales, quam Theologicæ, & dona Spiritus Sancti ſunt media, & principia, quibus B. V. debebat pervenire ad maternitatem, ad quam deſtinabatur; ergo ex tunc debuit illa omnia recipere ſimul cum illa gratia.

Prob.

[1] *l. de Virg.* [2] *ſer. mulier.* [3] *ſeſſ. 6. c. 7.*

Prob. ſpecialiter de donis: nam ex tunc B. Virgo reſpiciebatur a Deo, ut Regina, & Sponſa Spiritus Sancti, qui eam obumbraturus erat, & cui illa jam oppignerabatur; ergo ex tunc debuit recipere dona ejus.

Confirm. 1. Nam dona Spiritus Sancti reddunt animam facile mobilem ab illo ad opera heroica; ſed nulla creatura debuit potius eſſe mobilis ad talia opera, quam Maria; ergo nec ulla debuit potius recipere dona illa, ut faciſlime, & perfectiſſime regeretur a Spiritu Sancto.

Confirm. 2. Quia plurimi Sancti Patres docent, quod ex eo inſtanti habuit uſum rationis perfectiſſimum ad merendum; ergo debuit ornari, & muniri gratiis, & donis, quibus potuerit continuo moveri ad Deum per actus heroicos fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum.

Denique probari poteſt tota concluſio, diſcurrendo per ſingulas virtutes cum SS. PP. Nam de fide ait S. Eliſabeth: *Beata, quæ credidiſti*, &c. Et ideo dicit Auguſtinus, (1) quod *fuit beatior concipiendo Chriſtum fide, quam carne*. Et Ambroſius dicit, (2) eam *non dubitaſſe, ſed credidiſſe, & ideo fidei fructum conſecutam fuiſſe*; & alii vocant eam *matrem credentium*, alii *fidei ſignaculum*, alii *fidei miraculum*. Et Sophron. [3] *Hæc eſt Virgo, quæ ſola interemit hæreticam pravitatem, ſola poſt Deum, quæ nos confirmat in omni veritate*, &c.

De ſpe conſtat per eadem teſtimonia: nam illa credulitas, ex qua dicitur beata, & quam exhibuit Angelo, tam fuit ſpei, quam fidei: ideo dixit, *fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Et iſte actus tantæ fuit efficaciæ, ut per illum cooperata ſit operi mirabili incarnationis; nec enim hoc Deus feciſſet, niſi ipſa conſenſiſſet, nec in id ipſa conſenſiſſet, niſi optaſſet, & ſperaſſet id factum iri.

De charitate nemo dubitat. Nam communiter dicitur *mater pulchræ dilectionis, & ſanctæ ſpei*. Et Eccleſia illi tribuit omnes actus amoris, quos legimus in Sponſa Canticorum. [4] *Ordinavit in me charitatem. .... fulcite me floribus .... quia amore langueo .... vulnerata charitate ego ſum*. Et Deum ſemper vocat *dilectum*

[1] *l. de S. Virg.* [2] *in Luc. 2.*
[3] *ſer. de Aſſumpt.* [4] *Cant. 1. & 2.*

ctum ſuum. Et denique S.Bernard. dicit, *In affectum charitatis omnino tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt, charitas novem menſibus corporaliter requievit*. Et licet hæc dicantur de tempore, quo geſtavit Chriſtum in ſinu ſuo, & parturivit illum; non dubitatur tamen,quin ex eodem inſtanti, quo repleta fuit gratia ſanctificante, ſc. in ſua conceptione, repleta etiam fuerit charitate, quia hæc virtus inſeparabilis eſt ab illa gratia.

De humilitate ipſamet gloriatur illi virtuti tribuens ſuam omnem exaltationem: nam inquit, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ ... fecit mihi magna .... ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, &c. ſc. inquit S. Bernardin.[1] *adfuit ei aſpectus ſuæ humilitatis, eo quod continue habebat actualem relationem ad divinam majeſtatem, & ad ſuam nihilitatem*.

Quoad fortitudinem, de illa dicitur, quod fuit, & eſt terribilis hoſtibus Dei, ſeu dæmonibus. *Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*. Non immoror in aliis virtutibus; ut de virginitate videamus.

QUÆSTIO IV.

De virginitate perpetua Mariæ.

NOn defuerunt hæretici, qui dixerunt Chriſtum genitum,& naturaliter ex Sancto Joſeph, & Maria, ut Apollinaris, & Cherintus, & Ebion. Alii dixerunt, quod illa poſt Chriſtum natum habuit alios filios, ut Helvidiani, & Joviniani, & Macedoniani, imo & Tertullianus in hoc fuiſſe putatur errore. Alii volunt, quod in partu amiſerit virginitatem, ut Calvinus, quos omnes execrantur Catholici unanimiter.

Porro virginitas deſcribitur, *integritas ab omni vacua libidine carnis, ſeu corporis, & animæ*. Unde tria concurrunt ad veram virginitatem. 1. integritas carnis, ſeu ſigilli virginei, quod aliqui ponunt in membranula ſuper os ventriculi inducta, quæque ſolet rumpi in congreſſu virili. 2. carentia omnis ſenſus,& conſenſus libidinoſi. 3. propoſitum abſtinendi ab omni ea libidine. Ideo tria diſtingui ſolent in virginitatis

[1] *to.3.ſer.5.*

nitatis temeratione. 1. Sigilli virginei fractio: 2. concurſus carnis, & animæ; ſive, ut loquitur S. Thomas, *reſolutio ſeminis delectationem ſenſibilem cauſans*: 3. voluntas perveniendi ad talem delectationem: 1. eſt accidentale huic virtuti quoad moralitatem, quia fractio illa contingere poteſt animæ moraliter virgini: 2. eſt materiale: & 3. eſt formale. Quærimus ergo an Maria Deipara perfectam virginitatem conſervaverit in conceptu filii ſui Chriſti, & in partu ejuſdem, & denique poſt partum, & deinceps uſque in finem vitæ ſuæ.

CONCLUSIO.

B*Eata Maria fuit ſemper Virgo perfectiſſima ante partum, & in partu, & deinceps*. Eſt de fide contra præfatos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod Virgo, & Mater non opponuntur oppoſitione formali, nec privativa, nec ut contraria. Virginitas enim privat tantum actione cauſæ ſuperioris naturalis, non autem virtutem activam matris. Maternitas autem non ponit neceſſaria actionem illius ſuperioris, ſed tantum illam comitatur illa actio; ſed ſi alius ſuppleat actionem illam totalis cauſæ naturalis, poteſt eſſe maternitas ſecundum illam rationem, & tamen cum privatione actionis cauſæ naturalis ſuperioris, & ita cum virginitate. Et talis fuit hic*, (ſcilicet in Maria concipiendo Chriſtum) *Et, cum obiicitur quod clauſa non poteſt parere*, reſpondet, quod *ibi fuit miraculum, quod Corpus Chriſti fuit ſimul cum alio corpore*; (per compenetrationem) ergo Scotus cenſet Mariam ſemper fuiſſe Virginem etiam in partu.

Prob. 2. ex Conciliis, [2] in quibus cognita, & definita eſt perpetua virginitas iſta: ut in Concilio V. Conſtantinop. [3] ubi dicitur *ſemper Virgo*. Et ſic vocat eam Taraſius Patriarcha in Epiſtola, quæ legitur in ſexta Synodo. Item in Lateranen. ſub Martino I. (4) *Si quis ſecundum SS. Patres, & ſecundum veritatem, Dei genitricem, ſanctam, ſemperque Virginem .. iſtum Deum Verbum ſpecialiter, atque veraciter ....*

[1] *2. d. 4. a. 3. q. 1. H. 15.* [2] *Act. 8.*
[3] *Act. 3.* [4] *conſult. 5. c. 3.*

abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu S. & incorruptibiliter genuiſſe, indiſſolubili permanente & poſt partum eiuſdem Virginitate, negat, condemnatus ſit. Et in ſymbolis dicitur *Chriſtus natus ex Maria Virgine*: ergo Maria Mater Chriſti ſemper fuit Virgo.

Prob. 3. ex Script. nam prædicitur Virginem concepturam, & parituram. (1) *Ecce Virgo concipiet, & pariet*. Quod male interpretantur Judæi de alio dictum, quam de Meſſia; nam ex Matthæi Euangelio id applicatur Chriſto. *Ut adimpleretur, quod ſcriptum eſt per Prophetam dicentem: Ecce Virgo concipiet* &c. Item ipſa proteſtata eſt Angelo, ſe velle ſervare virginitatem, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*? Ideo creditur voviſſe virginitatem; ergo &c.

Prob. 4. ex Patribus; nam in Liturgia S. Jacobi Verbum Dei dicitur [2] *ex ſancta Deipara, ſemperque Virgine carnem induere*. Et S. Ignatius Martyr. *Revera natus eſt Deus ex Maria Virgine*... Et, *corpus ſibi fabricavit ex ſanguinibus Virginis*, & cum aliis innumeris. Auguſt. [3] *Virgo genuit, quia Virgo concepit, inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit*. Et S. Leo. [4] *Merito virgineæ integritati nihil corruptionis attulit partus ſalutis*. Et Chryſoſt. *qui ingreditur, & egreditur, & introitus ſui, & exitus nulla veſtigia relinquit, divinus habitator eſt, non humanus*.

Prob. denique ratione quoad 1. p. nam 1. inquit S. Thom. [5] *Cum Chriſtus ſit verus, & naturalis Dei filius, non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet, quam Deum, ne dignitas Patris transferretur ad alium*. 2. *Quia qui mittitur, eſt Verbum Dei, Verbum autem abſque omni corruptione cordis concipitur ſine ulla corruptione corporis*. 3. *Id conveniebat dignitati humanitatis Chriſti; quia in eo non debuit eſſe locus peccato, qui peccatum tollere veniebat. Non poterat autem fieri corruptio illa ex concubitu viri, & fœminæ ſine aliqua carnis concupiſcentia, quæ eſt ex peccato*. 4. *Ex fine incarnationis. Nam quia Chriſtus dabat hominibus filios Dei fieri non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo*, ſeu *ex Dei virtute*, ſic

[1] *Iſa.7. Matt.1.*
[2] *Ep. ad Trall.*
[3] *Ser. de nat.* [4] *Ser.141.*
[5] *3.q.28.a.1.*

ſic ipſe, qui erat cauſa exemplaris æquè, ac meritoria noſtræ illius regenerationis, non debuit concipi, & generari ex voluntate carnis, aut viri; ergo, inquit S. Auguſt. [1] *oportebat caput noſtrum inſigni miraculo naſci de Virgine ſecundum corpus, ut ſignificaret membra ſua de Virgine Eccleſia ſecundum ſpiritum naſcitura.*

Prob. 2.p. cum eodem S. Thom. 1. quia *Propheta dicit non ſolum, Ecce Virgo concipiet, ſed etiam addit, pariet.* 2. *Quia, quod naſcebatur, erat Verbum Dei; quod non tantùm concipitur in corde, ſed etiam ex corde ſine corruptione; ergo ut oſtenderetur Corpus Chriſti eſſe corpus Verbi divini, debuit naſci ſine corruptione Matris.* 3. Quia, ut dicit Auguſt. *fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta.* 4. *Quia non debebat honorem matris minuere, qui præceperat honorare parentes*; ergo Maria fuit perfectè Virgo in partu.

Prob. 3.p. ex eodem. Nam cum Ezehiel dixerit, quòd *porta hæc erit clauſa, & vir non tranſibit per eam*; quærit Auguſt. [2] *quid eſt illa porta Domini clauſa, niſi quod Maria ſemper erit intacta?* Et quid eſt, *homo non tranſibit per eam, niſi quod Joſeph non cognoſcet eam?* 2. *Quia ſicut Chriſtus ſecundum divinitatem unicus eſt Patris, ita ſecundum humanitatem unicus eſt Matris.* 3. *Quia fieret injuria Spiritui Sancto, ſi ſacrarium ejus, ſcilicet uterum Virginis profanaſſet homo.* 4. *Dedeceret Mariam non eſſe contentam tanto filio.* 5. *Dedeceret Joſeph, ſi quam audierat ab Angelo de Spiritu S. concepiſſe, auſus eſſet tangere.* Imo quidam Patres putant eum ideò cogitaſſe ab ea diſcedere ex reverentia, non autem ex dubio de illius virtute, aut ex zelotypia; ergo multò magis debuit recedere poſt divinum partum.

Obji. 1. cō. 1. p. ex Script. Joſeph dicitur pater Chriſti, & Mater ejus dicitur *Mulier*; ergo iſta non fuit Virgo. Prob. ant. nam dicitur, quod [3] *Pater ejus, & Mater mirantes erant ſuper his, quæ dicebantur de illo.* & ipſa Maria vocat eum patrem ejus. *Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te.* Et ipſe Chriſtus matrem vocat *mulierem* in nuptiis, & in Cruce; ergo &c.

[1] *de S. Virg. c. 6.* [2] *a. 3. ſer. 14. nat.* [3] *Luc. 2.*

Reſp. diſt. 1. ant. & 2. conſ.pater putativus, con. pater verus, ſeu genitor, neg. ant. & conſ. nam, inquit Beda, putabatur Pater propter Mariæ famam, & ut docet Auguſt. *Eo modo Joſeph dicitur pater Chriſti, quo & vir Mariæ intelligitur, ſine commixtione carnis ipſa copulatione conjugii*. Quod autem dicatur *mulier*, ſignificatur ſexus fœmineus, non conditio, vel ſtatus virginitati oppoſitus.

Inſt. Niſi Joſeph eſſet verè pater, & genitor Chriſti, hic non eſſet filius Abrahæ, nec David; quia non poterat ab illis deſcendere parentibus,niſi per Joſeph; ergo hic verè fuit pater, & genitor Chriſti.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus, quia tam potuit deſcendere ab illis parentibus per Mariam, quàm per Joſeph, quia illa erat filia Abrahæ, & Davidis.

Objic. 2. Chriſtus homo per omnia fuit ſimilis nobis abſque peccato; ergo genitus fuit ſicut alii homines, ſc. ex patre, & matre.

Reſp. diſt. ſimilis quoad ſpeciem, & eſſentialia, con. quoad accidentalia, neg. ant. & conſ. nam quòd ille ex ſola matre ſine patre conceptus ſit, non facit differentiam eſſentialem ejus à nobis quoad humanitatem, ſicut ſimiles ſumus Adę quoad eſſentiam, & ſpeciem, licet ille non eſſet genitus ex patre, & matre.

Objic.1.con.2.p. S. Ambroſ.dicit Chriſtum aperuiſſe vulvam matris ſuæ. Nam, inquit, [1] *qui vulvam alienam ſanctificavit, ut naſceretur Propheta, hic eſt, qui aperuit matris ſuæ vulvam*; ſed apertio vulvæ deſtruit virginitatem; ergo &c. Id collegit Ambroſ. ex Script. [2] *omne, quod aperit vulvam, ſanctum Domino vocabitur*.

Reſp. diſt. maj. aperuiſſe, id eſt, exiviſſe de vulva, con. rupiſſe clauſtrum, ſeu ſigillum virgineum, neg. maj. & conſ. nam vox *aperire*, apud Ambroſium in eo loco non ſumitur rigorosè pro apertura phyſica, ſed in latiori ſenſu pro exitu ex utero matris.

Objic. 3. Chriſtus non natus eſt cum corpore glorioſo; ergo non exivit de utero matris ſine phyſica apertione uteri. Prob. conſ. nam ideò potuit ingredi cœnaculum januis clauſis, quia reſurrexit cum corpore glorioſo; ergo niſi ſic natus ſit, non potuit exire de utero ſine apertura clauſtri virginei.

Reſp. 1.

[1] *l.2.Luc.* [2] *Exo. 34.*

Reſp. 1. neg. 1. conſ. & diſt. 2. non potuit exire ſine novo miraculo, con. abſolute, & per divinam potentiam, neg. conſ.nam, inquit Auguſt. *moli corporis, ubi divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt : ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inviolata permanſit*. Ideo

Reſp. 2. neg. 1. conſ. & 2. ant. nam, ut patet ex Auguſtino cit. per eamdem potentiam, & miraculum Corpus Chriſti potuit egredi, quo potuit ingredi uterum clauſum.

Objic. 4. Si Maria peperiſſet Virgo, non egebat purificatione, nec paſſa eſſet muliebria parturientium; ſed illis indigebat, & hæc paſſa eſt, de facto ſubiit purificationem ſecundum legem, ſicut aliæ puerperæ; ergo &c.

Reſp.neg.min. vel ſic diſt. indigebat apparenter, & ſubiit propter legem, & ſcandalum, con. a parte rei, & in rigore propter aliquam impuritatem corporalem, aut ſpiritualem, neg. min. Chriſtus venerat *non ſolvere, ſed implere legem*. Ideo debuit mater ejus cum ipſo implere præceptum purificationis; quamvis neuter indigeret.

Objic. 1. con. 3.p. Scriptura docet quidem Mariam concepiſſe, antequam cognita eſſet a ſponſo, ſed non negat, quin poſtea convenerint, imo id ſatis ſupponit, quia dicit, quod [1] *Joſeph accepit conjugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum*. Et, *antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu S.* Et quod *peperit filium ſuum primogenitum*. Et ſæpe tribuit illi fratres, & ſorores: Ut cum dicebant Judæi, (2) *nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas, & ſorores ejus, nonne omnes apud nos ſunt?* & Maria ſtans juxta Crucem dicitur (3) *Mater Jacobi, & Joſeph*; ergo poſt partum non manſit Virgo. Prob. conſ. nam ſi concepit Chriſtum, antequam convenirent, ſequitur, quod poſtea convenerint, alioqui male deſignaretur ille terminus. Idem colligitur ex illa voce, *donec peperit*. 3. *primogenitus* dicit relationem, & connotat *ſecundogenitum*, ſicut & relatio fraternitatis connotat plures ex eadem matre, aut patre.

[1] *Matt.* 1. [2] *Matt.* 13. [3] *Matth.* 27.

Reſp. neg. 1. conſ. & diſt. ant. nam voces, *antequam convenirent*, *& donec peperit*, dicuntur abſolute, & de facto, ut oſtendatur, eam non concepiſſe ex opere conjugali, & quod factum non fuerit eo tempore, quo Maria apparuit gravida; non autem cogitavit Euangeliſta de futuro; & quid poſtea, & deinceps contigerit.

Confir. hoc: nam cum dicimus, *oculi noſtri ad Dominum*, *donec miſereatur noſtri*, non ſignificatur, quod poſt obtentam gratiam ceſſemus aſpicere ad illum. Item cum dicitur, *fermentum poni in maſſam farinæ*, *donec fermentatum eſt totum*, non ſequitur, quod poſt fermentationem extrahatur fermentum ex paſta, in quam injectum fuit.

2. Idem dicitur de voce *primogenitus*; nam ut hoc dicatur vere, ſufficit, ut ante illum Maria non habuerit alium filium. Ille dicitur *primogenitus* hoc ipſo momento, quo naſcitur ante ullum alium, quamvis nec poſtea ullus naſcatur.

3. In Scriptura aliqui dicuntur *fratres*. 1. natura, ut Jacob, & Eſau, ſcilicet ex iiſdem parentibus geniti, aut nati. 2. gente; ut omnes Iſraelitæ, vel Sabaudi. 3. cognatione, ut conſobrini, aut alii conſanguinei, vel affines; tales erant illi Jacob, & Joſeph, & Simon cum Chriſto: erant enim filii ſororum, ſive potius conſobrinarum Mariæ.

4. Fraternitas dicitur inter amicos, & ex affectu, ſic David vocat Jonatham: *Doleo ſuper te*, *mi frater Jonatha*, ſcilicet ex amicitia fratrem vocat. Igitur illi homines dicebantur fratres Chriſti ob propinquitatem ſanguinis, vel affinitatis, vel patriæ, non autem ſequitur, quod ex eadem matre, aut patre nati eſſent cum illo. Maria autem, quæ prope Crucem dicitur mater Jacobi, & Joſeph, erat altera Maria, ſcilicet ſoror, vel conſobrina B. Virginis, cui Chriſtus dabat Joannem in filium. Idem dicitur de ſororibus, quas illi tribuebant Judæi, qui non curabant de illo dicere vera.

Denique de S. Joſeph credunt plurimi, quod voverat Virginitatem, ſicut & ſponſa ejus Maria Virgo.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De maternitate Mariæ, an vere fuerit Mater Dei.

LIs iſta nobis eſt præcipue cum Neſtorianis, qui negabant Mariam eſſe vere Matrem Chriſti Dei per veram genituram; ſed fingebant illum ſolummodo tranſiſſe per ejus uterum. *Non dixit tranſivit pro eo, quod genitus eſt*, ajebat Neſtorius apud S. Cyrillum, ſcilicet non vult, quod tranſitus ille ſignificet genituram. Alii tribuebant quidem Mariæ genituram hominis, cui jam formato, & ſuppoſitato, (quippe, ut diximus, volebant in Chriſto duas perſonas, ſcilicet hominem, & Deum intimo, ſed morali tantum vinculo unitas) & ſic negabant eam genuiſſe Deum, ſed purum hominem, & eum quidem genitum, antequam illi uniretur Verbum, & ſic non poſſet vere dici Theotocos, ſeu Mater Dei.

Alii maternitatem veram illi negabant reſpectu Chriſti, nequidem hominis, quatenus in eo non agnoſcebant veram humanitatem, & carnem, ſed corpus aereum, & phantaſticum, aut ſydereum, ut Marcioniſtæ, & Manichæi, quos impugnavimus ſupra probantes in Chriſto veram humanitatem, & carnem, & corpus ſimile noſtris, & priores, cum probavimus illum eſſe verum Deum, & hominem in vera, ac reali unitate ſuppoſiti ſubſiſtentis in perſona Verbi divini, ita ut non prius extiterit humanitas, quam ſuppoſitata fuerit per ſubſiſtentiam Verbi. Reſtat ergo, ut videamus, an, & quomodo B. Virgo dicatur, & fuerit Mater Chriſti, & Dei. Ut ſit Mater Chriſti debuit genuiſſe Chriſtum æque vere, ac aliæ matres generant filios ſuos homines. Ut autem ſit Mater Dei, oportet, ut ille filius pro inſtanti reali temporis, quo eum concepit, fuerit vere Deus æque, ac homo verus.

CONCLUSIO I.

VEre ex ſe genuit Chriſtum , & vere dicenda eſt Mater ejus . Eſt de fide contra Valentinum dicentem Chriſtum ſolummodo tranſiſſe per uterum Mariæ quaſi per rimulam , neque veram carnem ex ea ſumpſiſſe.

Prob. 1. ex Scoto, (1) *Poteſt dici, quod ſi ad matrem pertinet agere ſicut ad cauſam minus principalem , Maria vere fuit Mater , quia tota illa actio ſibi competebat , quæ matri debetur .* Quod ut capias , nota , quod in formatione corporis in Matre interveniunt tres iſti motus : 1. delatio materiæ in matricem : 2. figuratio corporis fœtus , quæ non fit ſine motu locali aliquo ejuſdem materiæ : 3. condenſatio illius corporis , quæ non fit ſine acquiſitione , aut deperditione aliquarum partium per motum a majori ad minorem locum : & Scotus dicit , quod licet hæc tria contigerint in inſtanti per virtutem Spiritus ſancti : *adhuc dico , quod B. Virgo potuit cooperari Spiritui S. in iſta actione inſtantanea , & quantum ad formam ſubſtantialem iſtius termini,* (quæ eſt forma corporeitatis) *& quantum ad ubi , & figuram , & denſitatem , licet ſubito inductas .* Quod ſolide probat: ergo ex Scoto , & ſecundum veritatem , Maria tam vere eſt Mater Chriſti , quam aliæ fœminæ ſunt matres ſuorum filiorum .

Prob.2. ex Script.nam per Angelum dicitur : *concipies,& paries filium .* Et , *quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Item Eliſabeth repleta Spiritu S. ait , *unde hoc mihi , ut veniat Mater Domini mei ad me ?* Et Angelus ad Joſeph , *quod in ea natum eſt , de Spiritu S. eſt.* Et iterum : *accipe puerum , & Matrem ejus .* Et ipſamet vocat eum filium : *Fili , quid feciſti nobis ?* & in nuptiis : *Erat Mater Jeſu ibi .* Et Iſaias de illa prophetaverat ; *Ecce Virgo concipiet , & paries filium ,* &c. ergo vere eſt mater .

Prob. 3. ex perpetua Eccleſiæ fide , & Patrum , ac Theologorum omnium conſenſu , & definita eſt in Concilio Epheſino can.1. & in 6.Synodo act.4. & 11.& in Concilio Lateran. can.3.

[1] 3.*d*.4.*B*.7.

Prob.4. ratione allata Scoti: nam B. V. in Chriſti Conceptione, & generatione præſtitit omne id, quod aliæ Matres præſtare ſolent in generatione filiorum demptis imperfectionibus, & defectibus, qui accidunt in aliis, maxime ſine ullo ſenſu libidinis, & detrimento virginitatis: ſubminiſtravit non partem ſubſtantiæ, ut aliæ matres, ſed totam materiam corporis, ſicque magis eſt mater. Ex ipſa Spiritus S. collegit in matricem ſubſtantiam, ex qua formavit corpus, & mediante ejus concurſu, & calore vitali organizavit, & animavit in momento idem ſanctum corpus, ipſa cooperante per omnem actionem, quæ competit matribus per virtutem formatricem, attrahendo, & amplectendo, fovendo, nutriendo, & pariendo: ergo vere, imo verius fuit Mater Chriſti, quam aliæ fœminæ ſint matres filiorum.

Objic. 1. ex Script. *totum, quod in Maria natum eſt, de Spiritu S. eſt*; ergo nihil eſt de Maria ipſa; ergo non eſt vere Mater Chriſti.

Reſp. diſt. ant. totum quoad operationem ſupernaturalem, & efficientiam principalem, ita ut nullus vir ibi quidquam egerit, conc. totum excluſive reſpectu Mariæ, neg. ant. Angelus ſic loquitur, ut piam ſuſpicionem amoveat a Joſeph, & ab aliis: & ſic intendit tantum excludere operationem cujuſcumque viri.

Objic. 2. Vera mater eſt cauſa partialis activæ formationis prolis; ſed hoc non dicitur de Maria pro formatione Corporis Chriſti; ergo non eſt vera ejus mater. Patet maj. nam mater cum viro integrat unam cauſam totalem generationis. Prob. min. nam formatio activa Corporis Chriſti fuit inſtantanea, & a ſolo Spiritu S. ergo Maria nihil ibi præſtitit active. Prob. ant. nam ſic præventa fuit ejus actio per illam actionem Spiritus S. ergo &c.

Reſp. cum Scoto, neg. min. & 1. ac 2. ant. nam licet uno inſtanti contigerint tres illi motus, adhuc virtus activa Mariæ in terminum illorum motuum non fuit impedita, ſcilicet actio virtutis formatricis attigit illam formationem, quæ eſt ille terminus ejus: nec inſtantaneitas motuum (ſi admittatur) impediebat illum influxum.

Dico (*ſi admittatur inſtantaneitas*) nam multi non

improbabiliter docent (quidquid dicat Suarez) illos motus, & totam organizationem factam quidem fuiſſe breviſſimo tempore, ſed ſucceſſive, & ſic melius ſalvatur cooperatio Mariæ Matris.

CONCLUSIO II.

B*Beata Virgo eſt vere Mater Dei*. Eſt etiam de fide, contra Neſtorium.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *In iſta quæſtione concluſio eſt certa, ſicut patet per Damaſcenum, Dei genitricem vere ſanctam Mariam prædicamus. Sicut enim vere Deus ex ipſa genitus eſt, ita & ipſa vere genitrix Dei dicitur. Deum enim dicimus ex ipſa genitum eſſe, non ut Deitate Verbi principium eſſendi accipiente ex ipſa, ſed Dei Verbo ex ipſa incarnato, & genito. Non enim hominem nudum genuit B. Virgo, ſed Deum verum, non nudum, ſed incarnatum*. Habes concluſionem probatam duplici authoritate, & ſolida ratione.

Prob. 2. ex Script. cit. in præcedenti: nam loca illa probant maternitatem divinam æque, ac humanam: ut cum dixit Angelus, *quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei... filius altiſſimi*; & cum eam dixit Eliſabeth *Matrem Domini*. Nam ſicut tam vere filius ille eſt Deus, quam homo, ſic tam vere illa eſt Mater Dei, quam hominis.

Prob. 3. ex Concilio Epheſ. juxta Epiſt. S. Cyrilli ad Monachos Ægypti. *Cum Chriſtus ſecundum naturam ſit verus homo, & Deus verus, gloriæ Dominus, & crucifixus prædicatur, B. Virgo vere Deipara dicenda eſt*. Et L. de recta fide in Chriſtum, ſcribit. *Non poteſt dici, quod B. Virgo hominem tantum genuit, & non Deum, ſed hominem Deum*. Hæc, & alia ejuſdem Patris habentur in illo Concilio. Item in Concilio Chalcedon. definitur, eam dicendam eſſe *Theotocon*, ſcilicet *Deiparam*.

Prob. 4. ex SS. Patrum traditione; nam inquiebat idem Cyrill. [2] *Quotquot ante nos extiterunt, B. Virginem Deiparam appellarunt*. Et ex eo tempore idem ſemper, & conſtanter docuerunt alii SS. Patres, & Theo-

[1] 3. *d*. 4. *A*. 2.
[2] *l. ad Regin. c*. 11. *d*. 4. *a*. 8.

& Theologi, quod videbis apud Cardin. Lauream, & alios.

Prob.denique. Nam filius Mariæ, quem concepit, & genuit, & peperit, vere Deus eſt, & homo, ut probatum eſt ſupra, & fides docet; ergo ipſa eſt vere Mater Dei hominis.

Obj ic.1.B. Virgo non genuit deitatem, ſicut genuit humanitatem; ergo non debet dici Mater Dei, ſicut dicitur Mater hominis. Prob.conſ.non diceretur Mater hominis, niſi genuiſſet humanitatem; ergo ſi non genuit deitatem, non debet dici Mater Dei.

Reſp. neg.utramque conſ. nam ſicut fœmina dicitur mater hominis, licet non genuerit animam, quæ a ſolo Deo creatur, & eſt principalis pars faciens hominem, ſed ſufficit, quod generet corpus, quod ſic animatum ex ea naſcitur; ita ſufficit, quod Maria genuerit Chriſti humanitatem, quam in ipſo inſtanti conceptionis aſſumpſit Deus Verbum in unitatem perſonæ, ut dicatur tam vere Mater Dei, quam aliæ fœminæ dicuntur Matres hominum. Nam, inquit Athanaſ. (1) *Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*. Eadem ratione utitur Cyrill. cit.& alibi.

Inſt.Illa non eſt vere, & proprie mater, niſi ejus, quem vere, & proprie genuit; ſed non genuit vere, & proprie, niſi hominem unitum Deo; ergo &c.

Reſp diſt.maj. ita ut ille, cujus dicitur Mater, ſit vere, & proprie genitus in eſſe naturæ, & perſonæ in concreto, con.maj.& neg.min.ita ut novum eſſe dederit ſecundum omnia, quæ in eo ſunt, neg. maj. & conſ. nam ſufficit, quod Chriſti humanitas, quam genuit vere in illa acceperit eſſe perſonæ divinæ, ſeu quod in ipſa ſui generatione acceperit illud eſſe divinum.

Objic.2. ex Damaſceno: *genitricem Chriſti nequaquam dicimus Mariam*; ergo non eſt vere Mater Dei.

Reſp.neg.conſ.nec enim id intendit Damaſc. ſed loquitur contra Neſtorium, qui volebat duas in Chriſto perſonas, ſcilicet hominem, & Deum, & hoc ſenſu negat ſe dicere Mariam eſſe Dei genitricem, quaſi duarum perſonarum Matrem. Sed dicit, quod

(1) *ſymb.l.1.con.Neſtor.*

ſancta Virgo per illum, qui eam in ſuperna loca aſſumptam traduxit, uſque adhuc immortalis manſit; ergo iſte non putat, illam obiiſſe, ſed immortuam, & immortalem aſſumptam in cœlum fuiſſe.

Quærimus ergo hic, an de facto, & vere B. Virgo mortua fuerit, & an aliquando reſuſcitata in cœlum corporaliter aſſumpta fuerit.

CONCLUSIO I.

B*Eata Virgo vere mortua eſt, & ſepulta*. Ita communiter creditur in Eccleſia.

Plurimi autem cum P. Vulpes [1] pie credunt, quod nec morte violenta, nec abſolute naturali obiit propter ullum naturæ debitum, aut defectum, ſed libere omnino, ac voluntarie (inquit ille Scotiſta] & hoc, tam ut ſe filio Chriſto conformaret, quam ut merito ſuæ mortis mortem noſtram pœnalem vere ditaret, ſatiſque meritoriam redderet. Plurimi autem Patres, & inſignes Theologi, ut Albertus Magnus, Dionyſius Carthuſianus, Suarez, Poza, Vega, & habetur in revelationibus S. Birgittæ apud de Rhodes, putant eam mortuam eſſe ex intenſiori amore in Deum, juxta illud Cant. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo*, &c.

Porro aliud eſt mori *in amore*, aliud *pro amore*, & aliud *ex amore*. 1. dicitur de juſtis, qui moriuntur in ſtatu charitatis, & gratiæ, vel in actu amoris Dei. 2. de illis, qui moriuntur pro defenſione amoris divini, ut Martyres, quia tunc ille amor eſt cauſa moralis, propter quam patiuntur mortem, vel etiam de iis, qui acceptant mortem, quia Deus vult. 3. vero de illis, quibus vehementia amoris intenſioris cauſat phyſice, & proxime ſeparationem animæ a corpore, ut contigit in aliis paſſionibus vehementioribus, ver. gr. cum moriuntur ex nimio dolore, vel triſtitia, vel gaudio: & hoc ſenſu Maria dicitur mortua ex amore vehementiſſimo in Deum, & Chriſtum; quaſi diceret cum ſponſa: [2] *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.... fortis eſt, ut mors dilectio*. Et ſæpius, ac ferventius, quam Paulus Apoſtolus dicebat: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*.

Con-

(1) *t. p.* 3. *d.* 84. *a.* 1. *n.* 10. [2] *Cant.* 8.

Confir. Quia non potuit mori, niſi ex morbo, vel ex ſenio, deficiente calore naturali, aut ex aliqua vehementi paſſione: non 1. quia non conſtat de ulla infirmitate corporali: non 2. quia non erat admodum ſenex, ſed complexionis, & temperamenti vegeti, & optimi. Reſtat, ut ex vehementia paſſionis, quæ non potuit eſſe alia, quam amoris vehementiſſimi, quo ab initio, ſeu a primo inſtanti vitæ ejus arſerat cor ejus ſanctiſſimum in Deum. Certe paſſiones omnes in ea fuerunt moderatiſſimæ juxta regulas rectiſſimæ rationis, & juxta motiones gratiæ divinæ; ſed præ cæteris ardebat in Deum amor, qui menſuram neſcivit, quando permiſſus eſt ardere.

Ut ut ſit, certum eſt, Mariam Deiparam vere mortuam eſſe, & id ita ſupponunt Sancti Patres, & univerſa Eccleſia, in qua legimus homilias, & libros *de dormitione*, *de tranſitu*, & *aſſumptione* ejus, ut teſtantur ipſa, quæ in Eccleſiis leguntur Martyrologia, ver. gr. Uſuardus in ſuo Script. ad 18. Cal. Septemb. *Dormitio ſanctæ Dei genitricis Mariæ*; & ſic de aliis.

Tres rationes affert Benardinus de Buſtis, [1] cur debuerit mori. 1. inquit, *propter filii ſui conformationem*; quia ſi mortua non fuiſſet, hæretici, qui negabant Chriſti veram humanitatem, & carnem ſimilem noſtræ, id confidentius aſſeruiſſent, ſi Mater ejus non objiſſet, ſicut cæteri homines; dixiſſent eam non fuiſſe de humano genere, *aut ſaltem de illa ſtirpe primorum parentum*, ſc. Adæ. 2. *propter filii ſui conformationem*, ne diceretur melioris conditionis, quam filius, qui vere Deus, & homo eſt. *Profecto decuit, ut B. Virgo etiam moreretur, quæ ſi io ſuo eſſet conformis.* 3. *propter meriti augmentum*. Decuit enim gratia plenam non ſolum mereri bonis operibus, ſed etiam paſſionibus. *Patientia enim opus perfectum habet*.

Denique indubitatum eſt hodie in Eccleſia, quod B. Virgo vere mortua eſt per realem corporis, & animæ ſeparationem, ut contingit cæteris hominibus.

Quoad circumſtantias, & cauſas mortis ejus, non conveniunt Patres, nec Theologi. Mox dicebamus eam ex vehementia amoris, & voluntariiſſime objiſſe, & ſic cauſa mortis ejus non tribuitur morbo, vel decrepitæ ſenectuti, ex qua defecerit calor naturalis.

Quoad

[1] *ſer. 1. de Aſſumpt.*

Quoad alias circumſtantias quidam dicunt, quod miraculoſe ex omnibus mundi partibus Apoſtoli accurrerunt cum aliis paucis Sanctis, & diſcipulis, inter quos adfuit S. Dionyſius, ut ipſe ſcribit. [1] S. Damaſcenus [2] inter alia hæc habet in oratione, quam inſcripſit *de dormitione Deiparæ*, & putantur excerpta ex ſermone de S. Juvenali, qui etiam creditur adfuiſſe. *Et ſi quæ in S. Dei genitricis Mariæ morte contigerunt, ſacræ divinitus inſpiratæ ſcripturæ monumentis minime prodita ſint, tamen ex priſca, & vetuſtiſſima traditione hoc accepimus, quod glorioſi ipſius obitus tempore Sancti omnes Apoſtoli, qui gentilium ſalutis cauſa terrarum orbem peragrabant, temporis momento per altum abrepti in Jeruſalem convenerunt, ibique cum eſſent, Angelica ipſis viſio contigit, divinuſque præſtantiorum virtutum cantus auditus eſt, ſicque cum divina, & cœleſti gloria in manus Domini animam ſanctam commendavit*, &c.

Imo inquit de Buſtis cit. *Chriſtus ipſe apparuit viſibiliter morienti, quippe ipſum viſitaſſe in morte Matrem nullatenus eſt dubitandum. Nam in quodam libro de tranſitu Virginis legitur, quod ipſe Dominus Jeſus de cœlis deſcendit cum Angelicis ordinibus, cum cœtu Patriarcharum, cum Martyrum exercitu, cum Virginum choro, cum ſocietate Confeſſorum, & Sanctorum omnium, qui omnes, ipſo Domino incipiente, ſubſequentes dulcia cantica circa lectum Beatiſſimæ Virginis frequentabant. Tum ipſe Dominus Jeſus poſt ſuaviſſima oſcula, & dulciſſimos amplexus, dixit dilectiſſimæ Matri illud Cant. 3. Veni de Libano ſpecioſa mea, veni, coronaberis*, &c. & addit ipſe de Buſtis, *quod ſicut ab omni corruptione carnis fuerat extranea, ita ab omni dolore mortis fuit aliena. Imo cum indicibili lætitia, & inexplicabili ſuavitate exiit benedictiſſima illa anima, & in brachiis filii fuit excepta*, &c. Quid mirum, ſi dixerimus, quod ex amoris ſuavitate, & vehementia expiravit?

Narrantur etiam circumſtantiæ nobiles, & miraculoſæ illius ſepulturæ, quas videbis apud hiſtoricos: notabiliſſima eſt ejus reſurrectio, & aſſumptio.

[1] *de Divin. nom.* [2] *orat. 2.*

CON-

CONCLUSIO II.

B*Eata Virgo poſt mortem reſurgens, in corpore, & anima aſſumpta eſt in cœlum*. Eſt communis inter Catholicos.

Prob. 1. ex Scoto, (1] quatenus docet, quod Adamo non peccante, homines fuiſſent tranſlati in ſtatum gloriæ poſt aliquod tempus viæ: nam ſicut ipſe propugnavit immunitatem Mariæ ab illo peccato, ita & illi non negavit privilegia illius innocentiæ, inter quæ notabiliſſima eſt a corruptione mortis immunitas, & aſſumptio. Unde alibi docet, quod *janua cœli fuit ſibi aperta* [loquitur de Virgine] *per meritum paſſionis Chriſti præviſæ, & acceptæ ſpecialiter in ordine ad hanc perſonam, ut propter illam paſſionem numquam huic perſonæ ineſſet peccatum, & ita nec aliquid, propter quod janua clauderetur*, &c. ergo nec habuit quidquã, propter quod debuerit mori, aut ſaltem ſubire pœnam corruptionis, ſeu incinerationis, ſed habuit jus omne aſſumptionis in cœlum, quod habuiſſent homines, niſi contraxiſſent peccatum ex Adamo: ſi Deus permiſit mori ob rationes allatas, & alias ſibi notas, & ſapientiæ ſuæ inſcrutabili reſervatas, congruebat tamen divinæ eidem ſapientiæ, ac pietati, ut Matrem filii ſui Chriſti reſuſcitaret, & aſſumeret in gloria.

Confir. Nam incineratio eſt ſpecialior pœna peccati Adæ, dicente Deo: [2] *Donec revertaris in terram, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; ergo ſicut ex gratia ſpeciali præſervata eſt ab illo peccato, ita & ab illa pœna illius peccati; ergo corpus ejus non debuit corrumpi, ſed exaltari in gloriæ ſtatum, ſicut exaltandi, & aſſumendi erant homines, ſi fuiſſent innocentes a peccato Adæ.

Prob. 2. ex perpetua traditione Eccleſiæ, quæ in memoriam talis reſurrectionis, & aſſumptionis ſolemniſſimum ſanctificat diem. Nam id facere non ſolet, niſi ex conſideratione, & pia fide alicujus ſacri myſterii, quod tunc commemorat; nec ita credit, vel celebrat, niſi ex aliqua traditione Apoſtolica, & certa. Nam inquit Auguſt. (3) *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi* aucto-

[1] *3.d.3.q.1.G.* [2] *Gen.3.* (3) *l.4. de bapt.c.24.*

auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſime creditur; ergo certum eſt ex traditione Eccleſiaſtica, & Apoſtolica B. Virginem reſurrexiſſe, & corporaliter aſſumptam eſſe in gloria.

Confir. ex D.Bernardo. [1] *Accepi ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta à ſæculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum.* Et Mar. Victorinus in ſcholiis S. Hieron. concludit: *Aſſumptam fuiſſe Virginem una cum corpore in monumento, in quo depoſita fuerat, omnis Eccleſia credit, & celebrat.* Ejus autem diei feſtum ubique celebrandum Apoſtoli, ut auctor eſt Bernardus, ſtatuerunt. De quo habes plura, & gravia teſtimonia apud P.Fraſſen, [2] ſc.de huius feſti inſtitutione, & antiquitate; ergo aſſumptionis veritas haberi cenſetur ex traditione Apoſtolica.

Prob.3.ex Sanctis Patribus, & Theologis. 1. ex D. Damaſc. narrante, quod cum D. Thomas non adfuiſſet morienti, nec interfuiſſet ſepulturæ, & voluiſſet adorare corpus Virgineum, cæteri Apoſtoli *tumulum aperuerunt, at ſacratiſſimum quidem illius corpus haudquaquam invenire potuerunt. Cum autem jacentia ipſius lintea tantum reperiſſent, atque ex ipſis inenarrabili quadam ſuavitate perfuſi fuiſſent, loculum clauſerunt, atque myſterii illius admiratione perculſi, hoc ſolum ſecum reputare poterant, quod Deus Verbum, ac gloriæ Dominus, qui in perſona propria carnem ex ea induere, & fieri homo voluerat, idem etiam poſt diſceſſum e vita immaculatum, ac omnis ſpurcitiei expers ejus corpus, incorruptibilitate, ac translatione ante communem, ac generalem reſurrectionem honeſtare voluit.*

2. Idem narrat, & confirmat Gregorius Turonenſis, [3] qui ſexto ſæculo ſcribebat, dicens, quod cum Apoſtoli cuſtodirent ſepulchrum ejus: *Ecce iterum aſtitit eis Dominus Jeſus, ſuſceptumque corpus ſanctum, in nubem deferri juſſit in paradiſum, ubi nunc eſt, reſumpta anima cum electis ejus exultans æternitatis bonis nullo occaſuris fine perfruitur.* Univerſi etiam Græci aperte docent, funeri B. Virginis interfuiſſe Apoſtolos, &c.

3.An-

[1] *ep.*174. [2] *hic tract.*1.*d.*3.*a.*3.*q.*5.
[3] *lib.de mirac.*

3. Andreas Cretenſis (1) comparat mortem ejus ſopori, quem immiſit Deus in Adam, ut ex ejus latere crearet Evam, & docet, quod *ſicut parientis uterus fuit incorruptus, ita nec morientis diſperdita caro. Hactenus ſepulchrum vacuum manet*, *tum ipſum teſtimonium habens, tum teſtis etiam translatam eſſe*, &c. in cœlum.

4. Damaſcenus dicit: [2] *Corpus B. Virginis vita migrante ita ſervatum, ut non diſſolutum.... ſed translatum in diviniorem ſtatum, in quo perduret in ſecula ſæculorum -... quod in ſepulchro collatum, deinde ad præſtantiorem, & ſublimiorem regionem abreptum*, &c.

5. Petrus Damianus de die Aſſumptionis dicit, quod *cœlorum officinas ſublimiori gaudio cumulavit. Intuere mentalibus oculis Filium aſcendentem, & Matrem aſſumptam; videbis aliquid excellentius in aſcenſione Filii exhiberi, & aliquid glorioſius in aſſumptione Virginis demonſtrari. Aſcendit enim Salvator in cœlum poteſtativæ virtutis imperio, ſicut Dominus, & creator Angelorum comitatus obſequio, non auxilio fultus. Aſſumpta eſt Maria in cœlum, ſed gratiæ ſublevantis indicio, ſcilicet non propria virtute, ut Chriſtus, ſed virtute divina per gratiam*. Et ne pures hoc dicere Damianum propter ſolius animæ glorificationem, ſubdit: *Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam ſedentem a dextris Domini virtutum in veſtitu deaurato in corpore ſemper immaculato*, &c.

6. Idem docet Hugo Victorinus, (3) qui inter privilegia B. Virginis recenſet ſeptimo loco, quod *cum corpore ſuo, quantum credimus, in cœlo vivit*.

7. Idem docent Theologi communiter, ut Albertus Magnus, & S. Thomas, qui hoc ex Auguſtino (4) approbat, dicens: *Sicut Auguſtinus ſermone de Aſſumptione ipſius Virginis rationabiliter argumentatur, quod cum corpore ſit aſſumpta in cœlum .... quod tamen Scriptura non tradit*. Et in opuſculis. [5] *Terrea maledictio fuit communis mulieribus, ſcilicet ut in pulverem reverterentur; & ab hac immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore aſſumpta eſt in cœlum. Credimus enim*,

[1] *Orat.* 2. [2] *Orat.* 1. *de dorm. Virg.*
[3] *lib.* 3. *de erudit. Theol. c.* 125.
[4] *ſup. miſſ.* [5] *opuſc.* 8.

nimr, quod poſt mortem reſuſcitata fuerit, & portata in cœlum.

8. S.Doctor Seraphicus exclamat: *O quam longe ab iſto incinerationis væ fuit corpus Mariæ ſanctiſſimum! Hoc enim corpus eſt circa ſanctiſſima Dei, quam decuit non putrefieri, ſed inſtar filii ſui ante omnem putrefactionem ſuſcitari*, &c.

Denique hoc ſuadetur multis, validiſque congruentiis, & rationibus a S. Bernardino. 1. ex unitate carnis ejus cum carne Chriſti. 2. quia immunis fuit ab aliis peccati, & maledictionis pœnis, quibus addictæ ſunt aliæ matres; v.g. concepit ſine corruptione carnis, peperit ſine dolore, &c. 3. propter honorem filii, qui jubens nobis honorare parentes, non debuit, nec voluit permittere carnem Matris ſuæ incinerаſci cum peccatoribus. 4. propter eximiam, & ſummam puritatem mentis, & carnis. 5. propter perfectam ejus cum filio conformitatem, &c.

Melior, & ſolidior probatio petitur ex perpetua, & univerſali traditione, & fide Eccleſiæ, in qua inter alias hujus feſtivitatis elogia canimus ſolemniter: *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna*. Certe enim hoc non diceretur de ſolius animæ aſſumptione, quæ non eſſet illi ſingulare privilegium, niſi aſſumpta eſſet cum corpore virgineo.

Objic. 1. Si hæc mors, reſurrectio, & aſſumptio veræ eſſent, Euangeliſtæ, aut alii Scriptores rerum, quæ geſtæ ſunt poſt Aſcenſionem Chriſti, ut Lucas, qui ſcripſit Acta Apoſtolorum, de his non tacuiſſent; ſunt enim maximi momenti, & longe majoris, quam alia plura, de quibus ſcribunt; ſed de illis nihil habemus ab ullo Scriptore Canonico; ergo non ſunt vera, aut ſaltem certa.

Reſp.neg.maj. & conſ. Nec enim omnia, quæ credit Eccleſia, & maxime quæ pie credit, etiam de B. V. Matre Dei, habentur in Libris canonicis, quod ut capias, diſtinguenda ſunt objecta, quæ creduntur abſolute, & tanquam de articulis fidei catholicæ, qualia ſunt contenta in Libris canonicis, & quæ decreta, ſeu definita ſunt in Conciliis, ſeu ab Eccleſia, ut ab omnibus credenda, & alia, quæ quidem per ſe, & explicite, & formaliter non continentur in illis libris,

aut definitionibus, ſed ad definita proxime accedunt, & ab omnibus piis, & veris catholicis ut vera tenetur, & ſunt fidei catholicæ ſatis conſentanea. Et hæc dicuntur pie credi; ad quod requiritur 1. ut ſpectent ad pietatem, ſeu ad gloriam Dei, & Sanctorum, & ad fovendam fidelium devotionem. 2. ut communiter apud iſtos habeantur ut vera ex gravibus teſtimoniis; & 3. ut illa fides approbetur ab Eccleſia. Hæc autem omnia cõcurrunt pro credibilitate aſſumptionis B. Virginis, ut patet: nihil enim ibi contra fidem catholicam: nituntur teſtimoniis graviſſimis; & ab Eccleſia non modo toleratur, ſed etiam approbatur iſta fides.

Inſt. Sed reſponſio iſta non ſalvat præcipuam difficultatem, quæ eſt de ſilentio Scriptorum canonicorum illius temporis de re tanti momenti; ergo ſemper manet dubia.

Reſp. neg. conſ. Nam ad removendam omnem dubitationem, & formidinem de oppoſito, ſufficeret ſola credulitas Eccleſiæ, quæ non celebraret, nec permitteret celebrari cum tanta ſolemnitate hanc aſſumptionem, ſi putaret illi ſubeſſe umbram falſitatis.

Cur autem de hoc ſiluerint ſacri Scriptores, dici poteſt Dei providentiam permiſiſſe tale ſilentium, vel quia, ut loquitur S. Andreas Cretenſis, [1] *Diu poſt, longiſque retro temporibus Deo aſſ: ata dormitio illa contigerit. Aiunt enim illam, cum ad extremam veniſſet ſenectutem, migraſſe. Vel quia nec dum ea tempora harum rerum explicationem permittebant, ubi primum ſcribi cœpit Euangelium*, ſcilicet ne daretur occaſio hæreticis fingendi B. Virginem fuiſſe divinitatis participem cum Chriſto, ut quidam ſomniarunt. Id enim fingendi aliqualem prætextum habuiſſent, ſi ea, quæ de triumphali ejus aſſumptione credimus, legiſſent in Euangelio. Ideo tempore S. Epiphanii, [2] quia in ſacris Scripturis *nulla mentio legebatur de Mariæ obitu, mortua ſit, necne, ſepulta, an non ſepulta fuerit .... igitur an mortua ſit Maria, neſcimus, ſive ſepulta*, &c. ergo ex ſilentio Euangeliſtarum, ſeu Scripturarum de hac veritate nihil infertur contra illam, ſed recurrendum ad occultam Dei providentiam.

Objiç.

[1] *Orat. 1. de dormit. Virg.*
[2] *hæreſ. 78.*

Objic. 2. Baronius non admittit, ſed potius ridet, & impugnat hiſtoriam de præſentia Apoſtolorum in obitu Virginis, & de illius reſurrectione, & dicit eam haberi ex quodam libro apocrypho, quem Eccleſia reſpuit in Concilio Romano ſub Gelaſio Papa; ergo non eſt admittenda, ſaltem ut traditio Apoſtolica, ſed pure humana, & incerta.

Reſp. neg. ant. nam Baronius rejicit quidem, & ridet aliquas circumſtantias narrationis alicujus libri apocryphi ſub nomine Melitonis, non autem ſubſtantiam hiſtoriæ, ſed potius eam approbat, ut acceptam ex SS. Dionyſio, Juvenali, Damaſceno, & Scriptoribus magnæ auctoritatis. *Cum hæc dicimus*, inquit, *non ſic impugnamus, quaſi minimè vera eſſe potuerint .... nec ob eam cauſam, quod ibi dicatur eam reſurrexiſſe, & una cum corpore aſſumptam in cœlum, id negamus, vel in dubium revocamus accidiſſe; quæ præſertim Juvenalis Jeroſolymorum Epiſcopus non ex ſcripto aliquo commentario, ſed potius ex antiqua, & veneranda majorum traditione ſe accepiſſe teſtatus eſt*; ergo Baronius confirmat potius noſtram aſſertionem de reſurrectione, & aſſumptione iſta.

Objic. 3. Tempore S. Hieronymi dubitabatur, *utrum aſſumpta fuerit ſimul cum corpore? An obierit relicto corpore? Quomodo, vel quo tempore, aut a quibus perſonis ſanctiſſimum corpus ablatum fuerit* [ſcilicet ex tumulo, quem dicit fuiſſe in valle Joſaphat] *vel ubi tranſpoſitum? Utrumne reſurrexerit? neſcitur*. 2. Idem videtur colligi ex Auguſtino [1] dicente: *Vera de ejus Aſſumptione ſententia hæc eſſe probatur, ut ſecundum Apoſtolum, ſive in corpore, ſive extra corpus ignorantes, aſſumptam ſuper Angelos eam eſſe credamus*. 3. Uſuardus in ſuo Martyrologio 18. Kalen. Septembris annuntiat dormitionem Sanctæ Dei genitricis Mariæ, addens: *Quo autem tempore venerabile illud Spiritus Sancti templum nutu, & conſilio divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quam aliquid frivolum, & apocryphum inde tenendo docere*. 4 Idem ſcribit Ado Epiſcopus Viennenſis, [2] & alii; ergo Eccleſia ipſa non eſt certa de tali aſſumptione corporis B. Virginis.

Reſp.

[1] *ſerm. de Aſſumpt.*
[2] *lib. de feſt. 7. Id. Septemb.*

Reſp. neg. conſ. 1. quia nunc compertum eſt, illum ſermonem falſo adſcribi Hieronymo, ſed illum eſſe alicujus anonymi, & apocryphi Scriptoris, ut patet ex cenſura, & annotatione illi præpoſita, ubi habes rationes, quibus negetur hoc ſcriptum eſſe S. Doctoris. 2. Idem putant multi de illo ſermone S. Auguſtini, alioqui ſibi contradiceret. 3. Quantum ad Uſuardum, & Adonem, iſti ex eodem hauſerunt talia, ſcil. ex illo ſermone apocrypho Hieronymi ementiti; ut patet ex Baronio cit. Vide P. Fraſſen cit.

Reſtaret hic dicendum de cultu, & invocatione B. Virginis. Sed de his diximus ſupra, ubi de cultu Chriſti, & Sanctorum.

Hæc igitur dicta ſufficiant de Myſterio Incarnationis, ad laudem, & gloriam Dei O. M. & SS. Deiparæ, ac Seraphici Patriarchæ, ſub cenſura Sanctæ Matris Eccleſiæ.

ANT 1317 8PP

[illegible] by Google

[illegible] Google

Digitized by Google